ALLI

P. OVIDII NASONIS

TRISTIVM

LIBRI V.

EPISTOLARVM EX PONTO

LIBRI IV.

CVM NOTIS VARIORVM

IN VSVM SCHOLARVM DITIONIS PONTIFICIAE

ROMAE
TYPIS VEN. HOSPITII APOSTOLICI
Cum Privilegio.

MDCCCLIX.

LECTORI

Novam hanc Pvblii Ovidii Nasonis *Elegiarum* et *Epistolarum* Tristivm et de Ponto librorum editionem, longe secus ac illae complures, quae ex huius Hospitii Apostolici ad S. Michaëlis typis usque ad haec tempora prodierunt, concinnatam tibi, benevole lector, praebens, paucis te volo. Non igitur Ioannis Minellii notis exornati ii libri sunt; sed ex commentario editionis, quam dicunt *Variorum,* maxima diligentia ea omnia excerpsi, quae multo magis adolescentium ingeniis accomodata fore visa sunt. In iis autem ita suo quaeque loco disposui, ut non modo facili methodo, quae a Poëta nostro significata sunt explicare

valeas, sed etiam quae ad mores antiquos illustrandos, virosque cognoscendos in primis faciunt, invenire poteris. Illud praeterea diligentissime curavi, ut textum exhiberem ad optimas, lectissimasque editiones exactum. Hunc igitur meum laborem non minus adolescentibus utilem, quam gratum iis fore confido, qui Latinae linguae patrimonium tuentur. Quorum ex benevolentia et gratia id fiet profecto, ut vehementius ad ea complectenda excitar, quae studiosae iuventutis, et reipublicae litterariae bono arbitror non parum posse conducere. Vale.

LEONARDVS OLIVERIVS ADM.

PVBLII OVIDII NASONIS

VITA.

Pvblivs Ovidivs Naso, equestri loco natus est Sulmone in Pelignis, anno ab V. C. dccxl, A. Hircio, C. Vibio Pansa consulibus, a. d. xiii. Cal. Aprilis. Puer quum quodam naturae instinctu ad poëticen ferretur, patris tamen hortatu oratoriae facultati se dedit, et apud Arellium Fuscum Rhetorem declamavit ingeniose, studioseque M. Porcium Catonem adiuvit. Virili toga sumpta Athenas profectus est studiorum caussa, Asiaeque urbes nobiliores cum Macro poëta adiit. Romam reversus honores capessit, Triumvir, ut videtur, capitalis, et mox Decemvir litibus iudicandis creatus, ac non modo centumvirali iudicio, sed privatis quoque iudiciis praefuit. Quibus honoribus etsi gradum ad senatoriam sibi straverit dignitatem, eiusque spe latum clavum gestaverit, otii tamen literarum amantior, annum

forte agens XXIV. curiae ingrediendae, et maiorum magistratuum petendorum curam abiecit; positoque lato clavo, equestri ordine contentus, totum se contulit ad mansuetiores Musas, carminibusque scribendis ingenium exercuit. Uxores duxit tres, quarum primam mox dimisit; nec multo diutius cum altera vixit: tertiam constantius dilexit, quae nobilissimas Romanorum gentes cognatione contigens, in Marciorum domo videtur educata; cuius erga se fidem amoremque exul etiam multis epistolis collaudat. Haec ex priore marito habuerat filiam, quae Suillio, Germanici Caesaris familiari, nupta fuit. Ipse quoque Ovidius, incertum ex qua coniuge, filiam genuit, quae ex duobus maritis eum bis avum fecit, ac tum in Africa cum viro fuit, quum Ovidius relegatus est. Perillam hanc dictam putant plerique. Fuit quoque Ovidio et praedium paternum in Pelignis, hortique suburbani trans Tiberim prope pontem Milvium, gratissimus secessus: ibi et carminibus et arbusculis pangendis animum reficere solebat. Censum denique equestri paullo ampliorem sibi fuisse constat.

Ita vir ingenio abundans, otio vero etiam lasciviens, non modo iuvenis iuvenilia et amatoria carmina scripsit, populoque recitavit circa annum aetatis XXII., sed postea *Heroidum* quoque epistolas, librosque tres de *Arte amandi,* tum et *Remedia amoris* vulgavit, et *Metamorphosibus, Fastisque* componendis elaboravit, quod utrumque opus exilio eius abruptum est. Scripsit etiam Romae *Tragoedias* quasdam, quarum illustrissima fuit *Medea. Epigrammata* item, *Phenomena,* et *Halieutica,* seu *de Piscibus,* quorum praeter exigua, paucissimaque fragmenta, nihil superest, uti nec de car-

mine in *funus Messalae Corvini* scripto, de incoato opere *belli Actiaci*, de *Vaticiniis*, de *Triumpho Tiberii Caesaris*, et libro de *Apotheosi Augusti* Getice scripto; quae duo ultima in exilio composuerat. Eidem *Medicamina faciei*, quorum fragmentum extat, *Consolatio ad Liviam Augustam*, et Elegia, quae *Nux* inscribitur, tribui verius solent, quam libelli de *Pulice*, et *Philomela*, et carmen panegyricum de *Pisone*, quamquam et de illis dubitarunt viri eruditi.

Etiamsi vero amatoria sua carmina, et speciatim Artem amandi, circa annum aetatis XLII. iam ediderat, vitaque eius et mores etiam tum in transvectione equitum Augusto probata fuerat, ad annum tamen L. in Vrbe quietius vixit, illoque, ut vero est simile, spatio, patrem VC. annos natum, ac post hunc matrem amisit. Tum vero Augusti incurrens offensam, cui lasciviam carminum de Arte amandi, et ex his sequuta corruptio Iuventutis Romanae, praetexebatur, Tomon, in oppidum Moesiae inferioris ad Pontum Euxinum, relegatus est; librique eius de Arte amandi e bibliothecis publicis remoti, eosque etiam fortasse legere interdictum fuit. Praeter hanc tamen relegationis caussam, quae palam ferebatur, alia fuit occultior, quae graviore Augustum dolore affecit, iratumque reddidit: in qua quidem se non scelere, verum errore tantum et imprudentia, culpam contraxisse, et speciatim quod inscius aliquod crimen vidisset, passim conatur persuadere.

Ergo anno V. C. DCCLXII. Tomon pervenit, ibique ad annum aetatis suae LX. vixit, et anno V. C. DCCLXX. obiit, postquam Roma et patria caruerat annos ferme IX. Tomis vero inter barbaros fuit annos VII. cum paucis

mensibus. Supervixit autem Augusto annos III. et in exilio praeter *Tristium*, et *Epistolarum ex Ponto* libros, quaeque paullo ante demonstravimus carmina iam deperdita, *Ibin* quoque scripsit. Ingenii laudem, ac praemia etiam inter barbaros tulit, qui eum, ob carmen fortasse de Augusto lingua Getica scriptum, immunitate donarunt, et corona poëtica redimierunt. Sepultum Tomis esse multi scripserunt, quamquam Poëta ossa Romam transferri olim optaverit: quod tamen ne fieret, multis potuit casibus impediri.

P. OVIDII NASONIS

TRISTIVM

LIBRI QVINQVE.

P. OVIDII NASONIS

TRISTIVM

LIBER PRIMVS.

ELEGIA I.

ARGVMENTVM. Poëta exsul per Prosopopoeiam admonet librum suum ut e Scythia Romam profecturus eo habitu accedat, qui exsulem decet; mandatque, quid velit responderi sciscitantibus, quid ipse agat; simulque docet, quomodo se excusare debeat, si forte carmina haec minora visa fuerint eius ingenio. Postremo iubet, ut Palatium illud evitet, unde fulmen in se emissum fuisse commemorat.

1 Parve, nec invideo, sine me, Liber, ibis in Vrbem:
Heu mihi! quo domino non licet ire tuo.
2 Vade, sed incultus; qualem decet exsulis esse.
Infelix, habitum temporis huius habe.
3 Nec te purpureo velent vaccinia fuco:
Non est conveniens luctibus ille color.

1 *Parve.* Vel solam hanc elegiam, vel certe totum opus de Tristibus, aut (quod magis placet Pontano, aliisque) primum librum intellige. || *Vrbem.* Romam, nempe, quae sola per antonomasiam *urbs* a Latinis dicebatur; reliquae autem civitates *oppida*.

2 *Incultus.* Valde inornatus. || *Decet exsulis esse.* Exsules enim prae moerore, lugubri veste citra ullum ornatum induebantur; multamque barbam, et hirtum capillum ferebant. || *Habitum temporis huius.* Cultum, qualem meum hoc exsilii tempus exposcit.

3 *Nec purpureo fuco.* Nec purpureo amictu. || *Velent te.* Tegant te. || *Vaccinia.* Vaccinia violas esse purpurei coloris, scribit Servius. Plinius vero scribit fruticem esse in Gallia purpureum, idoneum ad tingendum. || *Non est conveniens.* Non convenit dolori: qui tum vestitu pullo, tum tristi aspectu designandus est. || *Ille color.* Color ille purpureus.

4 Nec titulus minio, nec cedro charta notetur;
Candida nec nigra cornua fronte geras.
5 Felices ornent haec instrumenta libellos.
Fortunae memorem te decet esse meae.
6 Nec fragili geminae poliantur pumice frontes,
Hirsutus passis ut videare comis.
7 Neve liturarum pudeat. Qui viderit illas,
De lacrimis factas sentiet esse meis.
8 Vade, Liber, verbisque meis loca grata saluta.
Contingam certe, quo licet, illa pede.
9 Si quis, ut in populo, nostri non immemor illic,
Si quis, qui, quid agam, forte requirat, erit;

4 *Nec titulus minio*. Inscriptiones et tituli elegantiae caussa fiebant rubrica, h. e. minio, aut cinnabari. || *Nec cedro*. Cedrus arbor est, quae cariem, vetustatemque non sentit; ideoque succo et oleo cedrino linebantur chartae diuturnitatis, seu conservationis a carie, ergo. Hinc *cedro digna loqui*, est perpetua memoria et immortalitate digna loqui. || *Cornua ... fronte*. *Cornua* appellat superiorem et inferiorem chartae partem, *Frontem* ipsam paginam. Antiqui scribebant in altera tantum paginarum facie ad extremum usque folium, in quo firmitudinis caussa bacillum teretem cedrinum eburneum agglutinabant, cuius capita superne et inferne eminentia argento, auro, aut ebore ornatus ergo praemuniebant, quae *Cornua* dicebantur. Postea paginas instar spirae convolutas complicabant, indeque *volumen* nominabant, a volvendo. Dicit ergo Ovidius libro suo: Ne geras candida cornua, quae indicia sunt fortunae laetioris; sed atrata, quae tristioris.

5 *Felices*. Per felices libellos intelligit poemata felicia, sive laeta non tristia continentia. || *Haec instrumenta*. Dicta ornamenta ac vaccinia, minium, cedrus, ec. ec. || *Fortunae meae*. Mei exsilii, status, et conditionis meae perditissimae.

6 *Geminae*. Vtramque chartae planitiem intelligit, quae ambae pumice radebantur, tum ob elegantiam, tum ne asperitas calamum offenderet ac retardaret. || *Pumice*. Erant pumices in usu poliendorum librorum gratia. Laudatissimi habentur probati in candore et in minimo pondere, quique spongiosi atque aridi sunt, ac teri faciles. Vnde Ovidius non immerito *fragilem* appellavit. || *Hirsutus.... ut videare*. Caussam assignat cur nolit librum poliri pumice: ut scilicet videatur incultus et impexus, ut decet exsulis fortunam.

7 *Liturarum*. Macularum.

8 *Contingam certe*. Ordo est: Contingam certe illa loca eo pede, quo licet: id est; carmine meo, quo solo modo possum, Romam accedam.

9 *Vt in populo*. Vt solet in ma-

10 Vivere me dices: salvum tamen esse negabis.
Id quoque, quod vivam, munus habere Dei.
11 Atque ita te tacitus, quaerenti plura, legendum,
Ne, quod non opus est, forte loquare, dabis.
12 Protinus admonitus repetet mea crimina lector;
Et peragar populi publicus ore reus.
13 Neu, cave, defendas, quamvis mordebere dictis.
Caussa patrocinio non bona peior erit.
14 Invenies aliquem, qui me suspiret ademtum,
Carmina nec siccis perlegat ista genis:
15 Et tacitus secum, ne quis malus audiat, optet,
Sit mea, lenito Caesare, poena minor. (mur,
16 Nos quoque, quisquis erit, ne sit miser ille, preca-
Placatos misero qui volet esse Deos.
17 Quaeque volet, rata sint; ablataque Principis ira
Sedibus in patriis det mihi posse mori.

gna multitudine aliquis esse non immemor.

10 *Dei.* Augusti Caesaris nempe, cui decreti fuere ex Senatus consulto caelitum honores.

11 *Ita te tacitus.* Ordo est: Atque ita tacitus, quaerenti plura, te legendum dabis; ne forte loquare ea, quae non est opus loqui. Innuit autem tres de *Arte amandi* libros.

12 *Protinus admonitus.* Rationem assignat, cur nolit de se legendo ullam mentionem fieri. || *Repetet.* In memoriam reducet. || *Mea crimina.* Scripsisse amatoria, et nescio quid vidisse, duo fuerant Nasonis peccata.|| *Et peragar.. reus.* Et non tantum a Caesare, sed etiam ab omnibus condemnabor. *Agere* enim *reum*, est reum accusare, reum facere, inter reos referre.|| *Publicus.* Vt qui in Rempublicam quid commiserim.

13 *Quamvis mordebere.* Mordere est obloqui, detrahere de aliquo, calumniari, incessere conviciis.

14 *Qui me suspiret ademtum.* Eos certe, ad quos scribit libros *de Ponto*, quorum erga se fidem laudat. Hi eius ademti desiderio tenebantur. || *Siccis... genis.* Lacrimae enim magnum sunt sinceri amoris argumentum.

15 *Ne quis malus.* Malum vocat sibi inimicum, adversarium, et invidum || *Lenito Caesare.* Placato Augusto. || *Poena minor.* Levius exsilium.

16 *Ne sit miser.* Bona optanti, bona vicissim optanda sunt.

17 *Ablataque Principis ira.* Verecunde Poëta Romam redire precatur.

18 Vt peragas mandata, Liber, culpabere forsan;
Ingeniique minor laude ferere mei.
19 Iudicis officium est, ut res, ita tempora rerum
Quaerere. Quaesito tempore tutus eris.
20 Carmina proveniunt animo deducta sereno:
Nubila sunt subitis tempora nostra malis.
21 Carmina secessum scribentis et otia quaerunt:
Me mare, me venti, me fera iactat hiems.
22 Carminibus metus omnis abest: ego perditus ensem
Haesurum iugulo iam puto iamque meo.
23 Haec quoque quod facio, iudex mirabitur aequus;
Scriptaque cum venia qualiacunque leget.
24 Da mihi Maeoniden, et tot circumspice casus;
Ingenium tantis excidet omne malis.
25 Denique securus famae, Liber, ire memento;
Nec tibi sit lecto displicuisse pudor.
26 Non ita se nobis praebet Fortuna secundam,
Vt tibi sit ratio laudis habenda tuae.

18 *Vt peragas mandata.* Carmen excusat Poëta, ostendens se in luctu non posse optimos versus facere.|| *Ingeniique minor.* Et fortasse diceris minime responderi viribus mei ingenii, sed esse eo minor.

19 *Iudicis* Critici de libris iudicaturi || *Vt res.* Rem hic appellat negocium, in cuius quaestione quaeritur locus, tempus, modus, occasio. ||*Ita tempus.* Tempus hic est opportunitas || *Tutus eris.* Carebis reprehensione.

21 *Me fera iactat hiems.* Erat enim in Scythica reginne Poëta, quae magnis frigoribus vexatur: vel, ut alii volunt, per *hiemem* asperam tempestatem intelligit; quia credunt hunc librum Ovidium in itinere scripsisse.

22 *Ego perditus ensem.* Ego infelix mihi semper timeo mortem imminere; Scythae enim assidue nos infestant.

23 *Iudex mirabitur.* Aequus rerum aestimator meliores versus a me non requiret: imo mirabitur, tali tempore, tam bonos a me scriptos || *Cum venia* Mihi ignoscendo.

24 *Da mihi Maeoniden.* Fac me Homero parem, qui *Maeonides* dictus est a Maeonia Asiae minoris provincia, ubi Smyrna, una ex civitatibus, quae inter se certaverunt, ut sibi patriae tanti Poëtae honorem vindicarent. || *Casus.* Circumstantias, scilicet exsilium, mare, procellas, mortisque metum.

25 *Nec tibi sit pudor.* Nec pudeat te non cuivis probari.

27 Donec eram sospes, tituli tangebar amore;
Quaerendique mihi nominis ardor erat.
28 Carmina nunc si non studiumque, quod obfuit, odi,
Sit satis. Ingenio sic fuga parta meo.
29 I tamen, i, pro me tu, cui licet, adspice Romam.
Dì facerent, possem nunc meus esse liber.
30 Nec te, quod venias magnam peregrinus in Vrbem,
Ignotum populo posse venire puta.
31 Vt titulo careas; ipso noscêre colore:
Dissimulare velis; te liquet esse meum.
32 Clam tamen intrato; ne te mea carmina laedant.
Non sunt, ut quondam plena favoris erant.
33 Si quis erit, qui te, quia sis meus, esse legendum
Non putet, e gremio reiiciatque suo:
34 Inspice, dic, titulum. Non sum praeceptor Amoris;
Quas meruit, poenas iam dedit illud opus.
35 Forsitan exspectes, ut in alta Palatia missum
Scandere te iubeam, Caesareamque domum.

27 *Donec eram sospes.* Donec non premebar hac insigni clade exsilii. || *Tituli amore.* Amore famae, ac laudis, quae titulis amplificatur.

28 *Carmina nunc si non.* Ordo est: Sit satis quod non prorsus odi carmina, et studium, quod obfuit: quandoquidem ingenio meo, id est, studio tali, fugam atque exsilium mihi ipsi peperi. || *Studiumque quod obfuit.* Amatoriam artem designat, cuius caussa relegatus fuit ab Augusto. || *Fuga.* Exsilium.

29 *Dì facerent.* Festive se in librum suum verti optat.

31 *Vt titulo careas.* Quo tamen non cares, etsi is minio notatus non est || *Ipso colore.* Nigro et lugubri habitu, et versibus quibus conscriptus es.

32 *Clam intrato.* Occulte, quia nobis offensa est civitas. || *Ne te.* Ne ob priora illa, et amatoria carmina, tibi, innocenti licet, aliquod malum irrogetur.

35 *In alta Palatia.* Palatium, seu Palatinus collis, ubi erant aedes, in quibus habitabat Augustus Caesar, eiusque praetorium; ac domus eius ab eo monte, propterea quod ibi quondam Romulus habitaverat, multum splendoris accepit. Ideoque, teste Dione Cassio, etiamsi alibi Imperator domicilium suum haberet, tamen id quoque *Palatii* nomen obtinebat.

36 Ignoscant augusta mihi loca, Dique locorum.
Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.
37 Esse quidem memini mitissima sedibus illis
Numina; sed timeo, qui nocuere, Deos.
38 Terretur minimo pennae stridore columba,
Vnguibus, accipiter, saucia facta tuis.
39 Nec procul a stabulis audet secedere, si qua
Excussa est avidi dentibus agna lupi.
40 Vitaret caelum Phaëton, si viveret; et quos
Optarat stulte, tangere nollet equos.
41 Me quoque, quae sensi, fateor Iovis arma timere:
Me reor infesto, cum tonat, igne peti.
42 Quicunque Argolica de classe Capharea fugit,
Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.
43 Et mea cymba, semel vasta percussa procella,
Illum, quo laesa est, horret adire locum.

36 *Ignoscant augusta.* Dent mihi veniam loca illa, quae habitat Augustus. *Augustum* autem sanctum et religiosum significat. Et loca quaeque religiosa, et in quibus augurato quid consecratur, *augusta* dicuntur, ab auctu, vel avium gestu, gustuve. || *Dique locorum.* Intellige Apollinem Palatinum, Dianam, Iovem optimum maximum, Iunonem, Minervam, alios Deos, Deasque, vel potius Augustum, qui vivens divinos habuit honores. || *In hoc caput.* In me. Caput pro toto homine. Saepe quoque vitam, et salutem significat. || *Ab illa arce.* A Palatio, seu a colle Palatino. || *Fulmen.* Ira Caesaris.

37 *Qui nocuere Deos.* Enallage numeri. Ad hunc Deum ut adeam hortatur eius lenitas: sed nescio quomodo inflictum semel ab eo vulnus me terret, et absterret.

40 *Vitaret.* Phaëton quoque, si viveret, caelum vitaret, ne rursus adiret mortis periculum || *Tangere.* Nollet Solis patris sui currum ascendere.

41 *Iovis arma.* Augusti iram. || *Infesto igne.* Fulmine supplicii || *Cum tonat.* Cum minatur, cum irascitur.

42 *Quicumque Argolica.* Graeci quoque, qui semel tempestatem evaserunt apud montem Capharea, semper loca illa devitant. Sane Nauplius, Palamedis pater, ut filii necem ulcisceretur, elevata facula, signum dedit ex Caphareo, Euboiae promontorio, Graecis naufragio laborantibus; qui credentes ignes indicare portum tutissimum, inter asperrimos scopulos naufragium fecerunt. Quibus exemplis colligit, se quoque loca, unde fulmine prostratus est, fugere statuisse.

43 *Et mea cymba.* Hac meta-

44 Ergo, care Liber, timida circumspice mente;
Et satis a media sit tibi plebe legi.
45 Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, Icariis nomina fecit aquis.
46 Difficile est tamen, hic remis utaris an aura,
Dicere. Consilium resque locusque dabunt.
47 Si poteris vacuo tradi; si cuncta videbis
Mitia; si vires fregerit ira suas;
48 Si quis erit, qui te dubitantem et adire timentem
Tradat, et ante tamen pauca loquatur; adi.
49 Luce bona, dominoque tuo felicior ipse
Pervenias illuc; et mala nostra leves.
50 Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more potest.
51 Tantum ne noceas, dum vis prodesse, videto.
Nam spes est animi nostra timore minor.
52 Quaeque quiescebat, ne mota resaeviat ira;
Et poenae tu sis altera caussa, cave.
53 Cum tamen in nostrum fueris penetrale receptus,
Contigerisque tuam, scrinia curva, domum;

phora pluries usus est Ovidius de statu et fortuna sua loquutus.

44 *A media plebe.* A mediocri turba.

45 *Icarus.* Huius fabula notissima est, atque a Poëta nostro mirifice descripta *Metam.* VIII. 4.

46 *Velis utaris an aura.* Allegoria. Lenius an patientius agas; an instes et urgeas. Sola aura et velis naves procedunt tardius: velis et remis celerius et concitatius.

47 *Vacuo.* Augusto ocioso, et mihi non irato.

49 *Luce bona.* Pervenias illuc luce bona, hoc est felici die, et felicior tu ipso tuo domino; nam supra dixit: *Heu mihi! quo domino non licet ire tuo.*

50 *Achilleo.* Vt fecit Achilles, qui Telephum a se hasta percussum, eadem sanavit.

51 *Spes.* Maior est timor quam spes placandi Caesaris: vel, magis timeo malum aliquod quam sperem Augustum lenire posse.

52 *Altera caussa.* Secunda caussa: prima enim fuit ex libris artis amatoriae.

53 *Penetrale.* In nostrum cubiculum intimum. || *Scrinia.* Arculas, ubi mea reperitur bibliotheca.

54 Adspicies illic positos ex ordine fratres,
Quos studium cunctos evigilavit idem.
55 Cetera turba palam titulos ostendet apertos;
Et sua detecta nomina fronte geret.
56 Tres procul obscura latitantes parte videbis.
Hi quoque, quod nemo nescit, amare docent.
57 Hos tu vel fugias, vel, si satis oris habebis,
Oedipodas facito, Telegonosque voces.
58 Deque tribus, moneo, si quae tibi cura parentis,
Ne quemquam, quamvis ipse docebit, ames.
59 Sunt quoque mutatae ter quinque volumina formae,
Nuper ab exsequiis carmina rapta meis:
60 His mando dicas, inter mutata referri
Fortunae vultum corpora posse meae.
61 Namque ea dissimilis subito est effecta priori:
Flendaque nunc, aliquo tempore laeta fuit.
62 Plura quidem mandare tibi, si quaeris, habebam:
Sed vereor tardae caussa fuisse morae.

54 *Fratres.* Libros Par est fratres vocare, quorum unus et idem est parens. || *Quos studium.* Quos eodem omnes studio, vigilia et cura genui.

55 *Cetera turba.* Reliqua librorum copia: et illam aperte praeferre inscriptiones suas dicit.

56 *Hi quoque.* Hi tres *de Arte amandi* libri etiam docent amare. || *Quod nemo nescit.* Quod omnes sciunt.

57 *Si satis oris.* Os Latinis non raro valet audaciam, impudentiam. ||*Oedipodas, Telegonosque.* Similes Oedipo et Telegoni, ac per hoc parricidas: uterque enim patrem suum, licet inscius, interfecerunt: ita illi me auctorem ac parentem suum in exsilium, quod mihi mortis instar, et morte etiam acerbius est, pepulerunt.

58 *Deque tribus.* De tribus scilicet libris *de Arte amandi* || *Parentis.* Pater Ovidius si tibi curae et cordi est, et illum offendere vereris. || *Quamvis ipse docebit.* Quamvis aliquis ex tribus libris tradet amandi praecepta

59 *Sunt quoque mutatae.* Metamorphoseon opus intelligit, quod quindecim constat libris || *Ab exsequiis.* A meo exsilio, quo consternatus Poëta non potuit tanto operi postremam manum imponere. Nam illo discessu e patria, quasi ad rogum visus est efferri.

60 *Inter mutata referri.* Hoc est, posse numerari inter ceteras eius operis transformationes.

63 Quod si, quae subeunt, tecum, Liber, omnia ferres,
Sarcina laturo magna futurus eras.
64 Longa via est; propera. Nobis habitabitur orbis
Vltimus; a terra terra remota mea.

ELEGIA II.

ARGVMENTVM In exsilium proficiscens Poëta, iubente Augusto, deprehensusque in medio mari, fluctibusque pene eum obruentibus, Deos precatur, ut ipsi saltem ignoscant, nec cum Caesare ipsum funditus perdant; probatque multis exemplis posse eos id facere. Describit deinde tempestatem: tum Deos orat, ut se incolumem ad Tomitas perducant.

1 Di maris et caeli, quid enim nisi vota supersunt?
Solvere quassatae parcite membra ratis:
2 Neve, precor, magni subscribite Caesaris irae.
Saepe, premente Deo, fert Deus alter opem.
3 Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo;
Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
4 Oderat Aenean propior Saturnia Turno;
Ille tamen Veneris numine tutus erat.

63 *Quae subeunt.* Quae in mentem veniunt.

64 *Orbis ultimus.* Vltimum orbem appellat plagam, ubi exsulabat: quoniam Scythia ultima imperii pars erat. || *A terra mea.* Ab urbe Roma, vel a Sulmone patria.

1 *Di maris.* Deos maris intelligit Neptunum, Glaucum, Tritones, Palaemona, Phorcum, quos, fluctibus ipsum fere obruentibus, rogat, ut sibi parcant. || *Quassatae.* Navis tempestate concussae.

2 *Subscribite.* Hoc est, ne me obruatis irae Caesaris obsecundantes. *Subscribere* pro *morem gerere* et *assentire.* || *Saepe premente Deo.* Docet Deos in clade alicuius non semper esse concordes; quod ex Homero fit liquidissimum. Sunt enim illic Dii diversarum partium.

3 *Mulciber.* Vulcanus, qui erat contra Troianos. *Mulciber* dicebatur, ut Macrobius docet, quod ignis sit, et omnia mulceat ac domet. || *Apollo.* Ostendit Homerus l. V. *Iliad.* Apollinem favisse Troianis. Hinc etiam Paridis sagittam in Achillis eam corporis partem, quae vulnerabilis esset, direxit.

4 *Oderat Aeneam.* Praelium Aeneae et Turni, quorum alteri

5 Saepe ferox cautum petiit Neptunus Vlixem;
Eripuit patruo saepe Minerva suo.
6 Et nobis aliquod, quamvis distamus ab illis,
Quid vetat irato numen adesse Deo?
7 Verba miser frustra non proficientia perdo:
Ipsa graves spargunt ora loquentis aquae:
8 Terribilisque Notus iactat mea dicta; precesque,
Ad quos mittuntur, non sinit ire Deos.
9 Ergo idem venti, ne caussa laedar in una,
Velaque nescio quo, votaque nostra ferunt?
10 Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum!
Iam iam tacturos sidera summa putes.
11 Quantae diducto subsidunt aequore valles!
Iam iam tacturas Tartara nigra putes.
12 Quocunque adspicias, nihil est nisi pontus et aër;
Fluctibus hic tumidis, nubibus ille minax.
13 Inter utrumque fremunt immani turbine venti.
Nescit, cui domino pareat, unda maris.

Iuno favebat, alteri vero Venus, notum est Virgilii carmine.|| *Saturnia*. Iuno, Saturni filia.

5 *Saepe ferox*. Neptunus iratus quod Vlixes prius Palamedem nepotem insontem occidisset, deinde Polyphemum filium obcoecasset, decem annos per mare illum insequutus est; cui semper adfuit Pallas. Quod ideo finxit Homerus, quoniam ille comitem habuit Prudentiam, quam poëtico modo *Minervam* nuncupavit: qua comite omnia horrenda subiit, omnia adversa superavit. || *Cautum*. Vbique Vlyxes ab Homero ut versutus, callidus, vafer, ac simulator introducitur. || *Patruo suo*. Neptuno, Iovis fratre, cuius erat filia Pallas.

6 *Et nobis*. Ordo est: Et quis vetat aliquod numen adesse nobis, irato Deo, h. e. Augusto? || *Quamvis distamus*. Quamvis non sum comparandus illis, quos antea dixi.

7 *Verba .... non proficientia*. Quia tempestas non cessat.

8 *Notus*. Auster saevissimus; qui ventus a meridionali plaga spirat.

9 *Ne caussa laedar in una*. Ne solo puniar exsilio, sed pluribus modis.

10 *Montes volvuntur aquarum*. Hyperbole. Fluctus instar montium.

11 *Tartara*. H. e. infimum fundum, quia Tartara omnium sunt ima.

13 *Inter utrumque*. Inter pontum et aërem. || *Immani turbine*. Magna ventorum volubilitate, nec

14 Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu;
Nunc Zephyrus sero vespere missus adest:
15 Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto;
Nunc Notus adversa proelia fronte gerit.
16 Rector in incerto est: nec quid fugiatve petatve,
Invenit. Ambiguis ars stupet ipsa malis.
17 Scilicet occidimus, nec spes, nisi vana, salutis:
Dumque loquor, vultus obruit unda meos.
18 Opprimet hanc animam fluctus: frustraque precanti
Ore necaturas accipiemus aquas.
19 At pia nil aliud quam me dolet exsule coniux:
Hoc unum nostri scitque gemitque mali.
20 Nescit in immenso iactari corpora ponto;
Nescit agi ventis; nescit adesse necem.

sine fragore, proxima quaeque prosterneute. || *Nescit cui domino.* Caussa subiicitur. Quia cum sint quatuor venti: Eurus ab ortu luctatur cum Zephyro ab occasu: Boreas a septentrione spirat adversus Austrum a meridie. Quare in medio pelagus necessario extumescit, et cui pareat nescit, id est, cuius flatibus obtemperet.

14 *Eurus.* Ab oriente sole. || *Capit vires.* Violentius spirat. || *Ab ortu purpureo.* Ab oriente rutilo propter aurorae colorem purpureum. || *Zephyrus.* Latine *Favonius* a fovendo dictus. || *Sero vespere.* Ab occidentali plaga.

15 *Gelidus Boreas.* Frigidus Aquilo, sic dictus a vehementissimo volatu instar aquilae. || *Bacchatur.* Saevit. || *Ab Arcto sicca.* A sicco septentrione, quia Vrsae nunquam occidunt, nec in mare descendunt. *Arctos* autem graece, latine *ursam* significat, in quam Calisto Lycaonis filia mutata in septentrione locum obtinuit. || *Adversa fronte.* Est enim Notus Boreae oppositus, siquidem a meridie flat.

16 *Rector.* Navis gubernator. || *Quid fugiatve petatve.* Quem ventum vitet, aut quem locum petat || *Ars ipsa.* Ipsa navigandi peritia || *Ambiguis malis.* Mala ambigua appellat ventos illos adversos et inter se pugnantes, propterea quod navis magistrum dubium reddunt quid agendum sit.

18 *Opprimet hanc animam.* Pereundum est in his fluctibus. *Anima* pro vita. || *Frustraque precantes.* Et nequidquam Deos orantes.

19 *Quam me dolet.* Dolori est illi hoc unum quod mittor in exilium. Quanto magis cruciaretur si sciret me iactari hac tempestate, versarique in mortis ipsius faucibus?

21 Di bene, quod non sum mecum conscendere passus,
Ne mihi mors misero bis patienda foret!
22 At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo,
Dimidia certe parte superstes ero.
23 Heu mihi! quam celeri micuerunt nubila flamma!
Quantus ab aetherio personat axe fragor!
24 Nec levius laterum tabulae feriuntur ab undis,
Quam grave balistae moenia pulsat onus.
25 Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes;
Posterior nono est, undecimoque prior.
26 Nec letum timeo: genus est miserabile leti.
Demite naufragium; mors mihi munus erit.
27 Est aliquid, fatove suo ferrove cadentem
In solita moriens ponere corpus humo;

21 *Mecum conscendere.* Volebat enim uxor Poëtae exsilii comes esse. || *Mors bis patienda.* Quoniam in coniugibus una est quodammodo anima, et vita alterius est in altero; et vivit, vigetque in viro uxor, et in uxore vir.

23 *Axe.* Caelo: scilicet pars pro toto. || *Quantus fragor.* Tonitrua intellige.

24 *Tabulae laterum.* Tabulae navis, quae sunt in lateribus || *Nec levius feriuntur.* Non minore impetu, aeque valida vi quassantur. || *Grave onus balistae.* Gravia pondera et saxa, quae vibrantur a balistis. Est autem *balista* tormentum, quo saxa maiora et graviora mittuntur.

25 *Posterior nono est, undecimoque prior.* Fluctum intelligit, quem Poëtae *decimum* sive *decumanum* appellant, h. e. maximum. Veteribus enim maxima audiebant *decumana*. Hinc *ova decumana*, *porta decumana* etc. etc.

26 *Genus est miserabile leti.* Grave enim (ut docet Homerus) perire naufragio; quia anima ignea est, et extingui videtur in aqua elemento contrario: tum quia sic morientes piscibus esca fiunt, nec tumulo mandantur.

27 *Est aliquid.* Ordo est: Est alicuius momenti pro homine cadente vel suo fato vel ferro, ponere corpus moriens in solita humo. Quibus verbis mortem naturalem et violentam, manu scilicet et ferro in acie allatam, tangit. Vtramvis mavult, quam extingui in aquis, et carere sepulcro. || *In solita humo.* In natali solo, ubi natus, educatus sis, et vitam omnem vixeris, apud tuos. Vel *in solita humo*, quae hominum propria sedes est, ut aqua piscium.

28 Et mandare suis aliquid, sperare sepulchra,
Et non aequoreis piscibus esse cibum.
29 Fingite me dignum tali nece: non ego solus
Hic vehor. Immeritos cur mea poena trahit?
30 Pro Superi, viridesque Dei, quibus aequora curae!
Vtraque iam vestras sistite turba minas.
31 Quamque dedit vitam mitissima Caesaris ira,
Hanc sinite infelix in loca iussa feram.
32 Si, quam promerui, poenam me pendere vultis,
Culpa mea est, ipso iudice, morte minor.
33 Mittere me Stygias si iam voluisset ad undas
Caesar, in hoc vestra non eguisset ope.
34 Est illi nostri non invidiosa cruoris
Copia: quodque dedit, cum volet, ipse feret.
35 Vos modo, quos nullo certe puto crimine laesos,
Contenti nostris, Dî, precor, este malis.
36 Nec tamen, ut cuncti miserum servare velitis,
Quod periit, salvum iam caput esse potest.

28 *Et mandare suis aliquid.* Aequiore animo ex hac luce discedunt, qui, quae voluerunt, suis mandaverint; quae mandata ultimae voluntatis dicuntur.

29 *Tali nece* Tali morte ut peream naufragio. || *Non ego solus.* Parcendum est ceteris, qui mecum sunt in eadem navi.

30 *Viridesque Dei.* Dii maris viridis. || *Vtraque turba.* Et caeli et maris Dii. || *Minas.* Minae caelestium sunt tonitrus, fulmina; marinorum, venti et fluctus. Orat ergo caelum serenum, et pelagus quietum.

31 *In loca iussa.* In Ponticam oram.

32 *Culpa mea.* Crimen meum, ipso Augusto iudice, non est tantum, ut morte plectendus sim.

33 *Stygias undas.* Ad inferos. Illi enim dicuntur mitti ad undas stygias, qui intereunt.|| *Vestra non eguisset ope.* Romae enim non deerant gladii, et carnifices.

34 *Non invidiosa.* Non conciliatura illi invidiam. Vt sit sensus: Potest me Caesar interficere, quum libet; quae res nullam illi concitabit invidiam propter mea peccata. || *Cruoris copia.* Penes Augustum est mortis meae potestas. || *Quodque dedit.* Vitam, quam mihi Austus concessit.

36 *Vt cuncti.* H. e. quamvis cuncti velitis. || *Servare.* Servare aliquem est in tutum locum ali-

37 Vt mare considat, ventisque ferentibus utar,
Vt mihi parcatis, num minus exsul ero?
38 Non ego, divitias avidus sine fine parandi,
Latum mutandis mercibus aequor aro:
39 Nec peto, quas quondam petii studiosus, Athenas;
Oppida non Asiae, non loca visa prius.
40 Non ut, Alexandri claram delatus in urbem,
Delicias videam, Nile iocose, tuas.
41 Quod faciles opto ventos, quis credere possit?
Sarmatis est tellus, quam mea vota petunt.
42 Obligor, ut tangam laevi fera littora Ponti;
Quodque sit a patria tam fuga tarda, queror.
43 Nescio quo videam positos ut in orbe Tomitas,
Exilem facio per mea vota viam.
44 Seu me diligitis, tantos compescite fluctus;
Pronaque sint nostrae numina vestra rati:

quem perducere; alicui salutem afferre.

38 *Mutandis mercibus.* Commutandis mercibus. Solent enim mercatores merces mercibus mutare. || *Aro.* Navigo.

39 *Nec peto, quas petii.* Nec eo Athenas studendi gratia, ut olim. Romani enim ad percipiendam sapientiam eo concedebant, et in studio litterarum ac philosophia septennium ibidem consumebant. Athenae autem vocatae sunt a Minerva, quae graece *Athena* dicitur.

40 *Alexandri in urbem.* Alexandriam intelligit, quam in Aegypto conditam de suo nomine appellavit Magnus Alexander. Haec luxui, ludis et iocis, ac vitae molli et voluptariae dedita fuit. || *Tuas delicias.* Tuos iocos. || *Nile iocose.* Nilum ideo *iocosum* appellat, quoniam Canopi erat Serapidis templum, quod ab Alexandria xx. stadiis distabat. Eo ingens ex Alexandria turba per fossam ad solemnia descendebat. Nam die ac nocte naviculis plena erat virorum ac mulierum canentium ac saltantium, a quorum iocis Poëta *Nilum iocosum* appellavit.

41 *Quis credere possit.* Scilicet quempiam optare ventos, quibus deferatur in terram incultam, horridam, barbaram, in fine orbis positam, ut ibi misere vivat, res est supra fidem. || *Tellus Sarmatis.* Sarmatia; regio, cuius pars sita est in Europa, pars vero in Asia.

42 *Laevi Ponti.* Maris Pontici a laeva parte. || *Fera littora.* Fera appellat propter gentes crudeles, illic habitantes.

43 *Tomitas.* Tomos urbs fuit in Getico littore; sic dicta quoniam illic Medea fratrem trucidavit.

45 Seu magis odistis, iussae me advertite terrae.
Supplicii pars est in regione mei.
46 Ferte, quid hic facio? rapidi mea carbasa venti.
Ausonios fines cur mea vela vident?
47 Noluit hoc Caesar: quid, quem fugat ille, tenetis?
Adspiciat vultus Pontica terra meos.
48 Et iubet, et merui: nec, quae damnaverit ille,
Crimina defendi fasve piumve puto.
49 Si tamen acta Deos nunquam mortalia fallunt,
A culpa facinus scitis abesse mea.
50 Immo ita, vos scitis; si me meus abstulit error,
Stultaque mens nobis, non scelerata, fuit;
51 Quamlibet e minimis, domui si favimus illi;
Si satis Augusti publica iussa mihi;
52 Hoc Duce si dixi felicia saecula; proque
Caesare tura pius Caesaribusque dedi;

45 *Iussas terrae.* Sarmaticae orae || *Supplicii pars est.* Conditio supplicii mei est vivere miserrime in Sarmatia.

46 *Ferte.* Ventos perseverantes increpat Poëta per Apostrophen. Ferte me quo debetis. An etiam vos mihi exsilium invidetis? || *Ausonios fines.* Italiae fines. Vi enim tempestatis referebantur in Italiam, relicto priori cursu.

47 *Noluit hoc Caesar.* Caesar edixit ne in Italiam redirem.|| *Quem fugat.* In exsilium eiicit.

48 *Et iubet.* Et vult me proficisci in exsilium.

49 *Deos nunquam fallunt.* Sciunt enim Dii quidquid omnino homines agunt. || *A mea culpa.* A meo scelere. Poëta autem peccatum suum errorem fuisse fatetur, non scelus; et per inprudentiam id commisisse, cuius caussa postea eum Augustus in exsilium eiecit.

50 *Si me meus abstulit error.* Ordo est: Imo, o Divi, parcite, si ita scitis, scilicet facinus abesse a mea culpa, et si meus error abstulit me. etc. etc.||*Stultaque mens.* Mens imprudens et improvida. || *Non scelerata.* Non sceleri obnoxia.

51 *Quamlibet e minimis.* Licet fuerim e minimis familiae Caesaris Augusti favens || *Si satis Augusti.* Si Augusti iussis mittentis me in exsilium, perinde ac publicis, quamprimum parui. *Publica* enim *iussa* appellat, quae iudiciali more solent pronunciari, et referri in acta, assignata caussa cur in reum animadvertatur: quod quum non fecerit Augustus, se tamen fatetur paruisse.

52 *Si dixi felicia saecula.* Si

53 Si fuit hic animus nobis; ita parcite, Divi.
Sin minus, alta cadens obruat unda caput.
54 Fallor? an incipiunt gravidae vanescere nubes,
Victaque mutati frangitur ira maris?
55 Non casus, sed vos sub conditione vocati,
Fallere quos non est, hanc mihi fertis opem.

ELEGIA III.

ARGVMENTVM. Miserabiliter exponit Poëta consternationem illam, qua affectus est postquam Caesar eum iussit in exsilium abire: quidque ea nocte etiam egerit, quae fuit ipsi in Vrbe novissima, declarat. Miserabilius deinde uxoris, et domesticorum lacrimas describit.

1 Cum subit illius tristissima noctis imago,
Quae mihi supremum tempus in Vrbe fuit:
2 Cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,
Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.

dixi felicia saecula sub hoc Duce peracta. Scribit etiam Strabo nunquam tantam pacis facultatem, tantamque bonorum copiam Romanis fuisse, quantam Augustus suppeditavit. || *Caesaribusque.* Tiberium, eiusque filium Germanicum, Drusumque intelligit.

53 *Si fuit.* Et si mens nostra fuit talis in Augustum, qualem diximus. Orantibus in more est adducere merita sua, quo flectantur facilius quos orant. || *Sin minus.* H. e. Si non fuit talis animus in Caesarem.

54 *Gravidae evanescere nubes.* Exauditum se a Diis significat; tum quia nubes dissipentur in nihilum, tum quia fluctus subsidant.

55 *Sub conditione vocati.* Non, inquit, casu mihi ignoscitis, sed ea conditione, qua vos oravi, ut si fui in Caesarem, eiusque domum, summo benevolentissimo, tempestas evanesceret. || *Fallere quos non est.* Quos non possumus fallere.

1 *Cum subit.* Quum in mentem venit. || *Supremum tempus.* Ea enim nocte sola licebat Poëtae in Vrbe permanere, et surgente Lucifero coactus se in viam dare.

2 *Tot mihi cara.* Patriam, uxorem, domum, amicos, urbem, etc. || *Nunc quoque.* Id est, nunc, quum scribens haec recordor. || *Gutta.* Lacrimae.

3 Iam prope lux aderat, qua me discedere Caesar
Finibus extremae iusserat Ausoniae.
4 Nec mens, nec spatium fuerant satis apta paranti:
Torpuerant longa pectora nostra mora.
5 Non mihi servorum, comitis non cura legendi;
Non aptae profugo vestis opisve fuit.
6 Non aliter stupui, quam qui Iovis ignibus ictus
Vivit, et est vitae nescius ipse suae.
7 Vt tamen hanc animo nubem dolor ipse removit,
Et tandem sensus convaluere mei;
8 Alloquor extremum moestos abiturus amicos,
Qui modo de multis unus et alter erant.
9 Vxor amans flentem, flens acrius ipsa, tenebat,
Imbre per indignas usque cadente genas.
10 Nata procul Libycis aberat diversa sub oris;
Nec poterat fati certior esse mei.

3 *Finibus Ausoniae.* Extremae, ultimae Italiae.

4 *Nec mens.* Quia consternati subita aliqua clade, quid agendum sit ignorant. || *Nec spatium.* Nec tempus, nec intervallum. || *Torpuerant.* Sensu caruerant.

5 *Non mihi.* Ordo est: Cura servorum, et cura legendi comites, et cura vestis et opis aptae, h. e. exsuli convenienti, non fuit mihi profugo.

6 *Stupui.* Fui attonitus. || *Quam qui Iovis ignibus ictus vivit.* Quam qui tactus fulmine stupet. || *Et est vitae nescius.* Ignorat an vivat.

7 *Hanc animi nubem.* Hanc consternationem, et stuporem mentis. Quemadmodum enim nubes caeli serenitatem foedat; ita moeror et tristitia, animi lucem et oris hilaritatem confundit ac maculat. || *Convaluere.* Caeperunt resipiscere.

8 *Qui modo de multis.* Pauci in amicitia permanserunt, reliqui calamitate Poëtae mutati sunt. Inter eos, qui in amicitiae officio perstiterant, Carum, Celsum et Maximum laudat pluribus in locis.

9 *Flens acrius ipsa.* Tenerior enim natura foeminea, et praesertim bonae coniugis. || *Imbre.* Hyperbole eam continenter et uberrime plorasse indicat. || *Indignae genae.* H. e. genae, quae tanto fletu irrigari non debuerunt; quoniam uxor ut sic se lacrimis maceraret non erat merita.

10 *Nata.* Filia Perilla, quae virum in Africam secuta fuerat. || *Nec poterat.* Propter magnam loci distantiam.

11 Quodcunque adspiceres, luctus gemitusque sonabant;
Formaque non taciti funeris intus erat.
12 Foemina virque meo, pueri quoque, funere moerent:
Inque domo lacrimas angulus omnis habet.
13 Si licet exemplis in parvo grandibus uti,
Haec facies Troiae, cum caperetur, erat.
14 Iamque quiescebant voces hominumque canumque;
Lunaque nocturnos alta regebat equos.
15 Hanc ego suspiciens, et ab hac Capitolia cernens,
Quae nostro frustra iuncta fuere Lari;
16 Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,
Iamque oculis nunquam templa videnda meis;
17 Dìque relinquendi, quos Vrbs habet alta Quirini,
Este salutati tempus in omne mihi!

11 *Formaque*. Et species quaedam. || *Non taciti funeris*. In quo sunt magni gemitus: quales in funere amici alicuius esse solent. || *Intus erat*. Domi erat.

12 *Foemina virque pueri*. Erat nemo in aedibus, cuius oculi non stillarent lacrimis.

13 *Haec facies*. Talis luctus, qualis erat domi meae. || *Troiae*. Nota est historia huius civitatis eversionis, a Virgilio descripta, *Aeneid.* II.

14 *Iamque quiescebant*. Tempus illud noctis describit, quod Macrobius *Conticinium* appellat, quo et galli conticescunt, et homines quiescere solent. || *Alta regebat equos* Lucebat luna.

15 *Ab hac*. Post hanc, h. e. lunam. || *Capitolia*. Collem Capitolinum; inde sic dictum, quoniam in eo, cum fundamenta aedis Iovis foderentur, *caput* humanum repertum fuerat. || *Nostro Lari*. Nostrae domui. *Lares* enim quum essent Dii domestici, qui credebantur custodire domos, pro domibus ipsis sumebantur. Illis focus erat sacer. Ab iisdem nomen habuit *Lararium*, h. e. sacrarium domesticum, in quo adorabantur. || *Frustra*. Frustra, inquit, quia nobis non profuerunt, quum praesentia numinum ea inhabitantium vicinos quoque tueri debuisset.

16. *Numina vicinis*. Iovem Capitolinum, Iunonem, Minervam, et ceteros designat, qui in Capitolio colebantur Valedicit ergo et Diis et loco.

17 *Vrbs alta* Roma. || *Quirini*. Romuli, a quo Roma condita. || *Este salutati*. Deos compellantes salutabant veteres Nos etiam cum abimus, dicimur *salutare*, et *salutem dicere* a quibus abimus. Et vulgo tritum est: ***insalutato hospite discedere.***

18 Et quamquam sero clypeum post vulnera sumo,
Attamen hanc odiis exonerate fugam;
19 Coelestique viro, quis me deceperit error,
Dicite; pro culpa ne scelus esse putet.
20 Vt, quod vos scitis, poenae quoque sentiat auctor.
Placato possum non miser esse Deo.
21 Hac prece adoravi Superos ego; pluribus uxor,
Singultu medios praepediente sonos.
22 Illa etiam ante Lares passis prostrata capillis
Contigit extinctos ore tremente focos;
23 Multaque in aversos effudit verba Penates,
Pro deplorato non valitura viro.
24 Iamque morae spatium nox praecipitata negabat,
Versaque ab axe suo Parrhasis Arctos erat.
25 Quid facerem? blando patriae retinebar amore;
Vltima sed iussae nox erat illa fugae.
26 Ah quoties aliquo dixi properante, Quid urges?
Vel, quo festines ire, vel unde, vide.

18 *Clypeum.* Praesidium ac tutelam Deorum, clypeum appellat || *Attamen hanc odiis.* Facite ut discedam absque Augusti odio: h. e. ne me ille odio prosequatur, posteaquam discessero.

19 *Caelestique viro* Augusto; qui et vivus et mortuus divinos meruit honores || *Quis error.* Qualis error, et imprudentia. || *Pro culpa.* Pro errore: nam scelus, odium; culpa, veniam meretur.

20 *Quod vos scitis.* Nempe, me per imprudentiam errasse. || *Auctor poenae* Augustus, auctor exsilii. || *Placato Deo.* Augusto lenito.

21 *Medios sonos.* Media et imperfecta verba.

23. *Pro deplorato* Est *deploratum* idem ac *desperatum*, cui medicina nulla mederi potest.

24 *Nox praecipitata.* Aurorae vicina: et est notatio imminentis diluculi. || *Versaque ab axe*, etc. Auroram designat, qua plaustrum caeleste in orientem vertitur || *Versa erat.* In orientem spectabat. || *Ab axe suo.* Ab eius rotis || *Arctos* Vrsa maior Quae enim *Arctos* graece, latine *Vrsa* appellatur. || *Parrhasis* H. e. *Arcadica.* Vrsa enim ita appellata est, quia Calisto, quae in eam versa fuit, erat filia Licaonis regis Arcadiae.

25 *Blando patriae retinebar.* Exitum et discessum retardabat insitus cuique nostrum amor patriae. || *Vltima sed iussae.* Iis, qui relegabantur, dies excedendi a praesidibus dari solebat.

26 *Quo.....vel unde. Quo*: in extremum orbem; *unde*: a pa-

27 Ah quoties certam me sum mentitus habere
Horam, propositae quae foret apta viae.
28 Ter limen tetigi; ter sum revocatus: et ipse
Indulgens animo pes mihi tardus erat.
29 Saepe, Vale dicto, rursus sum multa locutus,
Et quasi discedens oscula summa dedi.
30 Saepe eadem mandata dedi; meque ipse fefelli,
Respiciens oculis pignora cara meis.
31 Denique, Quid propero? Scythia est, quo mittimur, (inquam:
Roma relinquenda est: utraque iusta mora est.
32 Vxor in aeternum vivo mihi viva negatur;
Et domus, et fidae dulcia membra domus.
33 Quosque ego fraterno dilexi more sodales;
O mihi Thesea pectora iuncta fide!
34 Dum licet, amplectar: nunquam fortasse licebit
Amplius. In lucro, quae datur hora, mihi est.
35 Nec mora; sermonis verba imperfecta relinquo,
Complectens animo proxima quaeque meo.

tria. In locum nempe teterrimum a iucundissimo.

28 *Ter limen tetigi* Adeo sinistrum omen putabant veteres limen offendere cum domum ingredentur, vel domo egredentur, ut id, quod tum facturi erant, prospere sibi contingere non posse crederent || *Indulgens animo pes.* Pes nolens discedere, ut Poëtae morem gereret || *Tardus erat.* Erat lentus ad discedendum.

29 *Oscula summa.* Oscula suprema et ultima.

30 *Meque ipse fefelli.* Ostendebam enim non dedisse ea mandata, quae dederam. || *Pignora cara.* Vxorem, et domesticos omnes, non liberos; unicam quippe filiam habebat, et ea tum erat in Africa.

31 *Scythia est* Sarmatia enim, qua vehebatur Ovidius, in Scythia est. || *Vtraque iusta mora.* Ne in Scythiam, scilicet, properem, aut Romam relinquam.

32 *Dulcia membra.* Amicos, domesticos, servos, aut etiam divitias: haec enim omnia sunt membra domus.

33 *Thesea fide.* Amore fido, qualis fuit Thesei in Pirithoum.

34 *In lucro.* Videor nunc tempus illud lucrari, quo vobiscum moror: nam fortasse non amplius licebit.

35 *Proxima meo animo.* Mihi carissima.

36 Dum loquor, et flemus; caelo nitidissimus alto
Stella gravis nobis, Lucifer ortus erat.
37 Dividor haud aliter, quam si mea membra relin-
Et pars abrumpi corpore visa suo est. (quam;
38 (Sic [redacted] doluit, tunc cum in contraria versos
Vltores habuit proditionis equos.)
39 Tum vero exoritur clamor gemitusque meorum;
Et feriunt moestae pectora nuda manus.
40 Tum vero coniux, humeris abeuntis inhaerens,
Miscuit haec lacrimis tristia dicta suis:
41 «Non potes avelli: simul ah simul ibimus, inquit:
Te sequar; et coniux exsulis exsul ero.
42 Et mihi facta via est; et me capit ultima tellus.
Accedam profugae sarcina parva rati.
43 Te iubet e patria discedere Caesaris ira;
Me pietas. Pietas haec mihi Caesar erit.»
44 Talia tentabat: sic et tentaverat ante:
Vixque dedit victas utilitate manus.
45 Egredior, sive illud erat sine funere ferri,
Squalidus immissis hirta per ora comis.

36 *Stella gravis nobis.* Quod ea diem duceret, molestum propter in exsilium profectionem. || *Lucifer.* Phosphorus quum antegreditur solem, dicitur *Lucifer*; quum subsequitur, *Hesperus*.

38 *Priamus.* Troianorum ultimus rex, Laomedontis filius. || *In contraria versus* In noxam sententiam raptus; quia Sinoni crediderat, equo in urbem tracto, omnia Troiae prospera eventura; sed contrarium contigit dum Troia eo capta est || *Equus proditionis.* Equus ligneus, qui prodidit Troianos Graecis. || *Habuit ultores.* Habuit latentes in eius cavernis Graecos ultores Paridem, qui Helenam proditione rapuerat.

42 *Vltima tellus.* Scytica et Septenptrionalis regio.

44 *Vixque dedit victas manus.* Difficile cessit. *Dare* enim *manus victas* est se victum fateri. || *Vtilitate.* Sua, nempe coniugis; quamquam et mea, qui dolorem eius, assiduasque lacrimas et squalorem coram adspicere non potuissem.

45 *Sive illud erat sine funere ferri.* Sive meus ille dicessus erat potius elatio quaedam vivi hominis citra ullam mortem et funus. *Ferri* enim, seu *efferri*, dicuntur proprie cadavera, quum ad sepulturam

46 Illa dolore amens tenebris narratur obortis
Semianimis media procubuisse domo.
47 Vtque resurrexit, foedatis pulvere turpi
Crinibus, et gelida membra levavit humo;
48 Se modo, desertos modo complorasse Penates,
Nomen et erepti saepe vocasse viri:
49 Nec gemuisse minus, quam si nataeve meumve
Vidisset structos corpus habere rogos:
50 Et voluisse mori; moriendo ponere sensus:
Respectuque tamen non posuisse mei.
51 Vivat: et absentem, quoniam sic fata tulerunt,
Vivat, et auxilio sublevet usque suo.

ELEGIA IV.

ARGVMENTVM. Saevissimam tempestatem in Ionio mari cohortam describit, qua territi etiam nautae salutem desperabant.

1 Tingitur Oceano custos Erymanthidos Vrsae,
Aequoreasque suo sidere turbat aquas:

portantur. || *Hirta per ora*. Per faciem barbatam. In luctu enim capillum et barbam veteres non tondebant.

46 *Tenebris obortis*. Exanimatio, vel animi defectio significatur.

49 *Nataeve*. Filiae Perillae. || *Corpus*. Lignis ad comburendum esse impositum: nam corpora mortuorum solebant cremari. || *Structos rogos*. Rogum est strues lignorum ad cremanda cadavera facta.

50 *Ponere sensus*. Ne sentiret tantos dolores mei exsilii; quam rem sola mors praestat.

51 *Et absentem .... sublevet*. Et opem ferat mihi absenti. || *Quoniam sic fata tulerunt*. Vt ab uxore separarer exsilio. || *Et auxilio*. Vel rebus quibusdam necessariis submittendis, vel supplicando pro se.

1 *Tingitur Oceano*. Id est: occidit. || *Custos Erymanthidos Vrsae*. *Arctophylax*, nempe (quae vox interpretatur *custos Vrsae*), qui fuit custos Calistonis in ursam mutatae, *Erymantis* dicta ab Erymanto, Arcadiae monte. Idem etiam appellatur *Bootes*. Oritur III. id. febr., occidit IV. id. mart. || *Tur.*

2 Nos tamen Ionium non nostra findimus aequor
Sponte; sed audaces cogimur esse metu.
3 Me miserum! quantis increscunt aequora ventis;
Erutaque ex imis fervet arena vadis!
4 Monte nec inferior prorae puppique recurvae
Insilit, et pictos verberat unda Deos.
5 Pinea texta sonant; pulsi stridore rudentes:
Adgemit et nostris ipsa carina malis.
6 Navita confessus gelido pallore timorem
Iam sequitur victam, non regit arte, ratem.
7 Vtque parum validus non proficientia vector
Cervicis rigidae fraena remittit equo;
8 Sic non quo voluit, sed quo rapit impetus undae,
Aurigam video vela dedisse rati.
9 Quod nisi mutatas emiserit Aeolus auras,
In loca iam nobis non adeunda ferar.

bat aquas. Arctophylax enim ortu et occasu suo gravissimas ciet tempestates.

2 *Ionium.* Pars est maris Mediterannei, inter Cretam et Siciliam. || *Findimus aequor* Ab aratro tractum, quo telluri infunditur sulcus. Vnde *sulcare* et *arare aequor* legimus. || *Cogimur metu.* Metus enim Caesaris facit nos navigare, quamvis intempestivo mari.

4 *Prorae puppique. Prora* est anterior navis pars, *puppis* posterior || *Pictos Deos.* Deos pictos intelligit in ipsa puppi, in qua velut quoddam sacrarium erat, et in eo imagines aut statuae Deorum navis tutelarium.

5 *Pinea texta.* Aut navium latera, aut trabes illas intelligit, quibus tabulae navis affixae sunt. Veteres enim dicebant *texere naves*, et locum, in quo naves fabricabantur, *textrinum.* || *Aggemit.* Videtur mea caussa gemere. || *Carina.* Est infima navis pars.

6 *Gelido pallore timorem.* Timorem, qui frigidos homines reddit.

7 *Vtque parum validus.* Quemadmodum, inquit, qui nun potest infrenem equum regere, habenas dimittit, sic nauta vela reliquit, quae regere non poterat.

8 *Aurigam.* Navitam.

9 *Mutatas auras.* Ventos priores mutatos. Nam secundis ventis aliquot dies navigaverat Roma usque in Ionium: ubi postea, Bootae occasu, coorta tempestate, ventis contrariis referebatur in Italiam. || *Aeolus.* Ventorum rex.

10 Nam procul, Illyriis laeva de parte relictis,
Interdicta mihi cernitur Italia.
11 Desinat in vetitas, quaeso, contendere terras,
Et mecum magno pareat aura Deo.
12 Dum loquor, et cupio pariter timeoque revelli,
Increpuit quantis viribus unda latus!
13 Parcite, caerulei, vos parcite, numina ponti;
Infestumque mihi sit satis esse Iovem.
14 Vos animam saevae fessam subducite morti.
Si modo, qui periit, non periisse potest.

ELEGIA V.

ARGVMENTVM. Amici fidem laudat Poëta, quod etiam in adversis rebus eum nunquam deseruit; quam rem raros admodum ex tam multis sibi praestitisse fatetur. Simul eum adhortatur, ut in pristino amore persistat, nec Augustum timeat; si quidem tali cum amore delectari posse, argumentis comprobat. Demum fatetur, se plura mala Vlyxe perpessum fuisse in exsilio. Ille enim quandoque in patriam rediit: sibi vero nullam relictam esse spem reditus dicit, ni fortasse Augusti ira lenita fuerit.

1 O mihi post ullos nunquam memorande sodales,
O cui praecipue sors mea visa sua est;
2 Attonitum qui me, memini, carissime, primus
Ausus es alloquio sustinuisse tuo;

10 *Nam procul, Illyriis.* Ovidius in Pontum navigans a laeva habuit Illyriam; sed mutatis ventis, ea a dextra, a fronte Italia sita erat, ad quam vi tempestatis ferri videbatur.

11 *Magno Deo.* Augusto.

13 *Iovem.* Augustum.

14 *Animam fessam.* Dolore, metu, variis demum animi cogitationibus || *Si modo, qui periit.* Si modo ego tanquam mortuus, relegatus ad Scythas, perditus servari queo.

1 *Post ullos.* Ante alios omnes. || *Sors mea.* Meum infortunium.

2 *Attonitum.* Perturbatum, et denuntiatione exsilii ita consternatum, ut vix mente constarem. || *Alloquio.* Consolatione: *alloqui* enim speciatim sumitur pro *verba facere*

3 Qui mihi consilium vivendi mite dedisti,
Cum foret in misero pectore mortis amor;
4 Scis bene, cui dicam, positis pro nomine signis;
Officium nec te fallit, amice, tuum.
5 Haec mihi semper erunt imis infixa medullis;
Perpetuusque animae debitor huius ero.
6 Spiritus et vacuas prius hic tenuandus in auras
Ibit, et in tepido deseret ossa rogo;
7 Quam subeant animo meritorum oblivia nostro;
Et longa pietas excidat ista die.
8 Dî tibi sint faciles, et opis nullius egentem
Fortunam praestent, dissimilemque meae.
9 Si tamen haec navis vento ferretur amico,
Ignoraretur forsitan ista fides.
10 Thesea Pirithous non tam sensisset amicum,
Si non infernas vivus adisset aquas.
11 Vt foret exemplum veri Phoceus amoris,
Fecerunt Furiae, tristis Oresta, tuae.

consolandi gratia, teste Varrone de L. L. v. 7. || *Sustinuisse*. Erexisse.

3 *Cum foret in misero*. Cum cuperem et cogitarem mihi manu mea necem afferre; aut pertinaci ciborum abstinentia interire. Stulte enim veteres putabant quo se a miseriis eximerent, id honeste fieri posse.

4 *Positis pro nomine signis* Veretur Poëta amici nomen exprimere, ne et huic Augustus irascatur.

5 *Perpetuusque animae debitor*. Quoad vixero animam seu vitam meam abs te servatam tibi debebo.

6 *Spiritus et vacuas*. Prius me vita deficiet: prius moriar. || *Ossa rogo*. Corpus post mortem cremandum in rogo.

7 *Longa die*. Longo tempore.

8 *Di tibi sint*. Vtinam sint || *Faciles*. Propitii, faventes. || *Et opis nullius egentem*. Et faciant ut auxilio nullius habeas opus.

9 *Haec navis*. Haec mea fortuna || *Vento amico*. Favore et felicitate. || *Ista fides* Tuus in me amor.

10 *Thesea Pirithous*. Theseus erat Atheniensium princeps, Aegeique regis Athenarum filius; Pirithous autem Ixionis filius. Poetae fingunt Theseum et Pirithoum adisse inferos ad rapiendam Proserpinam.

11 *Vt foret exemplum*. Orestes, post matrem interfectam, a Furiis vexari caepit: qui accepto oraculo, carendi furoris caussa, cum amico Pilade (Phoceus dictus,

12 Si non Euryalus Rutulos cecidisset in hostes,
Hyrtacidae Niso gloria nulla foret:
13 Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.
14 Dum iuvat, et vultu ridet Fortuna sereno,
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
15 At simul intonuit, fugiunt; nec noscitur ulli,
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.
16 Atque haec exemplis quondam collecta priorum,
Nunc mihi sunt propriis cognita vera malis.
17 Vix duo tresve mihi de tot superestis amici:
Cetera Fortunae, non mea, turba fuit.
18 Quo magis, o pauci, rebus succurrite lapsis,
Et date naufragio littora tuta meo:
19 Neve metu falso nimium trepidate, timentes
Hac offendatur ne pietate Deus.

quia erat Strophii Phocensis filius), ad Colchos profectus est. || *Tuae Furiae.* Furor tuus, quo agitabaris, Orestes, ob matrem Clytemnestram interfectam.

12 *Si non Euryalus.* Erat Troianus optimus Nisi amicus, cum quo noctu Rutulorum castra ingressus multos hostes prostravit. Sed cum, instante iam die, uterque sese recipere studerent, in hostium equitatum inciderunt, a quo circumdatum Euryalum cum Nisus liberare nequiret, certissimo mortis periculo se maluit exponere, quam amicum deserere. Rem narrat Virgilius *Aen.* l. IX || *Hryrtacidae.* Filio Hyrtacii

13 *Scilicet ut fulvum.* Quemadmodum aurum igni, sic amici fides difficili tempore, et in adversis rebus probatur.

14 *Dum iuvat.* Dum fortuna alicui est secunda. || *Indelibatas.* Opes integras, nullo adhuc casu et detrimento imminutas || *Cuncta sequuntur.* Quia felicibus ad voluntatem fluunt omnia.

15 *Nec noscitur ulli.* Ab ullo. || *Intonuit.* Caepit fortuna alicui adversari. || *Fugiunt.* Amici ab eo discedunt || *Agminibus comitum.* Turba clientium, seu potius assentatorum.

17 *Cetera fortunae.* Reliqui fortunae meae, non mei fuerunt amici.

18 *Et date naufragio littora.* Estote mihi naufrago portus, benevolentiam Augusti reconciliando.

19 *Metu falso.* Metu inani. Ordo autem est: Vos nimium timentes falso metu, scilicet ne Deus (Augustus) offendatur hac pietate, ne trepidate.

20 Saepe fidem adversis etiam laudavit in armis,
Inque suis amat hanc Caesar, in hoste probat.
21 Caussa mea est melior, qui non contraria fovi
Arma; sed hanc merui simplicitate fugam.
22 Invigiles igitur nostris pro casibus oro,
Diminui si qua numinis ira potest.
23 Scire meos si quis casus desideret omnes,
Plus, quam quod fieri res sinit, ille petat.
24 Tot mala sum passus, quot in aethere sidera lucent,
Parvaque quot siccus corpora pulvis habet.
25 Multaque credibili tulimus maiora; ratamque,
Quamvis acciderint, non habitura fidem.
26 Pars etiam quaedam mecum moriatur oportet,
Meque velim possit dissimulante tegi.
27 Si vox infragilis, pectus mihi firmius aere,
Pluraque cum linguis pluribus ora forent;
28 Non tamen idcirco complecterer omnia verbis,
Materia vires exsuperante meas.
29 Pro duce Neritio docti mala nostra poëtae
Scribite: Neritio nam mala plura tuli.

20 *Saepe fidem.* Exemplis probat non esse ab amicis timendum Augustum. Siquidem in praelio illos etiam laudavit, qui hostibus fidem inviolatam praestitere. || *Inque suis.* In gentibus sibi subiectis. || *Hanc.* Scilicet fidem

21 *Non contraria fovi.* Coniurationi et conspirationi contra Augustum a quibusdam initae, alludit.

22 *Invigiles igitur.* Da vigilem operam mihi exsuli: in eam curam sedulus incumbe. || *Si qua.* Si aliqua ratione.

23 *Meos casus.* Omnia incommoda mea, molestiasque.

25 *Multaque credibili.* Supra quam cuique credibile est.

26 *Pars etiam quaedam.* Ingenium intelligit, quod prae nimio dolore nequit dignum aliquod componere || *Possit tegi.* Possit celari pars haec, ingenium nempe. || *Me dissimulante.* Me non ostendente ingenium meum: quod fieri nequit, poëmata enim iam antea ediderat, quibus ingenium Poëtae cognosci potuit.

28 *Complecterer omnia.* Mala omnia mea possem exprimere. || *Materia.* Malorum copiam, materiam appellat.

29 *Pro duce Neritio.* Pro duce Vlyxe. Est autem *Neritus* mons frondosus in insula Ithaca, quam tenuit Vlyxes. || *Neritio nam*

30 Ille brevi spatio multis erravit in annis
Inter Dulichias Iliacasque domos;
31 Nos, freta sideribus notis distantia mensos,
Sors tulit in Geticos Sarmaticosque sinus.
32 Ille habuit fidamque manum, sociosque fideles;
Me profugum comites deseruere mei.
33 Ille suam laetus patriam victorque petebat;
A patria fugio victus et exsul ego.
34 Nec mihi Dulichium domus est, Ithaceve, Sameve;
Poena quibus non est grandis abesse locis.
35 Sed quae de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii Roma Deûmque locus.
36 Illi corpus erat durum patiensque laborum;
Invalidae vires ingenuaeque mihi.
37 Ille erat assidue saevis agitatus in armis;
Assuetus studiis mollibus ipse fui.

mala. Pluribus malis vexatus fui quam Vlyxes

30 *Inter Dulichias, Iliacasque*. Inter Dulichium, et Troiam. *Dulichium* insula est de qua inferius.

31 *Mensos*. Participium a verbo *mentior*. || *Sors tulit*. Sors mala, Fatum. In Geticos et Sarmaticos ergo sinus, in gentes barbarorum, non in patriam ad caram Penelopen et filium Telemachum, ut ille Vlyxes, ego Poëta delatus sum.

33 *Laetus ... victorque*. Hoc dicit propter excidium Ilii. || *Victus*. Condemnatus.

34 *Dulichium*. Insula est ex Echinatibus una, quae postea *Dolica* appellata fuit. Fuitque haec insula Vlyxi subdita, qui propterea *Dulichius* quandoque est dictus. || *Ithaceve*. Ithaca insula est, quae ad stadia LXXX in circuitu patet. Corcyrae insulae maximae adiacet, atque in ea *Neritia*, tellus optatissima, et ipsa Vlyxis patria. || *Sameve*. Samos, sive Same, insula est, quae olim quatuor continebat urbes, ex quibus una *Samus*. Eadem *Cephalenia* appellatur. || *Poena ... grandis*. Non magna molestia est; etenim non urbes sunt, quae comparari possint cum urbe Roma.

35 *De septem...... montibus*. Roma enim septem colles complexa est, qui sunt mons Capitolinus, Aventinus, Palatinus, Esquilinus, Caelius, Quirinalis et Viminalis: unde urbs *septicollis* dicta. || *Locus imperii*. Sedes imperatorum, vel locus ad imperandum idoneus, utpote in medio Italiae situs. || *Deûmque*. Et Deorum.

37 *Saevis agitatus in armis*. Vexatus et exercitatus in bello Troiano. || *Studiis mollibus*. Literato

38 Me Deus oppressit, nullo mala nostra levante;
Bellatrix illi Diva ferebat opem.
39 Cumque minor Iove sit, tumidis qui regnat in un-
Illum Neptuni, me Iovis ira premit. (dis;
40 Adde, quod illius pars maxima ficta laborum est;
Ponitur in nostris fabula nulla malis.
41 Denique quaesitos tetigit tamen ille Penates;
Quaeque diu petiit, contigit arva tamen.
42 At mihi perpetuo patria tellure carendum est,
Ni fuerit laesi mollior ira Dei.

ELEGIA VI.

Argumentum. Vxoris fidem, et industriam laudat Poëta, quod, cum nonnulli avidissime inhiarent eius opibus, ipsa ingenio, et amicorum praesidio, integra omnia servaverit. Vnde Poëta verecunde tantum pollicetur, eam fore suis carminibus immortalem.

1 Nec tantum Clario Lyde dilecta poëtae;
Nec tantum Coo Battis amata suo est;
2 Pectoribus quantum tu nostris, Vxor, inhaeres:
Digna minus misero, non meliore viro.

ocio, et ab omni strepitu abhorrenti.

38 *Me Deus. Deum*, Augustum accipe. || *Bellatrix Diva.* Minerva, quae Vlyxis comes fuit, quoniam ille in rebus omnibus utebatur Prudentia, cuius Pallas Dea est.

39 *Tumidis qui regnat in undis.* Neptunum dicit. || *Iovis ira.* Augusti odium; qui tunc Poëtae erat summus Iupiter.

40 *Pars maxima ficta.* Multa falsa de Vlyxe narravit Homerus, qui tamen sapienter finxit, sed fabulis rerum veritatem texit. || *Fabula nulla.* Ego non, ut Homerus, caussam fingendi ullam habeo.

41 *Quaesitos Penates.* Patriam, quam multos annos errabundus quaesivit. || *Diu petiit.* Decem annis.

42 *Ni fuerit laesi.* Ni Augustus, a me offensus, capiatur misericordia mei.

1 *Clario... poetae.* Accipe Antimachum, Colophonium patria; propterea *Clarius* appellatus, eo quod Colophon erat prope Clarium lucum, insignem ob Apollinis oracu-

3 Te mea, supposita veluti trabe, fulta ruina est:
Si quid adhuc ego sum, muneris omne tui est.
4 Tu facis, ut spolium ne sim, neu nuder ab illis,
Naufragii tabulas qui petiere mei.
5 Vtque rapax, stimulante fame, cupidusque cruoris
Incustoditum captat ovile lupus:
6 Aut ut edax vultur corpus circumspicit, ecquod
Sub nulla positum cernere possit humo:
7 Sic mea nescio quis, rebus male fidus acerbis,
In bona venturus, si paterere, fuit.
8 Hunc tua per fortes virtus submovit amicos,
Nulla quibus reddi gratia digna potest.
9 Ergo quam misero, tam vero, teste probaris;
Hic aliquod pondus si modo testis habet.

lum. Antimachus autem ardentissime amavit Lydem, uxorem suam, cuius mortem carmine flevit elegiaco. || *Coo.* Philetam intellige, elegiarum scriptorem, natum *Coo*, insula maris Icarii, qui versibus celebravit Battidem coniugem suam, quae itidem Coa erat, atque formosissima habebatur.

3 *Te mea supposita.* Ordo talis: Mea ruina est fulta, te supposita velut trabe. Quod accipiendum est de possessionibus, in quas involabant homines alienorum cupidi, quarum fructibus in exsilio ipse vivebat.

4 *Naufragii tabulas.* Reliquias naufragii mei; h. e. reliquum fortunarum mearum. Quas cum Caesar non ademerit, ipsi tamen adimere nefarie conantur. Fuit autem Ovidio nostro copia satis ampla bonorum: nam praedium paternum in Pelignis habuit, hortumque suburbanum trans Tiberim prope pontem Milvium, ubi, tanquam in gratissimo secesso, carminibus scribendis et arbusculis pangendis, animum reficere solebat. Denique eius census, censu equestri erat maior.

5 *Vtque rapax.* Aptissima similitudo a lupis esurientibus ad captatores bonorum et heredipetas. || *Incustoditum.* Sine canum aut pastorum custodia.

6 *Vt edax.* Vultur ex cadaveribus sibi escam quaerit. *Vulturii* autem nominantur qui captant bona aliena, et ea per fas et nefas occupare nituntur. || *Sub nulla humo.* Nondum humatum.

7 *Rebus acerbis.* Huic exsilio. || *In mea.... bona.* In meas fortunas. || *Si paterere.* Si permitteres.

9 *Probaris.* Probare aliquem est probum, bonum, sincerum iudicare. || *Si modo.* Si testi relegato creditur.

10 Nec probitate tua prior est aut Hectoris uxor,
Aut comes exstincto Laodamia viro.
11 Tu si Maeonium vatem sortita fuisses,
Penelopes esset fama secunda tuae.
12 Sive tibi hoc debes, nulla pia facta magistra;
Cumque nova mores sunt tibi luce dati:
13 Femina seu Princeps, omnes tibi culta per annos,
Te docet exemplum coniugis esse bonae;
14 Assimilemque sui longa assuetudine fecit;
Grandia si parvis assimilare licet. (vires,
15 Heu mihi, non magnas quod habent mea carmina
Nostraque sunt meritis ora minora tuis!
16 Si quid et in nobis vivi fuit ante vigoris,
Exstinctum longis occidit omne malis:
17 Prima locum sanctas heroïdas inter haberes;
Prima bonis animi conspicerere tui.
18 Quantumcunque tamen praeconia nostra valebunt,
Carminibus vives tempus in omne meis.

10 *Hectoris uxor.* Andromache, maritum suum Hectora, Troianum Principem, ardentissime amavit. Animo virili fuit, et quaedam veluti *virago*, quaeque a virili pugna nomen sortita est. || *Comes extincto.* Laodamia, Acasti filia, quae Protesilaum Thessaliae regem, maritum suum ad Troiam occisum, videre optavit, et eius umbram amplexa exspiravit. || *Exstincto viro.* Protesilao nempe; qui fuit unus e Graecorum ducibus ad Troiam profectis; qui quum primus e navibus in littus prosiliret, ab Hectore interfectus est.

11 *Maeonium vatem.* Homerum intellige; quem si laudum tuarum praeconem invenisses, etc. || *Esset secunda tuae.* Fama tua esset prior, Penelopes vero secunda.

12 *Sive tibi.* Seu natura ipsa docuit te marito fidem servare. || *Cumque nova luce.* Cum die natali; cum nascereris. || *Mores.* Sanctissima instituta.

13 *Femina seu princeps.* Seu Liviam, Augusti uxorem, quam praecipua fide coluisti, imitata es.

14 *Assimilemque.* Similis consuetudinis. || *Assimilare.* Comparare.

15 *Ora.* Verba.

17 *Sanctas heroïdas inter.* Inter celebres mulieres. || *Bonis animi.* Esses prae omnibus conspicua ob bona animi tui, quae maximam et solidam laudem merentur.

18 *Praeconia.* Carmina et laudationes.

ELEGIA VII.

ARGVMENTVM. Amicum admonet Poëta, ut gemma insculptam faciem suam intuens, ipsius exsilii recordetur, demalque illi coronam ex hedera, siquidem huiusmodi insignia felicibus Poëtis conveniunt. Mandat tamen insculptae imaginis loco legatur opus Metamorphoseon in quindecim libellos digestum: quos quamvis ipse in exsilium proficiscens in ignem coniecerit, tamen eosdem pluribus exemplis conscriptos extare intelligit. Postremo sex versus mandat conscribi in prima libelli fronte, quo lector admoneatur, illud opus inemendatum subita eius consternatione circumferri.

1 Si quis habes nostris similes in imagine vultus,
Deme meis hederas, Bacchica serta, comis.
2 Ista decent laetos felicia signa poëtas.
Temporibus non est apta corona meis.
3 Haec tibi dissimulas, sentis tamen, optime, dici,
In digito qui me fersque refersque tuo;
4 Effigiemque meam fulvo complexus in auro,
Cara relegati, qua potes, ora vides.
5 Quae quoties spectas, subeat tibi dicere forsan,
Quam procul a nobis Naso sodalis abest!

1 *Nostris similes... vultus.* Faciem meae similem. || *In imagine.* In effigie gemma insculpta. || *Hederas.* Ex hedera poëtae Elegi coronabantur, sicut ex quercu Heroici. || *Bacchica serta.* Coronas hederae, quae est Baccho sacra. Vt et poëtae Baccho sacri, vel quia eius afflatu concitentur, vel quia more Bacchantium insaniant, et vinosi plerumque sint.

2 *Ista.... signa.* Serta ex hedera || *Temporibus meis.* Vel hac mea tempestate qua exsulo; vel meo capiti per synecdochem, pars (tempora) pro toto (caput).

3 *Dissimulas.* Fingis haec non dici tibi, ne Augustum laedas. || *Sentis tamen, optime.* Intelligis tamen, optime amice, me tibi haec dicere. || *Me fersque refersque.* Qui fers et repraesentas, aut qui fers et extrahis annulum, in quo est gemma habens vultus meos insculptos.

4 *Relegati.* Amici exsulis.

6 Grata tua est pietas: sed carmina maior imago
Sunt mea; quae mando qualiacunque legas.
7 Carmina mutatas hominum dicentia formas;
Infelix domini quod fuga rupit opus.
8 Haec ego discedens, sicut bene multa meorum,
Ipse mea posui moestus in igne manu.
9 Vtque cremasse suum fertur sub stipite natum
Thestias, et melior matre fuisse soror;
10 Sic ego non meritos mecum peritura libellos
Imposui rapidis viscera nostra rogis;
11 Vel quod eram Musas, ut crimina nostra, perosus;
Vel quod adhuc crescens et rude carmen erat.
12 Quae quoniam non sunt penitus sublata, sed ex-
Pluribus exemplis scripta fuisse reor. (stant,

6 *Grata tua est pietas.* Hoc quod facis, quo pietatem prae te fers, est mihi admodum gratum. || *Sed carmina maior.* Sed carminibus me magis poteris intueri, quam ulla sculptura.

7 *Carmina mutatas hominum.* Opus Metamorphoseon, h. e. Transmutationum, intelligit || *Infelix.... fuga.* Infelix exsilium || *Rupit* Interrupit, ne illi operi summa manus imponeretur. Non enim Poëta illud potuit corrigere.

8 *Meorum.* Meorum operum.

9 *Sub stipite.* Sub torre, in quo Meleagri fata erant. || *Natum.* Meleagrum filium suum. || *Thestias* Althea, Thestii filia. || *Et melior matre fuisse soror.* Althea meliorem se, et fratrum a Maleagro interemptorum amantiorem ostendit, quam filii. Nam Althea visa est sibi Parcas igni assidentes videre, quae manu titionem tenentes haec verba de filio suo Meleagro, recens nato, proferebant: *vivet quamdiu hic stipes durabit.* Titionem hunc fatalem extinxit subito Althea, servavitque. Sed postea filio irata, eo quod matris fratribus necem intulisset, titionem in ignem proiecit, quo exusto Meleager interiit.

10 *Viscera nostra.* Nostros liberos: quasi nostras carnes et partus. Ingenii enim opera elegantissime a poëtis *liberi* appellantur. || *Rapidis rogis.* Flammae omnia rapienti.

11 *Musas.. perosus.* Musas odio prosequebar. || *Vt crimina nostra.* Vt quae nobis crimen conflaverunt. Nam propter eas in crimen vocati sumus, videlicet ob libros *de Arte amandi.* || *Adhuc crescens.* Aliam rationem affert, cur opus Metamorphoseon igni cremaverit || *Rude.* Inemendatum.

12 *Penitus sublata.* Prorsus adempta. || *Pluribus exemplis.* Arbitror plura volumina exscripta fu-

13 Nunc precor ut vivant, et non ignava legentum
Otia delectent, admoneantque mei.
14 Nec tamen illa legi poterunt patienter ab ullo;
Nesciet his summam si quis abesse manum.
15 Ablatum mediis opus est incudibus istud:
Defuit et scriptis ultima lima meis.
16 Et veniam pro laude peto: laudatus abunde,
Non fastiditus si tibi, Lector, ero.
17 Hos quoque sex versus, in prima fronte libelli
Si praeponendos esse putabis, habe:
18 «Orba parente suo quicunque volumina tangis;
His saltem vestra detur in Vrbe locus.
19 Quoque magis faveas, non sunt haec edita ab
Sed quasi de domini funere rapta sui. (ipso,
20 Quidquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus, si licuisset, eram.»

isse ex meo exemplari; ideo dicit *exstant*

13 *Vt vivant.* Vivunt libri quum exstant et leguntur. || *Non ignava otia* Otia literarum, et scriptorum meorum, non ignaviam praeferentia. Eleganter autem studium literarum *otium* appellamus. || *Delectent legentem.* Delectent opus Metamorphoseon legentem. || *Admoneantque mei.* Vel meae eruditionis vel exsilii admoneant.

14 *Summam ..... manum.* Vltimum finem. Nam *imponere summam manum*, proverbii speciem habet.

15 *Mediis .. incudibus* Nondum absoluto opere. Quasi dicat, dum adhuc cuderetur, dum esset in incude. Sic et opus aliquod *elimare* dicimur. Est a fabris ferrariis sumpta metaphora.

16 *Veniam pro laude peto.* Non peto ex huiusmodi opere laudem, quae speranda erat. sed ut mihi tantum ignoscas. || *Non fastiditus* Si tibi non sim fastidio.

17 *Fronte* Praeponendos in fronte primi libelli Metamorphoseon.

18 *Orba parente suo.* Privata patre, h. e. auctore operis, qui in exsilium eiectus est. || *In Vrbe.* Roma.

19 *Quoque magis faveas.* Quo minus nauseas, et ut mage sis operi amicus, nec eo odio prosequaris, quo Poëtam exsulem. || *De funere domini.* Quasi de morte et exsilio Poëtae. Pluribus enim in locis sortem suam infelicissimam Ovidius funeri luctuoso comparavit.

ELEGIA VIII.

ARGVMENTVM. Queritur Ovidius, eum, cum quo diu familiariter vixerat, subita Poëtae consternatione, et exsilii ruina fidem mutasse. Mox tamen illum admonet, ut in fide permaneat, quo eius officium laudare possit.

1 In caput alta suum labentur ab aequore retro
Flumina; conversis Solque recurret equis.
2 Terra feret stellas; caelum findetur aratro;
Vnda dabit flammas, et dabit ignis aquas.
3 Omnia naturae praepostera legibus ibunt:
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.
4 Omnia iam fient, fieri quae posse negabam;
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
5 Haec ego vaticinor, quia sum deceptus ab illo,
Laturum misero quem mihi rebar opem.
6 Tantane te, fallax, cepere oblivia nostri?
Afflictumne fuit tantus adire pudor?
7 Vt neque respiceres, nec solarere iacentem,
Dure? nec exsequias prosequerere meas?
8 Illud amicitiae sanctum ac venerabile nomen
Re tibi pro vili sub pedibusque iacet?

1 *In caput... suum.* In eorum fontem, unde erumpunt in mare. || *Labentur.* Fluent. || *Ab aequore.* A mari, in quod defluunt. || *Conversis solque recurret equis.* Sol ab occasu in orientem cursum diriget.

3 *Praepostera.* Ibunt contraria, et alio modo quam debent. || *Legibus naturae.* Legibus, quas natura ipsa docuit.

4 *De quo non sit habenda fides.* Cui non fides adhibenda.

5 *Haec ego vaticinor.* Audeo ista futura praedicere, leges naturae ituras esse praepostere.

7 *Nec exsequias.* Crebro abitum suum in exsilium cum funere et exsequiis comparat. Visere amicum tunc et ultima exhibere officia, speciem habuisset prodeuntis in funus, quod solent amici.

8 *Re tibi pro vili.* Nullo apud te in honore est. || *Sub pedibus-*

9 Quid fuit, ingenti prostratum mole sodalem
Visere, et alloquii parte levare tui?
10 Inque meos si non lacrimam dimittere casus,
Pauca tamen ficto verba dolore queri?
11 Idque, quod ignoti faciunt, valedicere saltem;
Et vocem populi publicaque ora sequi?
12 Denique lugubres vultus, nunquamque videndos
Cernere supremo, dum licuitque, die?
13 Dicendumque semel toto non amplius aevo
Accipere, et parili reddere voce; Vale?
14 At fecere alii nullo mihi foedere iuncti;
Et lacrimas animi signa dedere sui.
15 Quid? nisi convictu caussisque valentibus essem
Temporis et longi vinctus amore tibi?
16 Quid? nisi tot lusus et tot mea seria nosses,
Tot nossem lusus seriaque ipse tua?
17 Quid? si duntaxat Romae mihi cognitus esses,
Adscitus toties in genus omne loci?

que incet. Nam summi contemptus est conculcare et proterere quidpiam pedibus.

9 *Ingenti prostratum mole.* Aerumnis oppressum. Calamitatis suae magnitudinem vocat *ingentem molem*, a qua velut ruina magna oppressus sit. || *Alloquii parte.* Dicit *parte*, ut significet quamvis modicum et breve solatium sibi ab eo denegatum. || *Levare.* Consolari, dolorem imminuere.

10 *Ficto dolore.* In amicitia nihil fictum esse oportet. Tamen ut reprehensionem et dedecus effugisut, multa homines fingunt: quod istum non fecisse miratur.

11 *Vocem populi.* Supremum salve et vale conclamare. || *Publica ora.* Omnium sermones.

12 *Lugubres vultus* Meos vultus luctu deformes

14 *Nullo foedere.* Nullo amicitiae vinculo. || *Animi signa.* Signa doloris, quo afficiebantur propter meum discessum.

15 *Quid nisi convictu.* Apertissime amico indignationem suam aperit, perfidiam eius exprobrando. || *Caussisque valentibus.* Caussis gravibus, quae amicitiam reddebant arctiorem

16 *Quid? nisi tot lusus.* Intimae familiaritatis et candoris mutui certum indicium, levia, gravia, seria, iocosa inter se communicare. || *Tot mea seria.* Serio dicta, ac facta.

17 *Adscitus.* Adiunctus, evocatus a me.

18 Cunctane in aequoreos abierunt irrita ventos?
Cunctane Lethaeis mersa feruntur aquis?
19 Non ego te placida genitum reor urbe Quirini;
Vrbe, meo quae iam non adeunda pede est:
20 Sed scopulis, Ponti quos haec habet ora sinistri;
Inque feris Scythiae Sarmaticisque iugis.
21 Et tua sunt silicis circum praecordia venae;
Et rigidum ferri semina pectus habent.
22 Quaeque tibi quondam tenero ducenda palato
Plena dedit nutrix ubera, tigris erat.
23 At mala nostra minus, quam nunc, aliena putasses;
Duritiaeque mihi non agerere reus.
24 Sed quoniam accedit fatalibus hoc quoque damnis,
Vt careant numeris tempora prima suis;
25 Effice, peccati ne sim memor huius; et illo
Officium laudem, quo queror, ore tuum.

18 *In aequoreos ventos abierunt.* Tradere quidpiam ventis, est nihil curare, oblivisci, parvi pendere. || *Lethaeis aquis* Lethe, inferorum palus, ab oblivione sic dicta; quod qui eam aquam biberent, mox rerum omnium praeteritarum oblivriscerentur.

19 *Placida urbe Quirini.* Romam designat, in qua homines non saevos, sed mites nasci solitos innuit.

20 *Scopulis, Ponti quos habet.* Scopulos sinistrae partis maris Pontici eum genuisse scribit: qua proverbiali figura hominem asperum et immitem notat.

21 *Et tua sunt silicis.* Amico duritiem quoque pectoris obiicit. || *Circum praecordia.* Circum partes praeiacentes cordi.

22 *Tigris.* Bestia saevissima.

23 *At mala nostra minus.* Hoc est: mala nostra minus putasses aliena, sed aliqua parte ad te quoque pertinentia. || *Non agerere reus.* Non accusareris crudelitatis.

24 *Sed quoniam accedit.* Sed quoniam hoc meum infortunium addatur ceteris meis malis || *Tempora prima.* Vt superiora tempora, quibus amicitia nostra erat arctissima. || *Careant suis numeris* Careant suo ordine: h. e. ut mihi in amore non respondeas, ut antea.

25 *Peccati huius.* Huius oblivionis amicitiae. || *Et illo Officium laudem.* Ordo est: Et effice, ut ego laudem tuum officium illo ore. || *Quo queror.* De te.

ELEGIA IX.

ARGVMENTVM. Queritur Poëta vulgum sequi fortunam, et secundis tantum rebus amico adesse, in adversis autem eum solum destituere; quod quidem re sibi cognitum fuisse docet. Siquidem antequam ab Augusto in exsilium mitteretur, multos habuit amicos: postquam vero subita ruina corruit, neminem invenit, in cuius praesidio acquiesceret, cum multis per Caesaris modestiam id praestare licuisset; quandoquidem ab eo hostilis erga amicum amor etiam probetur.

1 Detur inoffensae metam tibi tangere vitae,
Qui legis hoc nobis non inimicus opus.
2 Atque utinam pro te possint mea vota valere,
Quae pro me duros non tetigere Deos!
3 Donec eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
4 Adspicis ut veniant ad candida tecta columbae;
Accipiat nullas sordida turris aves.
5 Horrea formicae tendunt ad inania nunquam;
Nullus ad amissas ibit amicus opes.
6 Vtque comes radios per Solis euntibus umbra,
Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit;

1 *Detur tibi tangere.* Concedatur tibi, o lector non inimice, attingere.|| *Metam.* Finem.||*Vitae inoffensae.* Vitae citra ullum malum.|| *Opus.* Carmen, elegiam, vel librum.

2 *Duros Deos.* Deos mihi difficiles, Caesarem inclementem.

3 *Tempora nubila.* Si tempora nube aliqua, hoc est, malo operientur. || *Solus eris.* Desertus ab omnibus; notus nemini.

4 *Adspicis ut.* Per sequentes *columbae*, *formicae*, et *umbrae* similitudines, ostendit homines fortunam sequi. || *Ad candida tecta.* His, secundas amicorum res designat. || *Sordida turris.* Turris immunda: id est nubila et adversa amici fortuna.

5 *Formicae.* Insectorum officiosissimum genus, quorum opus est colligere fragmenta.

6 *Vtque comes radios.* Ordo: Et ut umbra est comes euntibus per radios solis. || *Cum latet hic pressus nubibus.* Quum sol nubibus obscuratur. || *Illa fugit.* Illa umbra discedit, nec apparet.

7 Mobile sic sequitur Fortunae lumina vulgus;
Quae simul inducta nube teguntur, abit.
8 Haec precor ut semper possint tibi falsa videri:
Sunt tamen eventu vera fatenda meo.
9 Dum stetimus, turbae quantum satis esset, habebat
Nota quidem, sed non ambitiosa, domus.
10 At simul impulsa est, omnes timuere ruinam:
Cautaque communi terga dedere fugae.
11 Saeva nec admiror metuunt si fulmina, quorum
Ignibus afflari proxima quaeque solent.
12 Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inviso Caesar in hoste probat.
13 Nec solet irasci, neque enim moderatior alter,
Cum quis in adversis, si quid amavit, amat.
14 De comite Argolici postquam cognovit Orestae,
Narratur Pyladen ipse probasse Thoas.

7 *Fortunae lumina,* Auram et foelicitatem fortunae. || *Quae simul inducta.* Vix fortunae favor hominem deserit, eum quoque vulgus relinquit.

8 *Haec.* Ea intelligit quae dixerat; quod scilicet vulgus sequatur fortunam, et cum fortuna mutari hominum voluntates. || *Meo eventu.* Meo successu: quia re cognovi id ita esse: vidi enim me âb amicis fere omnibus desertum.

9 *Dum stetimus.* H. e. dum mihi fortuna arrisit. Nam *cadere* et *iacere* dicimur in adversis; *stare* in secundis et ad voluntatem procedentibus. || *Turbae quantum satis esset.* Ordo est: Domus quidem nota, sed non ambitiosa, habebat tantum turbae quantum satis esset. Ex quo designat se fautores habuisse, quum nondum relegatus esset.

10 *At simul impulsa est.* Postquam eam deiecit Augustus exsilio meo. || *Cauta terga.* Illa turba, quae Poëtae domum frequentabat, *cauta*, h e. sibi cavens, dedit *terga fugae*, ne quid Augustus in illam gravius moliretur.

11 *Metuunt si fulmina.* Calamitatem suam *fulmen* nuncupat: ut auctorem illius Caesarem, saepe *Iovem.*

12 *Sed tamen.* Ostendit exemplis, eos errare qui Poëtam deseruere Augusti metu. Siquidem Caesar solet amici fidem, etiam in eos quos odit, laudare.

14 *De comite.* Pacuvius, ex vetustioribus romanis poëtis, tragoediam scripsit, in qua continebatur quemadmodum Orestes cupidus a se furias removere ex morte matris conceptas, oraculum consuluit, a quo responsum habuit, ut ad tem-

15 Quae fuit Actoridae cum magno semper Achille,
Laudari solita est Hectoris ore fides.
16 Quod pius ad manes Theseus comes isset amico,
Tartareum dicunt indoluisse Deum.
17 Euryali Nisique fide tibi, Turne, relata,
Credibile est lacrimis immaduisse genas.
18 Est etiam miseris pietas, et in hoste probatur.
Heu mihi quam paucos haec mea dicta movent!

ELEGIA X.

ARGVMENTVM. Gratulatur amico, quod studio et doctrina magnam sit laudem consequutus: quod ita fore olim se nulla divinandi peritia, sed ratione et coniecturis cognovisse dicit. Simul ostendit eum sibi rectius consuluisse, quod gravioribus disciplinis operam dederit. At e contra dolet sibi studia poëtica et lasciviorem Musam nocuisse.

1 Hic status, haec rerum nunc est fortuna mea-
Debeat ut lacrimis nullus adesse modus. (rum,
2 At mea sunt, proprio quamvis moestissima casu,
Pectora processu facta serena tuo.

plum Dianae in Tauricam regionem proficisceretur. Quo quum pervenisset, comite et duce itineris Pylade, Thoas rex eum de more mactare volebat. At ignorans uter esset Orestes; Pylades Orestem se esse respondit, ut pro illo necaretur; Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse asseverabat. Quorum fides ita Thoas probavit, ut Oresti ignosceret. Sed aliter et plenius rem narrat Ovidius noster *de Ponto* lib. III. eleg. II. || *Argolici* Pyladis Argivi.

15 *Actoridae*. Patroclo, Actoris filio Amor Patrocli et Achillis notus est Homeri carmine. || *Hectoris ore*. Nam Patroclus, indutus armis Achillis, Hectori restitit; a quo etiam laudatus est.

16 *Manes*. Defunctorum animae. || *Amico*. Pirithoo; qui descensus sui ad inferos comitem habuit Theseum amicum. || *Tartareum Deum*. Plutonem, cuius uxorem rapturi erant.

17 *Euryali Nisique fide*. Nisi et Euryali amicitiae testimonium celebrat Virgilius *Aeneid*. lib. IX. || *Turne*. Fuit Rutulorum rex.

18 *Est etiam miseris pietas*. Solent homines in miseros esse pii: quae pietas etiam in hostibus laudatur, ut superius probavit exemplis.

2 *Casu*. Exsilio.

3 Hoc eventurum iam tum, carissime, vidi,
Ferret adhuc istam cum minor aura ratem.
4 Sive aliquod morum, seu vitae labe carentis
Est pretium; nemo pluris habendus erit.
5 Sive per ingenuas aliquis caput extulit artes,
Quaelibet eloquio fit bona caussa tuo.
6 His ego commotus, dixi tibi protinus ipsi:
Scena manet dotes grandis, amice, tuas.
7 Haec mihi non ovium fibrae, tonitrusve sinistri,
Linguave servatae, pennave, dixit avis.
8 Augurium ratio est, et coniectura futuri:
Haec divinavi, notitiamque tuli.
9 Quae quoniam vera est; tota mihi mente tibique
Gratulor, ingenium non latuisse tuum.
10 At nostrum tenebris utinam latuisset in imis!
Expedit in studio lumen abesse meo.

3 *Ferret adhuc.* Accipe verba per allegoriam dicta. *Ratem*, ingenium: *aura*, favor: *ferret*, amplecteretur: quasi dicat: quum tu adeo excellens non esses.

5 *Sive per ingenuas artes.* Per disciplinas liberales, et studia eloquentiae; artes ingenuo dignas. || *Quaelibet caussa.* Vel demonstrativa, vel deliberativa, vel iudicialis. || *Fit bona.* Fit honesta.

6 *Manet dotes.* Scena grandis expectat tuas virtutes: nempe, et moribus et eloquentia tua dixi te fore virum clarissimum.

7 *Non ovium fibrae.* Non divinavi haec tanquam haruspex ex animalium extis. || *Tonitrusve sinistri.* Divinabant etiam veteres per fulgura, quae observabant. Laeva (auctore Plinio) prospera existimabantur, quoniam laeva parte mundi ortus est; tum quae nobis sinistra sunt, ea superis dextra demitti creduntur. || *Linguave pennave.* Per *linguam* avis intellige *oscines*, id est, aves quae voce faciunt augurium. Per *pennam* autem designat *praepetes*, quae volatu dabant auguria. || *Servatae.* Observatae captato augurio, vel ex voce illius, vel ex volatu.

8 *Augurium ratio.* Ratio et coniectura de te fuerunt mihi loco augurii, ut nempe divinarem te virtute fore conspicuum. || *Tuli.* Abstuli, consequutus sum.

9 *Non latuisse.* Apparuisse.

10 *At nostrum.* At nostrum ingenium poëticae artis peritum. || *Utinam latuisset.* Fuisset obscurum. || *Expedit.* Utile fuit. || *Lumen.* Famam et gloriam. *Lumen* vocat *publicum*: unde dicimus librum emittere in lucem, quem publicamus.

11 Vtque tibi prosunt artes, facunde, severae;
Dissimiles illis sic nocuere mihi.
12 Vita tamen tibi nota mea est: scis artibus illis
Auctoris mores abstinuisse sui.
13 Scis vetus hoc iuveni lusum mihi carmen; et istos,
Vt non laudandos, sic tamen esse iocos.
14 Ergo ut defendi nullo mea posse colore,
Sic excusari crimina posse puto.
15 Qua potes, excusa; nec amici desere caussam.
Quo bene coepisti, sic pede semper eas.

ELEGIA XI.

ARGVMENTVM. Poëta laudat navem, quam in sinu Corinthiaco accepit; et quum altera navis diu eumdem cursum tenuisset, quem navis Poëtae; quumque postea ex Samothracia solverent, utriusque navigationem et loca describit. Optat deinde, ut navis ipsum incolumem Tomum perferat; quod si contigerit, Minervae se agnam immolaturum pollicetur. Postremo Castorem et Pollucem precatur, ut utrique navi adsint.

1 Est mihi, sitque, precor, flavae tutela Minervae
Navis; et a picta casside nomen habet.

11 *Artes severae.* Vel philosophiam dicit, vel certe ingenuas disciplinas et studia eloquentiae. || *Dissimiles illis.* Quia nostrae artes (poësis) non sunt severae.

12 *Scis artibus illis.* Libris de Arte amandi.

13 *Scis vetus hoc iuveni.* Designat se iuvenem amatoria scripsisse ioco magis, quam serio.

14 *Ergo ut defendi.* Docet non posse ullo colore rhetorico, aut eloquentia, defendi amatoria illa, quorum caussa eiectus est in exsilium: sed tantum excusari. || *Colore.* Praetextu.

1 *Flavae tutela Minervae.* Minervae simulacrum navis insigne et tutela. Solebant enim in navibus Dii pingi, ut Minerva, Apollo, et alii, in quorum tutela esse navem volebant. *Flavam* vero dicit Minervam seu a capillitio, seu a glaucis oculis. || *Et a picta casside nomen habet.* A galea, quam illa armata gerit, *galeata* appellatur Minerva. Verbum *habet,* non ad Minervam, sed ad nomen navis

2 Sive opus est velis, minimam bene currit ad auram;
Sive opus est remo, remige carpit iter.
3 Nec comites volucri contenta est vincere cursu;
Occupat egressas quamlibet ante rates.
4 Et patitur fluctus, fertque assilientia longe
Aequora, nec saevis icta fatiscit aquis.
5 Illa, Corinthiacis primum mihi cognita Cenchris,
Fida manet trepidae duxque comesque fugae.
6 Perque tot eventus, et iniquis concita ventis
Aequora, Palladio numine tuta fuit.
7 Nunc quoque tuta precor vasti secet ostia Ponti;
Quasque petit, Getici litoris intret aquas.
8 Quae simul Aeoliae mare me deduxit in Helles,
Et longum tenui limite fecit iter;
9 Fleximus in laevum cursus: et ab Hectoris urbe
Venimus ad portus, Imbria terra, tuos.

referendum est; ut intelligamus ipsam navem a picta galea cognomen habuisse.

3 *Comites.* Naves eiusdem itineris navigatione utentes. || *Quamlibet ante* H. e. etiam longe ante egressas naves superat cursu, aut consequi solet.

4 *Et patitur fluctus.* Resistit fluctibus. Hoc, et quod proxime sequitur, ad firmitudinem et bonam huius navis coagmentationem refer.

5 *Corinthiacis.....Cenchris. Cenchrea* oppidum Achaiae prope Corinthum || *Fida manet.* Fideliter me et tuto vehit, quasi mihi benevola.

6 *Iniquis concita ventis.* Per maria fluctibus saevitia ventorum concitatis tumida. || *Palladio.* Ad Palladem pertinens.

7 *Secet ostia Ponti.* Ingressus Ponti Euxini. Per metaphoram *Ostia* sunt aditus fluminum in mare.

8 *Quae.* Navis mea. || *In mare Helles Aeoliae.* In mare Hellespontum: quod multa cognomina accepit. Nam ubi primum se coarctat, *Hellespontum* vocamus: ubi expandit, *Propontis* dicitur: ubi iterum se pressit, *Thracius Bosphorus*: ubi iterum effundit, *Pontus Euxinus*: qua paludi committitur, *Cimmerius Bosphorus.* Appellatus est autem *Hellespontus* ab *Helle* Athamantis regis et Nepheles filia, quae in illud cecidit. *Hellen* vero *Aeoliam* appellat, quod *Aeolus* Athamantis pater fuit. || *Longum iter* Postquam Hellesponti longitudinem sulcavimus. || *Tenui.* Aut propter angustum sulcum, et viam; aut propter aquam, quae ibi tenuis est.

9 *Fleximus in laevum cursum*

10 Inde levi vento Zerynthia litora nactis
Threïciam tetigit fessa carina Samon.
11 Saltus ab hac terra brevis est Tempyra petenti.
Hac dominum tenus est illa secuta suum.
12 Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos:
Hellespontiacas illa relegit aquas;
13 Dardaniamque petit auctoris nomen habentem;
Et te ruricola, Lampsace, tuta Deo.
14 Quaque per angustas vectae male virginis undas
Seston Abydena separat urbe fretum.

Ex Hellesponto in Propontidis sinistram partem navigationem fleximus. || *Ab Hectoris urbe*. Troia, Hectoris patria: quae urbs ex Aegeo Hellespontum ingredientibus erat a dextra.|| *Imbria terra*. *Imbrus*, insula inter Lemnum et Samum.

10 *Zerynthia litora*. Id est, ipsius Thraciae. Nam in Thracia Zerynthum fuisse, veteres nonnulli scripsere. || *Threïciam Samon*. Samothraciam insulam in mari Aegeo Thraciae adiacentem. || *Fessa carina*. Cum nos qui in navi (*carina*) vehebamur, *fessi* essemus.

11 *Saltus brevis*. Traiectus non longus. || *Tempyra*. *Abdera*, civitas in littore Thracio, e regione fere Samothraciae sita.|| *Hac tenus*. Vsque in Samothraciam. || *Illa*. Navis in qua ego eram. || *Dominum suum* De ipso Poëta intellige.

12 *Bistonios campos*. Thraciam intellige, per quam regionem Ovidio placuit pedibus proficisci. || *Hellespontiacas illa relegit aquas*. Sensus est: Ego quidem per campos Bistonios proficisci deinceps constitui; illa (navis) autem Hellesponti relegit, sive repetivit, aquas, transeundo scilicet in dextrum latus, et petendo Dardaniam in ipsis faucibus sitam.

13 *Dardaniamque*. *Dardania* urbs fuit in littore Hellesponti. || *Petit*. Pro *petivit* ultimam producit, ut verba omnia syncopam habentia. || *Nomen auctoris habentem*. Nomen Dardani, Iovis filii, qui eam condidit. || *Lampsace*. Lampsacum pervenit ab urbe Dardania. Fuit autem *Lampsacus* urbs insignis ad mare sita, quae portum optimum habuit. || *Ruricola tuta Deo*. Priapus intelligitur, qui fuit vir ex Lampsaco: de qua civitate propter obscoenitatem pulsus, in numerum Deorum receptus, meruit Numen esse hortorum. Hinc vocat *Deum ruricolam*, quoniam in hortis colitur.

14 *Angustas undas* Hellespontum mare designat. || *Virginis male vectae*. Designat *Hellem*, quae non provecta trans huius maris angustias, ipsi nomen dedit. || *Seston Abydena*. In Europa enim *Seston* urbem, in Asia *Abydon* fuisse, scribit Plinius. In medio vero utriusque urbis, *Hellespontus*.

15 Hincque Propontiacis haerentem Cyzicon oris;
Cyzicon, Haemoniae nobile gentis opus:
16 Quaque tenent Ponti Byzantia litora fauces.
Hic locus est gemini ianua vasta maris.
17 Haec precor evincat, propulsaque fortibus Austris
Transeat instabiles strenua Cyaneas;
18 Thynniacosque sinus, et ab his per Apollinis urbem
Alta sub Anchiali moenia tendat iter.
19 Inde Mesembriacos portus, et Odesson, et arces
Praetereat dictas nomine, Bacche, tuo:

15 *Cyzicon*. Oppidum ad Propontidem: quod cum nobile arce, moenibus, portu, turribusque marmoreis fuerit, Asiaticae plagae littora illustravit. Nomen illi a Cyzico filio Aenei eius fundatoris. || *Haemoniae gentis*. Cyzicum, Aemoniae gentis (h. e. Thessalorum) opus vocat, non quod Cyzicus ipse ex Thessalis unus fuerit, sed quod Aeneos pater Cyzici, Thessalus natione fuit.

16 *Byzantia littora*. A Cyzico deinde se venisse dicit Ovidius ad Thracium Bosphorum, in cuius littore sinistro in Pontum Euxinum navigantibus erat *Byzantium*, urbs cum natura loci munitissima, tum ad fertilitatem omnium rerum opportunissima. || *Gemini maris*. Propontidis et maris Euxini: inter quae maria sunt fauces, quae *Thracius Bosphorus* appellantur.

17 *Haec precor evincat*. Precor ut haec mea navis propulsa ventis evincat, et feliciter transeat Cyaneas. || *Fortibus Austris*. Nam Pontum ingredientibus favet Auster, egredientibus vero Aquilo. || *Instabiles Cyaneas*. In Ponto duae sunt Cyaneae insulae, ab aliis *Symplegades*, h. e. *concurrentes*, appellatae: quae, quoniam parvo discretae sunt intervallo, ex adverso intrantibus geminae cernebantur.

18 *Thynniacosque sinus*. *Thynnias* oppidum erat in ora Ponti sinistra, inter Cyaneas et Apolloniam: vel, ut alii malunt, Promontorium, a quo *Thynniacos sinus* Poëtam scripsisse dicunt. || *Apollinis urbem*. *Apollonia*: quo nomine plurimae appellatae sunt urbes in Epiro, Creta, Syria, Thracia, etc. Haec autem de qua Ovidius, sita erat LXXX millia passuum a Bosphoro Thracio, et proxime supra Thynniam promontorium. || *Sub Anchiali moenia*. *Anchiala*, seu *Achiala*, seu *Anchialos*, castellum fuit ab Apolloniatis conditum, in ora Geticilittoris.

19 *Inde Mesembriacos portus*. *Mesembria* Megarensium colonia. || *Et Odesson*. Urbs, Milesiorum colonia. || *Dictas nomine, Bacche, tuo*. *Dionysiopolim* intellige, quae urbs fuit in eadem ora, inter Thraciae terminum, et Danubii ostia.

20 Et quos Alcathoi memorant a moenibus ortos
Sedibus his profugum constituisse Larem.
21 A quibus adveniat Miletida sospes ad urbem,
Offensi quo me compulit ira Dei.
22 Hanc si contigerit, meritae cadet agna Minervae.
Non facit ad nostras hostia maior opes. (tres
23 Vos quoque Tyndaridae, quos haec colit insula, fra-
Mite, precor, duplici numen adeste viae.
24 Altera namque parat Symplegadas ire per arctas,
Scindere Bistonias altera puppis aquas.
25 Vos facite, ut ventos, loca cum diversa petamus,
Illa suos habeat, nec minus illa suos.

ELEGIA XII.

ARGVMENTVM. Excusat se Ovidius si quid forte in eius carmine incultum fuerit, et minus elegans: culpamque omnem huius rei reiicit in tempestatem et fluctus, quibus obstrepentibus se haec scripsisse narrat.

1 Litera quaecunque est toto tibi lecta libello,
Est mihi sollicitae tempore facta viae.

20 *Et quos Alcathoi.* Calatim urbem videtur designare Poëta, in littore Getico sitam.

21 *Miletida ad urbem. Tomon,* Milesiorum coloniam dicit, locum exsilii Poëtae. Ovidius nunc suam, et a se tam laudatam navem, rursus conscendit. || *Offensi Dei.* Augusti.

22. *Cadet agna Minervae.* Vaccam Minervae solitam mactari ait Ovidius *Metamorph.* IV Sed iam cum in exsilium proficisceretur, eam pecuniae vim, qua vaccam emere posset non habebat, ideo agnam offert, utpote cuius beneficio salvus eo pervenerit.

23 *Tyndaridae.* Castor et Pollux, numina nautica. || *Duplici viae.* Mari et terra.

24 *Altera* Navis mihi comes. || *Symplegadas ire per arctas.* Per Cyaneas insulas, quae modico intervallo inter se distant. || *Altera.* Navis mea || *Bistonias aquas.* Thraciae partem illam intellige, quae alluitur Euxino: h. e. Geticum litus.

25 *Loca diversa.* Ovidii enim navis littus sinistrum tenere debebat, altera vero dextrum.

1 *Toto libello.* Toto hoc primo Tristium libro. || *Viae sollicitae.* Sollicitudinis plenae.

2 Aut hanc me, gelidi tremerem cum mense Decem-
Scribentem mediis Adria vidit aquis: (bris,
3 Aut, postquam bimarem cursu superavimus Isth-
Alteraque est nostrae sumta carina fugae. (mon;
4 Quod facerem versus inter fera murmura ponti,
Cycladas Aegaeas obstupuisse puto.
5 Ipse ego nunc miror, tantis animique marisque
Fluctibus ingenium non cecidisse meum.
6 Seu stupor huic studio, sive est insania nomen;
Omnis ab hac cura mens relevata mea est.
7 Saepe ego nimbosis dubius iactabar ab Haedis;
Saepe minax Steropes sidere pontus erat:

2 *Adria.* Mare Adriaticum, ita appellatum ab Adria urbe Venetiae, Thuscorum colonia, inter Padi et Athesis ostia. Hoc mare saepe a poëtis procellosum dicitur, quia facile infestatur ventis, Noto praecipue. Scribitur quoque *Hadria*, cum adspiratione

3 *Isthmum bimarem.* Peloponnesi Isthmum, qui alluitur mari Aegaeo et Ionio, *Corinthiacus* quoque et *Achaicus* dictus; quique Peloponnesum reliquae Graeciae connectit. In huius isthmi faucibus Corinthus sita est, totius Peloponnesi urbs clarissima. Hunc multi perfodere tentavere: Demetrius rex Asiae, cognomento Poliorcetes; C. Caesar Dictator; Caius princeps; et Nero: sed infausto incepto. *Isthmus* autem proprie apud Graecos *collum* significat, a cuius similitudine dicta est terra oblonga et angusta inter duo maria, duas continentes iungens. || *Carina. Carina* est ima navis pars, navi fundus Etymologi volunt proprie significari trabem imam, quae totius navis fundamentum est. Hic autem per synecdochem ponitur pro ipsa navi. || *Nostrae fugae.* Mihi in exsilium proficiscenti.

4 *Cycladas Aegaeas. Cyclades* insulae sunt in mari Aegaeo, quas duodecim fuisse scribit Strabo; Hyginus vero, novem. Dictae autem sunt, quod circa Delum *in cyclon*, id est, in orbem sitae sunt, ut Plinius scribit; vel quod longo ordine eas circuire navigando necesse est, ut legitur apud Servium.

5 *Ingenium non cecidisse.* Ingenio nihil pernitiosius moeroribus et angoribus, quibus illius vis omnis exeditur.

6 *Seu stupor.* Seu quaedam alienatio sensuum. || *Huic studio.* Sensus est: Seu stupor seu insania quaedam inest huic studio poëtico, quod homines stupidos et insanos reddat: certe mens mea est alienata, et stupet. || *Ab hac mens relevata.* Literae solatio sunt et levamento in adversis.

7 *Ab Haedis nimbosis.* Ab *Hae-*

8 Fuscabatque diem custos Erymanthidos Vrsae;
Aut Hyadas saevis auxerat Auster aquis:
9 Saepe maris pars intus erat; tamen ipse trementi
Carmina ducebam qualiacunque manu. (tes,
10 Nunc quoque contenti stridunt Aquilone ruden-
Inque modum tumuli concava surgit aqua.
11 Ipse gubernator tollens ad sidera palmas
Exposcit votis, immemor artis, opem.
12 Quocunque adspicio, nihil est, nisi mortis imago:
Quam dubia timeo mente, timensque precor.
13 Attigero portum, portu terrebor ab ipso.
Plus habet infesta terra timoris aqua.
14 Nam simul insidiis hominum pelagique laboro;
Et faciunt geminos ensis et unda metus.

dis sideribus nimbum et tempestatem inducentibus. Hi autem in ortu et occasu tempestatem, pluviamque faciunt. Sunt in Signo Aurigae hae duae stellae, prope aliam quam *Capellam* dicunt. || *Saepe minax Steropes.* Per sidus *Steropes*, Pleiades intelligit. Fuit autem *Sterope* una ex septem Pleiadibus, quae fuere filiae Pleiones et Atlantis. Hae *Vergiliae* a nostris appellantur, quod in vere oriuntur.

8 *Custos Erymanthidos Vrsae.* Arctophylaca intelligit, in cuius Zona est stella *Arcturus*, cuius ortus et occasus tempestates gravissimas facit. || *Aut Hyadas saevis hauserat Auster aquis.* Tauri caput conspersum est stellis frequentibus, quas stellas Graeci *Hyades* vocitare consueverunt a *pluendo.* || *Hauserat aquis.* Pro exhauserat, et quasi evacuerat aquis. Aut pro, Hyades hauserant, hoc est, astraxerant, et concitarant austrum et pluvias.

9 *Saepe maris pars intus erat.* Ex asperginibus. || *Carmina ducebam.* H. e. faciebam. Sic *litteras ducere*, pro *pingere.*

10 *Contenti rudentes* Funes navis extenti. Sunt autem *rudentes* funes nautici, praesertim quibus antenna et velum tenditur. Nonnius inquit: ea caussa rudentes dictos sapientissimi volunt, quod funes, quum vento verberantur, rudere existimantur.

12 *Nihil est nisi mortis imago.* Ex omni parte video instare mortem.

13 *Attigero portum.* Si attigero portum aliquem litoris Thraciae. || *Habet plus timoris.* Quia Thraces appellentes eorum litoribus, interficiunt.

14 *Num simul.* Simul timeo maris procellas, et Thraciae litoris insidias.

15 Ille meo vereor ne speret sanguine praedam;
Haec titulum nostrae mortis habere velit.
16 Barbara pars laeva est, avidaeque instructa rapinae,
Quam cruor et caedes bellaque semper habent.
17 Cumque sit hibernis agitatum fluctibus aequor;
Pectora sunt ipso turbidiora mari.
18 Quo magis his debes ignoscere, candide lector,
Si spe sunt, ut sunt, inferiora tua.
19 Non haec in nostris, ut quondam, scribimus hortis;
Nec, consuete, meum, lectule, corpus habes.
20 Iactor in indomito brumali luce profundo;
Ipsaque caeruleis charta feritur aquis.
21 Improba pugnat hiems, indignaturque, quod ausim
Scribere, se rigidas incutiente minas.
22 Vincat hiems hominem. Sed eodem tempore, quaeso,
Ipse modum statuam carminis; illa sui.

15 *Ille meo, vereor. Ille* ensis. Et rursum, *Ensis*, pro interfectore dictum. Vt sit sensus: Metuo ut ille, scilicet ensis, speret praedam: haec autem, id est, unda, sibi petat titulum ex morte mea

16 *Barbara pars laeva est.* Designat Thraciae litus, quod Ponto alluitur: quod scribit Strabo desertum esse, petrosum, importuosum. || *Avidae instructa rapinae.* Dedita et quasi mancipata

17 *Turbidiora.* Inquietiora, et magis aestuosa. Ex quo designat, mentem curis et timore inquietam non posse artis poëticae studiis vacare.

18 *Si spe sint inferiora.* Si exspectationi tuae non respondeant.

19 *In nostris.* Scribebant quidam in hortis, credentes aptissimam in hoc caeli libertatem, locorumque amoenitatem sublimem animum, et beatiorem spiritum parare. || *Meum, lectule, corpus habes.* Antiqui meditationi, aut scriptioni operam daturi, in lectulis suis lucubratoriis se componebant.

20 *Brumali luce.* Hybernis diebus. || *Charta feritur.* Charta aspergitur maris fluctibus, dum haec scribo.

21 *Rigidas.* Asperas procellas

22 *Vincat hiems hominem.* Id est, cogat me hiems a scribendi opera desistere. || *Sed eodem tempore.* Hiemem precor, ut pariter desistamus. || *Modum carminis.* Finem scribendi. || *Illa sui.* Illa hiems statuat modum sui, id est, desinat saevire.

P. OVIDII NASONIS

TRISTIVM

LIBER SECVNDVS.

ELEGIA VNICA.

ARGVMENTVM. Poëta precatur Augustum, ut si non reditum velit, mitius tamen, ac tutius exsilium concedat. Dicitque se tentare, si forte carmina, quae illi antea nocuere, nunc possint salutem reddere; quemadmodum Achillis hasta, quae Telephum et vulneravit et sanavit. Prolixo igitur et artificioso carmine conatur Caesarem placare, ostendens se multa de eo scripsisse. Enumeratque Poëtas alios quam plurimos, qui nunquam ulla clade affecti sunt, quamvis mordacia, aut turpia poëmata ediderint.

1 Quid mihi vobiscum est, infelix cura, libelli,
Ingenio perii qui miser ipse meo?
2 Cur modo damnatas repeto, mea crimina, Musas?
An semel est poenam commeruisse parum?
3 Carmina fecerunt, ut me cognoscere vellent
Omine non fausto femina virque, mea.
4 Carmina fecerunt, ut me moresque notaret
Iam demum visa Caesar ab Arte meos.

1 *Quid mihi vobiscum est.* Apostrophe est ad libellum. || *Ingenio meo.* Nam propter praecepta artis amatoriae sum in exsilium eiectus.

2 *Musas modo damnatas* Carmina mea, quae paulo ante Augustus damnavit.

3 *Femina virque.* Nam docui et viros et feminas amare licenter.

4 *Iam demum.* Cum adolescens essem. || *Ab arte invisa.* A praeceptis *de Arte amandi* illi odiosis.

5 Deme mihi studium; vitae quoque crimina de-
Acceptum refero versibus, esse nocens. (mes.
6 Hoc pretium curae vigilatorumque laborum
Cepimus: ingenio poena reperta meo.
7 Si saperem, doctas odissem iure sorores,
Numina cultori perniciosa suo.
8 At nunc, tanta meo comes est insania morbo,
Saxa malum refero rursus ad icta pedem.
9 Scilicet et victus repetit gladiator arenam:
Et redit in tumidas naufraga puppis aquas.
10 Forsitan, ut quondam Teuthrantia regna tenenti,
Sic mihi res eadem vulnus opemque feret:
11 Musaque, quam movit, motam quoque leniet iram.
Exorant magnos carmina saepe Deos.
12 Ipse quoque Ausonias Caesar matresque nurusque
Carmina turrigerae dicere iussit Opi.

5 *Deme mihi studium.* Negat ullum in se crimen morum haerere, et dicit: Adime mihi lasciviam scriptorum meorum || *Acceptum refero versibus.* Fateor me a versibus accepisse. Est autem graecismus, pro, *Me esse nocentem.* *Nocens* hic est, obnoxius culpae.

6 *Hoc pretium curae.* Hoc praemium curae anteactae: quod scilicet poenam ingenio reperi.

7 *Cultori suo.* Mihi Ovidio, qui eas colui ac sectatus sum.

8 *Saxa malum refero.* Ordo est: ego memor sciens volens, rursus refero pedem ad saxa icta, hoc est, ad saxa pede percussa. Aut certe *icta*, pro ictus accipitur.

10 *Forsitan ut quondam.* Historiae Telephi innuit, qui cum Achille congressus, ab eodem laesus et sanatus est. || *Teuthrantia regna.* Mysiae regna, quae tenuit rex Teuthrantus: qui virili stirpe carens, Argiopen filiam Telepho despondit, eumque reliquit regni successorem.

12 *Carmina turrigerae.* De Ope Saturni coniuge intelligas, de qua ita scribit Macrobius: Opem Saturni coniugem crediderunt, et ideo eodem mense Saturnalia et Opalia celebrari consueverunt, quod Saturnus, eiusque uxor tam frugum, quam fructuum repertores esse credantur. Itaque omni iam foetu agrorum coacto, ab hominibus hos Deos coli, quasi vitae cultioris auctores, et Terram *Opem*, cuius ope humanae vitae alimenta quaeruntur. Huic autem Deae sacrificari, et carmina cantari iussisse Augustum crediderim, ut Dea redderet mortalibus vitae alimenta. || *Opi turrigerae.* Opi coronam turritam

13 Iusserat et Phoebo dici; quo tempore ludos
Fecit, quos aetas adspicit una semel.
14 His precor exemplis tua nunc, mitissime Caesar,
Fiat ab ingenio mollior ira meo.
15 Illa quidem iusta est, nec me meruisse negabo.
Non adeo nostro fugit ab ore pudor.
16 Sed, nisi peccassem, quid tu concedere posses?
Materiam veniae sors tibi nostra dedit.
17 Si, quoties homines peccant, sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.
18 Hic ubi detonuit, strepituque exterruit orbem,
Purum discussis aëra reddit aquis.
19 Iure igitur genitorque Deûm rectorque vocatur;
Iure capax mundus nil Iove maius habet.
20 Tu quoque, cum Patriae rector dicare, Paterque,
Vtere more Dei nomen habentis idem.

gerenti. Ea enim est terra, ut diximus: cui suppositae sunt civitates, quas insignitas turribus constat, ut etiam Servius scribit.

13 *Iusserat et Phoebo dici.* Saeculares ludos designat, qui fiebant post centum annos, et in quibus *Carmen Saeculare* Apollini et Dianae, tanquam Diis malorum depulsoribus, canebatur. Ludi autem celebrabantur omnibus theatris omnium generum, et sacrificia templis omnibus fiebant noctu pariter, atque interdiu. Primus autem Valerius Publicola consul post reges exactos, Saeculares ludos instituit. || *Quo tempore Fecit.* Ludos Saeculares intelligit, qui Dione teste lib. LIV, anno V. C. DCCXXXVI. quinto celebrati sunt. Alludit autem hoc loco Poëta ad praeconis consuetudinem, qui convocato ad horum ludorum spectacula populo, ita dicebat: Hos ludos, qui facturi sunt, nemo vestrum vidit, nec visurus est.

14 *Fiat ab ingenio.* Mollescat tuus quoque animus carminibus meis, quae nunc ad te supplex conscribo, quando et Dii carmine leniuntur.

15 *Fugit ab ore pudor.* Os, id est, vultus ac frons maxime pudoris sedes est.

16 *Sed nisi peccassem.* Quasi dicat, peccatum meum tibi factum est materia et occasio exercendae clementiae.

18 *Vbi detonuit* Postquam tonare desitum est. Quasi dicat: Post pluviam solet Iupiter serenitatem terris inducere.

20 *Vtere more Dei* More Iovis post tonitrua serenitatem indu-

21 Idque facis: nec te quisquam moderatius unquam
Imperii potuit frena tenere sui.
22 Tu veniam parti superatae saepe dedisti,
Non concessurus quam tibi victor erat.
23 Divitiis etiam multos et honoribus auctos
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.
24 Quaeque dies bellum, belli tibi sustulit iram;
Parsque simul templis utraque dona tulit.
25 Vtque tuus gaudet miles, quod vicerit hostem;
Sic, victum cur se gaudeat, hostis habet.
26 Caussa mea est melior; qui nec contraria dicor
Arma, nec hostiles esse secutus opes.
27 Per mare, per terras, per tertia numina iuro,
Per te, praesentem conspicuumque Deum;
28 Hunc animum favisse tibi, Vir maxime: meque,
Qua sola potui, mente fuisse tuum.
29 Optavi peteres caelestia sidera tarde;
Parsque fui turbae parva precantis idem.
30 Et pia tura dedi pro te: cumque omnibus unus
Ipse quoque adiuvi publica vota meis.
31 Quid referam libros, illos quoque, crimina nostra,
Mille locis plenos nominis esse tui?

centis; ex quo latenter reditum precatur. || *Nomen habentis idem.* Habentis eandem divinitatem, quam tu quoque habes

22 *Tu veniam parti superatae saepe dedisti.* Argumentum ad multos in bellis civilibus superatos referatur.

23 *Qui tulerant in caput arma tuum.* Plinius meminit, Augusti vitam saepe fuisse insidiis petitam.

24 *Quaeque dies bellum* Sensus est: Eodem die, quo coniuratio in te patuit, coniuratis veniam placatus dedisti || *Parsque simul* Coniurati templis Deorum dona obtulere, ob placatum imperatorem: tu vero ob mortis periculum, quod evasisti.

25 *Sic cur se victum.* Sic hostis tuus cognoscit se victum iusta de caussa.

26 *Caussa mea est melior.* Non quidem bona, quandoquidem supra fassus est, eius iram esse iustam, quam meruerit: sed ex contentione certe minus mala.

27 *Per tertia numina.* Per aquas. Potius caelum intellige.

29 *Caelestia sidera tarde.* Sero morereris, et in caelum ires.

31 *Crimina nostra.* Nostrae criminationes. Nam librorum *de*

32 Inspice maius opus, quod adhuc sine fine reliqui,
In non credendos corpora versa modos ;
33 Invenies vestri praeconia nominis illic :
Invenies animi pignora multa mei.
34 Non tua carminibus maior fit gloria, nec quo,
Vt maior fiat, crescere possit, habet.
35 Fama Iovis superest; tamen hunc sua facta referri,
Et se materiam carminis esse, iuvat :
36 Cumque Gigantei memorantur proelia belli ;
Credibile est laetum laudibus esse suis.
37 Te celebrant alii quanto decet ore, tuasque
Ingenio laudes uberiore canunt.
38 Sed tamen, ut fuso taurorum sanguine centum,
Sic capitur minimo turis honore Deus.
39 Ah ferus, et nobis nimium crudeliter hostis,
Delicias legit qui tibi cunque meas !

Arte amandi caussa me in exsilium eiecisti.

32 *Inspice maius opus.* Aspice Metamorphoseon libros. || *Corpora versa.* Corpora transformata.

33 *Invenies vestri,* Laudat in Metamorphosi, et in calce potissimum, Iulium Caesarem, et Augustum.

34 *Nec quo.* Nec qua ratione.

35 *Fama Iovi superest.* Iupiter ita est celebratus et decantatus, ut de laudibus illi supersit potius, quam desit.

36 *Belli Gigantei.* Belli suscepti contra Gigantes. Animadversum a Iove in Gigantes eam ob caussam dicunt, quod magnitudine, ac robore corporis confisi, adversis legibus, et multa egerint in homines iniusta, et propinquas gentes in servitutem redegerint, bellumque his intulerint, qui ob singularia in omnes nationes beneficia Dei sint existimati. Eos autem Iupiter sustulit, in Creta quidem Milinum, in Phrygia Typhonem.

37 *Te celebrant alii.* Virgilium Maronem inprimis designat. || *Quanto decet ore.* Quanto dignum est verborum pondere et magnificentia.

38 *Sed tamen.* Per centum tauros Hecatomben exprimit. Erat enim sacrificium centum boum, ita graeca voce, a numero dictum victimarum.

39 *Nimium crudeliter.* Pro crudelissimus. || *Delicias meas.* Non quidem nunc ; sed quae fuerunt aliquando, quibus me oblectabam. Vel libros Amorum, vel certe amatoria praecepta intelligas oportet.

40 Carmina ne nostris sic te venerantia libris
Iudicio possint candidiore legi.
41 Esse sed irato quis te mihi posset amicus?
Vix tunc ipse mihi non inimicus eram.
42 Cum coepit quassata domus subsidere; partes
In proclinatas omne recumbit onus:
43 Cunctaque Fortuna rimam faciente dehiscunt.
Ipsa suo quondam pondere tecta ruunt.
44 Ergo hominum quaesitum odium mihi carmine: (quaque
Debuit, est vultus turba secuta tuos.
45 At, memini, vitamque meam moresque probabas
Illo, quem dederas, praetereuntis equo.
46 (Quod si non prodest, et honesti gratia nulla
Redditur; at nullum crimen adeptus eram).

40 *Carmina ne nostris*. Ostendit tibi ille delicias meas, ut tu postea credens cetera in quibus laudes tuae continebantur, lascivia eadem aspersa illa reiiceres.

41 *Esse sed irato*. Ostendit latenter multos, et eum potissimum, qui legit eius delicias Caesari, fuisse sibi iratum, propterea quod sciebat eum esse Augusto infestum. Vel certe dicit se omnibus fuisse invisum, posteaquam eius carmen damnavit Augustus.

42 *Cum caepit quassata domus* Domus terrae motu, vel alio casu concussa, qua subsidet et pendet, in eam partem totum onus inclinatur. Hac allegorica similitudine declarat, quantopere offenso Augusto, omnes offenderit, et commune odium scriptis suis invenerit.

43 *Cunctaque dehiscunt*. Omnes domus partes aperiuntur. || *Ipsa suo quondam*. Ordo est: Ipsa, id est, ipsae partes domus ruunt suo pondere. Per *domum* autem *quassatam*, seipsum desisignat. Per *omne onus*, intelligit odium cunctorum, quod contraxit carminis lascivia. Per eum autem, *qui domum concutit*, Augustum designat. Per *fortunam rimam facientem*, denotat eiusdem Augusti potentiam. Per *suum pondus*, accipe Ovidii crimen. Per *partes* vero *tractas*, se odio etiam amicorum exsulasse profitetur.

45 *Praetereuntis equo*. Probasse mores ipsius argumento esse ait, quod ab eo, ut Censore, equo donatus sit. Loquitur autem de *equo transvectionis*, quo ille, qui eques factus erat, a templo Martis praetervehebatur ad aedem Castoris.

46 *Quod si non prodest*. Ad purgationem et testimonium integritatis meae. Vel quod nullo beneficio affectus fui ab Augusto, ob vitam, aut equestrem dignitatem bene anteactam. || *At nullum*. Saltem placet, quod ille me nullo crimine notavit.

47 Nec male commissa est nobis fortuna reorum,
Lisque decem decies inspicienda viris.
48 Res quoque privatas statui sine crimine iudex;
Deque mea fassa est pars quoque victa fide.
49 Me miserum! potui, si non extrema nocerent,
Iudicio tutus non semel esse tuo.
50 Vltima me perdunt; imoque sub aequore mergit
Incolumem toties una procella ratem
51 Nec mihi pars nocuit de gurgite parva: sed omnes
Pressere hoc fluctus, Oceanusque caput.

47 *Nec male commissa est.* His duobus versibus designat Poëta se centumvirum fuisse. In eo enim iudicio caussae testamentariae, et haereditariae, criminalesque etiam audiebantur. Centumviri autem a numero virorum dicebantur. Nam quum Romae essent quinque et triginta tribus, terni ex singulis tribubus eligebantur ad iudicandum: et licet quinque supra centum fuerint, tamen ut facilius nominarentur, centumviri sunt dicti. Eorum vero iudicium *centumviralis hasta* nominabatur: quod posita in suo foro hasta, centumviri iudicabant. || *Fortuna reorum* Sors eorum, qui centumvirali iudicio subiiciebantur. || *Decies decem viris.* Hoc est, a centum viris.

48 *Res quoque privatas statui.* Hic Ovidius videtur ostendere, se ex quarta decuria iudicem, h. e. triumvirum electum, iudicasse de levioribus summis. Per centumvirale iudicium docet, se iudicia publica; per privatas vero caussas, privata etiam iudicia triumvirum exercuisse. Publica enim iudicia sunt, in quibus agitur de proditionibus in patriam, ambitu, maiestate, et accusatione repetundarum. Privata vero iudicia sunt civis ad civem, personae ad personam. || *Sine crimine.* Sine scelere, aut sine cuiusquam criminatione. || *Deque mea fassa est.* Etiam victi iudicio, fidem et integritatem meam in iudicando praedicarunt.

49 *Si non extrema nocerent.* Si non obesset iudicium de me tuum, quo relegatus sum. || *Iudicio tuo.* Quia me virum bonum esse iudicabas. || *Non semel.* Quia in multis casibus tibi mea iustitia fuit cognita.

50 *Vltima.* Vltimum de me iudicium tuum, id est, relegatio. || *Mergit.* Obruit et opprimit. || *Incolumem ratem* Me vivum. || *Vna procella.* Vnica atque extrema illa ira tua.

51 *Nec mihi pars nocuit.* Perstat adhuc in similitudine a navigantibus sumpta. Intelligit autem non parvam Augusti indignationem: aut non solum Augustum sed alios quoque eius caussa eum oppressisse || *De gurgite.* *Gurges* est vorago, abyssus in mari.

52 Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi?
53 Inscius Actaeon vidit sine veste Dianam;
Praeda fuit canibus non minus ille suis.
54 Scilicet in Superis etiam fortuna luenda est;
Nec veniam, laeso numine, casus habet.
55 Illa namque die, qua me malus abstulit error,
Parva quidem periit, sed sine labe, domus.
56 Sic quoque parva tamen, patrio dicatur ut aevo
Clara, nec ullius nobilitate minor:
57 Et neque divitiis, nec paupertate notanda:
Vnde fit in neutrum conspiciendus eques.
58 Sit quoque nostra domus vel censu parva, vel ortu;
Ingenio certe non latet illa meo.
59 Quo videar quamvis nimium iuveniliter usus;
Grande tamen toto nomen ab orbe fero.

52 *Cur aliquid vidi.* De caussa relegationis Ovidii multi multa scripsere; in quibus non deest, qui credat eum testimonium fuisse obscoenitatis Augusti. Et crebrius et gravius hanc noxam deplorat, quam illam alteram, cui stultitiae nomen imponit || *Imprudenti mihi.* Mihi ignoranti quae ab Augusto fierent.|| *Cognita.* Vel res, cuius cognitio mihi culpae ducitur; vel culpa non mea, sed Caesaris.

53 *Inscius Actaeon* Actaeon Aristei et Autonoës filius, longa fatigatus venatione, ut aestum evitaret, in vallem Gargaphien pervenit, ubi erat limpidissimus fons: in quo quum forte Dianam offendisset, ab ea mutatus est in cervum. Fabulam habes apud Ovidium in III *Metam.*

54 *Scilicet in Superis.* Dii, inquit, eos puniunt, qui etiam casu peccant.

55 *Sed sine labe.* Sed sine crimine.

56. *Patrio dicatur ut aevo Clara.* Vt hac nostrae patriae aetate, vel certe patris mei aetate, clara dici possit. || *Nec ullius nobilitate minor.* Nec minor nobilitate ullius domus: vel nec minor ullius, scilicet domus, nobilitate.

57 *Vnde.* Ex qua domo. || *In neutrum.* In neutram partem: ut aut nimis amplas divitias possideas, aut nimiae paupertati obnoxia: ex quo designat mediocres fortunas possedisse.

58 *Vel censu.* Vel fortunis Equestris census erat, quadringenta sestertia, h. e. decem millia Philippaeorum. || *Vel ortu.* Vel origine.

59 *Quo.* Scilicet ingenio. || *Ni-*

60 Turbaque doctorum Nasonem novit, et audet
Non fastiditis annumerare viris.
61 Corruit haec igitur Musis accepta, sub uno,
Sed non exiguo, crimine lapsa domus.
62 Atque ea sic lapsa est, ut surgere, si modo laesi
Ematuruerit Caesaris ira, queat.
63 Cuius in eventu poenae clementia tanta est,
Vt fuerit nostro lenior illa metu.
64 Vita data est, citraque necem tua constitit ira,
O Princeps, parce viribus use tuis.
65 Insuper accedunt, te non adimente, paternae,
Tanquam vita parum muneris esset, opes.
66 Nec mea decreto damnasti facta Senatus:
Nec mea selecto iudice iussa fuga est.
67 Tristibus invectus verbis, ita Principe dignum,
Vltus es offensas, ut decet, ipse tuas.
68 Adde, quod edictum, quamvis immane minaxque,
Attamen in poenae nomine lene fuit.

mium iuveniliter. Quod scribendo iuvenilia et amatoria, Augustum offendit.

60 *Non fastiditis.* Propterea quod quae a me scripta sunt, nullo eos taedio ac fastidio afficiunt. Atque ita scripta sua modeste quidem ac ornate laudat.

61 *Sub uno, sed non exiguo crimine.* Sub una criminatione, sed non parva. Hoc autem dicit, ne Imperatorem offendat.

62 *Ematuruerit.* Matura facta fuerit, et lenita.

63 *In eventu poenae.* In eventu supplicii. || *Cuius.* Augusti scilicet. || *Nostro metu.* Quam timebam.

64 *Citraque necem.* Sine nece: citra animadversionem in vitam et fortunas.

65 *Paternae opes.* Patrimonium mihi a patre relictum. || *Insuper accedunt.* Praeterea mihi permittuntur Solebant enim exsules bona amittere. || *Tanquam vita parum muneris esset.* Laudat Caesaris clementiam, cui vita Ovidio concessa parvum beneficium videbatur, nisi etiam illi fortunas suas concessisset.

66 *Decreto Senatus.* Senatus consulto in tuam sententiam facto, ut relegarer. || *Selecto.* Fuerunt enim quatuor decuriae iudicum primo, pluribus discretae nominibus. Namque aliae tribunorum aeris, aliae iudicum. Quidam nongenti, quidam selecti vocabantur.

67 *Verbis tristibus* Verbis tristitiam significantibus: quod ea commisissem, quibus poena luenda esset.

69 Quippe relegatus, non exsul, dicor in illo;
Parcaque fortunae sunt data verba meae.
70 Nulla quidem sano gravior mentisque potenti
Poena est, quam tanto displicuisse viro.
71 Sed solet interdum fieri placabile numen:
Nube solet pulsa candidus ire dies.
72 Vidi ego pampineis oneratam vitibus ulmum,
Quae fuerat saevi fulmine tacta Iovis.
73 Ipse licet sperare vetes, sperabimus: atque
Hoc unum fieri, te prohibente, potest.
74 Spes mihi magna subit, cum te, mitissime Princeps;
Spes mihi, respicio cum mea fata, cadit.
75 Ac veluti ventis agitantibus aequora non est
Aequalis rabies, continuusque furor;
76 Sed modo subsidunt, intermissique silescunt,
Vimque putes illos deposuisse suam;
77 Sic abeunt, redeuntque mei, variantque timores;
Et spem placandi dantque negantque tui.
78 Per Superos igitur, qui dent tibi longa, dabuntque,
Tempora, Romanum si modo nomen amant;
79 Per patriam, quae te tuta et secura Parente est;
Cuius, ut in populo, pars ego nuper eram;
80 Sic tibi, quem semper factis animoque mereris,
Reddatur gratae debitus Vrbis amor.

69 *Quippe relegatus. Relegare* est, in insulam aliquem, vel in alium locum mittere. Differtque exsilium (ut iurisconsultis placet) a relegatione, quod *exsilium* est perpetuum, *relegatio* fit ad tempus || *Verba meae fortunae.* Decretum tuum de infelicitate mea. || *Sunt parca.* Paucis exponitur.

70 *Mentique potenti.* Generosae menti.

71 *Nube solet pulsa.* Similitudines duae allegoricae, a natura petitae, ad eliciendam Augusti misericordiam.

72 *Oneratam vitibus ulmum.* Vites sexto anno maritantur: et inter ceteras arbores prima omnium ulmus habetur, quae ab eo hanc ob caussam *Marita* appellatur.

74 *Spes mihi magna.* Quem et hostes capitales experti sunt benignissimum.

80 *Reddatur gratae.* Colat te

81 Livia sic tecum sociales compleat annos,
Quae, nisi te, nullo coniuge digna fuit.
82 Quae si non esset, caelebs te vita deceret;
Nullaque, cui posses esse maritus, erat.
83 Sospite sic te sit natus quoque sospes; et olim
Imperium regat hoc cum seniore senex:
84 Vtque tui faciunt, sidus iuvenile, nepotes,
Per tua perque sui facta parentis eant.
85 Sic assueta tuis semper Victoria castris
Nunc quoque se praestet, notaque signa petat:
86 Ausoniumque Ducem solitis circumvolet alis:
Ponat et in nitida laurea serta coma;
87 Per quem bella geris, cuius nunc corpore pugnas,
Auspicium cui das grande, Deosque tuos;

urbs Romana honoribus quos mereris factis et sapientia tua: atque ita rectori optimo gratam sese demonstret.

81 *Livia sic tecum.* Liviam Drusillam dicit, quam Augustus, repudiata Scribonia, duxit uxorem, et probavit unice, ac perseveranter || *Sociales* Sic vocat annos coniugales.

82 *Caelebs vita.* Vita sine uxore.

83 *Sospite sic te sit natus quoque sospes.* Tiberium designat, quem Augustus in filium adoptaverat.

84 *Et tui nepotes.* Et nepotes tui (appositive *sidus iuvenile*, id est, iuvenum Romanorum splendor) eant, ut faciunt, per tua, et per facta tui parentis. Per *nepotes* autem, *Caium* et *Lucium* adhuc viventes designat.

85 *Victoria* Dea notissima.

86 *Ausoniumque ducem* Tiberium designat, qui nunciata Illyrici defectione, transit ad curam novi belli, quod gravissimum omnium bellorum post Punica, per quindecim legiones, paremque auxiliorum copia triennio gessit: quo temporis spatio domuit totum Illyricum. Quas ob res triumphus ei decretus est, quem distulit, moesta civitate clade Variana. Nihilominus urbem praetextatus, et laurea coronatus intravit. Potes etiam intelligere (quod magis placet) Germanicam expeditionem, quam Drusus Tiberii frater, et Augusti privignus suscepit Augusti auspiciis, ut Florus scribit. ||*Solitis alis.* Victoriam Deam pennigeram seu alatam pingebant, ut e caelo devolantem ad eos, quos successibus suis ornare vellet.|| *Laurea serta.* Imperator ac milites triumphantes laureati urbem ingrediebantur.

87 *Deosque tuos* Apollinem, Iulium Caesarem, et ceteros Deos Augusti familiares. || *Auspicium cui*

88 Dimidioque tui praesens hanc respicis Vrbem;
Dimidio procul es, saevaque bella geris;
89 Hic tibi sic redeat superato victor ab hoste;
Inque coronatis fulgeat altus equis;
90 Parce, precor: fulmenque tuum, fera tela reconde,
Heu nimium miro cognita tela mihi!
91 Parce, Pater patriae; nec nominis immemor huius
Olim placandi spem mihi tolle tui.
92 Nec precor, ut redeam: quamvis maiora petitis
Credibile est magnos saepe dedisse Deos.
93 Mitius exsilium si das, propiusque roganti;
Pars erit e poena magna levata mea
94 Vltima perpetior, medios proiectus in hostes;
Nec quisquam patria longius exsul abest.
95 Solus ad egressus missus septemplicis Istri,
Parrhasiae gelido virginis axe premor.
96 Iazyges, et Colchi, Metereaque turba, Getaeque,
Danubii mediis vix prohibentur aquis.

das. Prisci, nihil sine auspiciis et auguriis inceptabant. Inde sermones illi: *bonis* vel *malis auspiciis quid geri*; et *auspicato* vel *inauspicato*, pro feliciter vel infeliciter. Pugnavit itaque Tiberius non suis, verum Augusti auspiciis, h. e. felicitate illius adiutus, et faventibus Diis, qui faverent et bene vellent ipsi Caesari.

88 *Dimidioque tui*. Propter egregium amorem, quo ducem suum hunc Augustus diligebat, vocat eius dimidium; ut Horatius *Virgilium, dimidium animae suae*.

90 *Fera tela reconde*. Quasi dicat, desine mihi infensus esse.

91 *Olim placandi spem* Sensus est. Nec immemor huius nominis, nec tolle spem mihi olim tui placandi, ut particula negandi bis repetatur. || *Olim*. Aliquando.

94 *Vltima perpetior*. Id est, acerbissima.

95 *Septemplicis Istri*. Istri ortus est in Germania, qui per innumeras lapsus gentes, Danubii nomine, immenso aquarum auctu, et unde primum Illyricum alluit, *Ister* appellatur, sexaginta amnibus receptis, medio ferme numero eorum navigabili, in Pontum vastis sex fluminibus evolvitur. || *Ad egressus*. Ad ostia per quae Danubius in mare se exonerat. || *Parrhasiae virginis* Callistus ex Arcadia quae in ursam mutata a Iove, in septentrione locata. fuit: sic dicta a Parrhasia urbe Arcadiae.

96 *Iazyges Iazyges* populi fuere

97 Cumque alii caussa tibi sint graviore fugati,
Vlterior nulli, quam mihi, terra data est.
98 Longius hac nihil est, nisi tantum frigus et hostis;
Et maris adstricto quae coit unda gelu.
99 Hactenus Euxini pars est Romana sinistri:
Proxima Basternae Sauromataeque tenent.
100 Haec est Ausonio sub iure novissima, vixque
Haeret in imperii margine terra tui.
101 Vnde, precor supplex, ut nos in tuta releges:
Ne sit cum patria pax quoque ademta mihi;

Scythaium, quos Plinius scribit campos et plana tenuisse. || *Colchi.* Autore Dionisio *Colchi* fuere ad extremum Ponti, Caucaso monti adhaerentes, olim ex Aegypto profecti. *Colchos* accipere etiam eos licet, qui Medeam fugientem persecuti, cum illam apprehendere non potuissent, circa Tomos, et insulas Brigeidas consederunt. || *Metereaque turba.* Aut urbem Meteream eam intellige, quam Ptolemaeus supra Thyram fluvium ponit, penes Daciam, et *Metoniam* appellat. Aut certe *Neurea*, ut Neuros intelligas, apud quos oritur Borysthenes, ut est autor Plinius. || *Getaeque.* *Getas* Strabo eos appellatos dicit, qui ad Pontum in orientem vergebant: *Dacos* vero, qui in oppositum versus Germaniam et ad Istri fontes, quos olim *Davos* vocatos fuisse arbitratur. || *Mediis aquis Danubii.* Aquis Danubii disterminantibus urbem Tomon a nationibus supra dictis.

97 *Tibi fugati.* A te fugati.

98 *Nisi tantum frigus.* Fuere enim urbes illae in septentrionali regione. || *Adstricto gelu.* Cimmerius Bosphorus, qui Asiam ab Europa separat, ita glaciatur, ut mare illud pedibus plerumque pervium sit: quam glaciem dicit Poëta esse paulo ultra terras ad quas relegatus est.

99 *Hactenus.* Vsque ad Danubium: quem dicit esse terminum Romani imperii. Vicina Basternae et Sauromatae hostes occupant || *Euxini sinistri.* Pontici maris: qui est a sinistra navigantibus ad Cimmerium Bosphorum. || *Est pars Romana.* Est ditionis Romanae. || *Basternae.* *Basternae* populi fuere ad Oceanum septentrionalem versi. Eos Ptolomaeus scribit fuisse in Sarmatia Europae. Hos Tacitus *Peucinos* nominat, dubitatque Sarmatisne an Germanis ascribat. || *Sauromataeque.* *Sarmatae*, populi septentrionales, partim in Asia, partim in Europa, Tanai fluvio discreti. || *Tenent proxima.* Tenent loca Istro vicina.

100 *Haec est novissima.* Haec terra ad quam relegatus sum, est extremus terrarum populi Romani terminus

101. *Ne sit cum patria.* Hoc pe-

102 Ne timeam gentes, quas non bene submovet Ister:
Neve tuus possim civis ab hoste capi.
103 Fas prohibet Latio quemquam de sanguine natum,
Caesaribus salvis, barbara vincla pati. (ror;
104 Perdiderint cum me duo crimina, carmen et er-
Alterius facti culpa silenda mihi. (Caesar;
105 Nam non sum tanti, ut renovem tua vulnera,
Quem nimio plus est indoluisse semel.
106 Altera pars superest: qua turpi crimine tactus
Arguor obscoeni doctor adulterii.
107 Fas ergo est aliqua caelestia pectora falli;
Et sunt notitia multa minora tua.
108 Vtque Deos, caelumque simul sublime tuenti
Non vacat exiguis rebus adesse Iovi;
109 A te pendentem sic dum circumspicis orbem,
Effugiunt curas inferiora tuas.
110 Scilicet imperii, Princeps, statione relicta
Imparibus legeres carmina facta modis?
111 Non ea te moles Romani nominis urget,
Inque tuis humeris tam leve fertur onus;

ti, ut amissa patria, saltem pacate vivat citra ullum hostilem tumultum.

102 *Non bene submovet.* Non bene arcet.

103 *Fas prohibet.* Vincire civem Romanum, ac verberare, ne dum interficere, magnum nefas.

104 *Carmen.* Praecepta amatoria. || *Et error.* Et imprudentia ac casus. || *Alterius facti.* Erroris.

106 *Altera pars superest.* Restat, ut purgem me de carmine amatorio.

107 *Fas ergo est.* Carmen amatorium non esse culpandum arguit; idque non potuisse Augustum in maioribus occupatum recte iudicare, significat. || *Aliqua.* Aliquatenus, aliqua ratione et modo. Quasi dicat: Dii etiam falluntur aliquo modo, quum res non pensiculate intuentur; ut tu Auguste, qui prae magnis negotiis non potuisti carmen meum legere. || *Et sunt notitia.* Multa reperiuntur, quae sunt indigna cognitione tua.

109 *Orbem pendentem.* Imperium terrarum in te inclinatum. || *Circumspicis.* Metaphora haec, curam, sollicitudinem, vigilantiam notat. || *Inferiora.* Vt fuere mea carmina de Arte amatoria.

110 *Scilicet.* Ironia. || *Imparibus modis.* Versu elego.

111 *Ea moles.* H. e. magnitudo imperii tibi non est oneris.

112 Lusibus ut possis advertere numen ineptis;
Excutiasque oculis otia nostra tuis.
113 Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda:
Rhaetica nunc praebent Thraciaque arma metum.
114 Nunc petit Armenius pacem: nunc porrigit arcus
Parthus eques, timida captaque signa manu.
115 Nunc te prole tua iuvenem Germania sentit;
Bellaque pro magno Caesare Caesar obit.
116 Denique, ut in tanto, quantum non exstitit unquam,
Corpore, pars nulla est, quae labet, imperii;

112 *Ineptis lusibus.* Inepto carmine.

113 *Nunc tibi Pannonia. Pannonia* natio circa Istrum. Huius incolae *Paeones* a Graecis, a Romanis *Pannonii* appellati fuere; et ab illis inter Illyrios numerabantur. || *Nunc Illyris ora domanda. Illyrii* populi sunt sub Alpibus. || *Rhaetica nunc praebent. Rhaeti* ad Italiam usque pertinent, quae supra Veronam et Comum est. || *Thraciaque arma. Thraces* quoque cum ceteris desciverant: qui et signis militaribus, et disciplina, armis etiam Romanis assueti fuerant. Pausanias etiam scribit, nullam nationem, praeter Galliam, Thracia maiorem esse. Incolebant septentrionalem Germaniae partem ad Pontum Euxinum.

114 *Nunc petit Armenius pacem.* Armenios victor, rege Tigrane, in hoc unum servitutis genus assueverat Pompeius, ut rectores a Romanis acciperent. || *Parthus nunc porrigit arcus.* Augustus finito Hispano bello, in Syriam ad componendum orientis statum pervenit: metumque Phraarti iniunxit, ne bellum Parthiae vellet inferre. Itaque tota Parthia captivi ex Crassiano sive Antonii exercitu recollecti, signaque cum his militaria Augusto remissa. Sed et filii nepotesque Phraartis obsides Augusto dati: plusque Caesar magnitudine nominis sui fecit, quam armis alius Imperator facere potuisset.

115 *Nunc te prole tua.* Germanicam expeditionem designat, quam Drusus Augusti privignus susceperit eius auspiciis: quem Poëta *Augusti prolem* nominat, quoniam eius erat privignus, et frater Tiberii. || *Bellaque pro magno Caesare.* Sensus est: Drusus bella gerit pro Augusto. Appellat autem Drusum Augusti privignum, Caesarem.

116 *Denique ut in tanto.* Ordo est: denique nulla pars imperii est quae labet: ut in tanto corpore, scilicet imperii, quantum non unquam, omnes partes sint firmae: nunquam enim Romanum imperium maius fuit quam felicissimo Augusti tempore

117 Vrbs quoque te et legum lassat tutela tuarum
Et morum, similes quos cupis esse tuis.
118 Nec tibi contingunt, quae gentibus otia praestas;
Bellaque cum multis irrequieta geris.
119 Mirer in hoc igitur tantarum pondere rerum
Nunquam te nostros evoluisse iocos?
120 At si, quod mallem, vacuus fortasse fuisses,
Nullum legisses crimen in Arte mea.
121 Illa quidem fateor fronti non esse severae
Scripta, nec a tanto Principe digna legi:
122 Non tamen idcirco legum contraria iussis
Sunt ea; Romanas erudiuntque nurus.
123 Neve, quibus scribam, possis dubitare; libellus
Quatuor hos versus e tribus unus habet:
124 « Este procul, vittae tenues, insigne pudoris;
Quaeque tegis medios instita longa pedes:
125 Nil, nisi legitimum, concessaque furta, canemus;
Inque meo nullum carmine crimen erit. »

117 *Vrbs quoque te.* Vrbem Augustus pro maiestate imperii ornatam et inundationibus incendiisque obnoxiam excoluit: adeo ut iure sit gloriatus marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset. || *Et legum lassat tutela tuarum.* Leges retractavit etiam Augustus, et quasdam ex integro sanxit, ut sumptuariam, aliasque multas. || *Et morum.* Augustus impetratis a senatu decem adiutoribus, unumquemque equitum rationem vitae reddere coëgit.

118 *Nec tibi.* Semper enim es occupationibus maximis districtus.

119 *Mirer in hoc igitur.* Quum, inquit, rerum magnitudine obrutus semper fueris, mirandum est te unquam scripta mea attigisse. Ex quo latenter designat, non potuisse eum damnare ob carminis lasciviam, incognita caussa.

120 *At si, quod mallem.* Incipit arguere nullum esse in eius carmine crimen relegatione dignum.

121 *Severae frontis.* Severitatem ullam in prima pagina prae se ferentia.

123 *Quibus scribam.* Quibus tradam ea praecepta amatoria. || *E tribus unus.* Vnus e tribus illis libris de Arte amandi compositis, quorum eruditio et elegantia tanta est, ut non relegatione, sed honoribus et praemiis dignus fuerit Poëta, nisi illos lascivia foedasset.

124 *Vittae tenues, insigne pudoris.* Virgines designat et innuptas, per *vittas.*

126 Ecquid ab hac omnes rigide submovimus Arte,
Quas stola contingi vittaque sumpta vetat?
127 At matrona potest alienis artibus uti;
Quoque trahat, quamvis non doceatur, habet.
128 Nil igitur matrona legat: quia carmine ab omni
Ad delinquendum doctior esse potest. (stri,
129 Quodcunque attigerit, si qua est studiosa sini-
Ad vitium mores instruet inde suos.
130 Non tamen idcirco crimen liber omnis habebit.
Nil prodest, quod non laedere possit idem.
131 Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta
Comparat, audaces instruit igne manus.
132 Eripit interdum, modo dat medicina salutem: (cens.
Quaeque iuvans monstrat, quaeque sit herba no-
133 Et latro, et cautus praecingitur ense viator:
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.
134 Discitur, innocuas ut agat, facundia, caussas:
Protegit haec sontes, immeritosque premit.
135 Sic igitur carmen, recta si mente legatur,
Constabit nulli posse nocere meum.

126 *Ecquid* Nunquid. || *Omnes rigide.* Omnes severas matronas. || *Ab hac arte.* Ab arte amandi. || *Vetat contingi.* Prohibet violari.

127 *At matrona potest alienis artibus uti.* Docet esse alias artes, quibus corrumpi possunt Romae castissimae feminae. || *Quo trahat.* Quod sequatur.

128 *Nil igitur matrona legat.* Nullum scriptorum genus a matronis excutiendum esse asserit, si hae praesertim sint sinistrae mentis: quoniam nullum est scriptum, in quo non sit aliquid quod non possit in deteriorem partem et in vitium interpretari. || *Ad delinquendum.* Ad peccandum.

129 *Est studiosa sinistri.* Studet res in sinistram et contrariam partem accipere. Vel, est proclivis ad deteriora.

130 *Idcirco.* Hanc ob caussam, quod in scriptis sit aliquid quod possit animis nocere. || *Habebit.* Criminari potest.

132 *Eripit interdum.* Docet a simili, medicinam quoque habere praecepta quibus mortalibus salus aut datur, aut adimitur.

134 *Vt agat innocuas.* Vt tractet caussas iustas, unde Oratorem volunt esse virum bonum. || *Protegit haec sontes.* Tamen aliqui contra institutum oratoris caussas iniquas suscipiunt.

136 At quiddam vitii quicunque hinc concipit, errat:
Et nimium scriptis abrogat ille meis.
137 Vt tamen hoc fatear: ludi quoque semina praebent
Nequitiae. Tolli tota theatra iube;
138 Peccandi caussam quae multis saepe dederunt,
Martia cum durum sternit arena solum.
139 Quis locus est templis augustior? haec quoque
In culpam si qua est ingeniosa suam. (vitet,
140 Omnia perversas possunt corrumpere mentes.
Stant tamen illa suis omnia tuta locis.
141 At cur in nostra nimia est lascivia Musa?
Curve meus cuiquam suadet amare liber?
142 Nil nisi peccatum manifestaque culpa fatendum
Poenitet ingenii iudiciique mei. (est:
143 Cur non, Argolicis potius quae concidit armis
Vexata est iterum carmine Troia meo?

136 *Quicunque hinc concipit.* Quicunque existimat hoc, quod carmen possit etiam nocere. || *Errat.* Fallitur. || *Abrogat scriptis.* Detrahit de illis vehementer: facit despicabilia. A legibus ducta metaphora. Est autem *abrogare*, legem perlatam prorsus tollere.

137 *Ludi quoque semina praebent Nequitiae.* Ludi etiam, qui in Deorum honorem fieri solent, habent semina quaedam lasciviae. || *Tolli tota theatra iube.* Ironice dicit. Ergo quia habent semina lasciviae, removendi sunt ludi, et loca ubi fiunt? quasi dicat, non.

138 *Peccandi* Ludi etiam gladiatorii, fuere caussa, ut multi peccarent. || *Cum arena Martia.* Quum arena, ubi pugnam gladiatores inibant, cuius Deus est Mars || *Sternit durum solum.* Hoc dicit, quia ludi gladiatorii exhibebantur in foro arena constrato.

139 *Quis locus est templis augustior.* Templa etiam Deorum probat habere quod possit obesse, nec tamen ideo ea esse vitanda colligit. Haec autem omnia eo pertinent, ut a simili carmen amatorium a se compositum excuset.

140 *Illa omnia.* Ea quae possunt corrumpere mentes perversas. || *Stant tuta.* Neminem offendunt, tuto possunt frequentari.

141 *Curve meus.* Seipsum autem damnat Poëta, quod in libris de Arte amandi nimia usus fuerit lascivia, et amatoria praecepta tradiderit.

143 *Cur non Argolicis.* Varias materias describit, quibus se laudem comparare potuisse dicit, si in his potius, quam in praeceptis ama-

144 Cur tacui Thebas, et mutua vulnera fratrum?
Et septem portas, sub duce quamque suo?
145 Nec mihi materiam bellatrix Roma negabat:
Et pius est, patriae facta referre, labor.
146 Denique, cum meritis impleveris omnia, Caesar,
Pars mihi de multis una canenda fuit.
147 Vtque trahunt oculos radiantia lumina Solis;
Traxissent animum sic tua facta meum.
148 Arguor immerito. Tenuis mihi campus aratur:
Illud erat magnae fertilitatis opus.
149 Non ideo debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu.
150 Forsan, et hoc dubitem, numeris levioribus aptus
Sim satis; in parvos sufficiamque modos.
151 At si me iubeas domitos Iovis igne Gigantas
Dicere; conantem debilitabit onus.

toriis laborare voluisset.|| *Vexata est iterum.* Troia iterum dicitur vexari carmine, quum eius casus et ruina quasi vera clades describitur.

144 *Et mutua vulnera fratrum.* Per mutua vulnera fratrum, Eteoclis et Polynicis mortem intellige, qui mutuo ictu cecidere, ut Diodorus scribit, et Statius cecinit Ex quo Thebanum bellum designat. || *Et septem portas.* Thebae ab autoribus *Heptapylae* sunt nominatae, quia septem portis ambiebantur. || *Sub duce quamque suo.* Septem enim reges contra Eteoclem pro Polynice conspirarunt, scilicet Adrastus Argivorum rex, Amphiaraus, Hippomedon, Capaneus, Tydeus, Parthenopaeus, et Polinices, pro quo bellum gestum est Adrasti ductu et auspiciis. In oppugnatione autem Thebarum horum ducum unusquisque portam sibi oppugnandam sumpserat.

146 *Pars una de multis.* Vna pars meritorum tuorum, quae multa sunt.

148 *Arguor.* Dicit se immerito reprehendi, quod non scripsit aliquid eorum quae praeposuit, quoniam humili magis quam arduae materiae aptum se esse intelligit. || *Tenuis campus.* Tenuis materia. || *Aratur mihi.* A me tractatur. || *Illud opus* Vel bellum Thebanum et reliqua, vel Augusti gesta.|| *Magnae fertilitatis* Ingenii fertilis, uberis ingenii.

150 *Forsan in hoc dubitem.* Se fatetur dubitare an sit satis aptus leviori scribendi generi et elegis. || *Numeris levioribus.* Tenuiori materiae.

151 *Gigantas domitos.* Bellum

152 Divitis ingenii est immania Caesaris acta
Condere; materia ne superetur opus.
153 Et tamen ausus eram: sed detrectare videbar,
Quodque nefas, damno viribus esse tuis.
154 Ad leve rursus opus, iuvenilia carmina, veni;
Et falso movi pectus amore meum.
155 Non equidem vellem: sed me mea fata trahebant,
Inque meas poenas ingeniosus eram. (tes,
156 Heu mihi, quod didici! quod me docuere paren-
Literaque est oculos ulla morata meos!
157 Crede mihi, mores distant a carmine nostro.
Vita verecunda est, Musa iocosa mihi.
158 Magnaque pars operum mendax et ficta meorum
Plus sibi permisit compositore suo. (ptas,
159 Nec liber indicium est animi, sed honesta volu-
Plurima mulcendis auribus apta ferens.
160 Accius esset atrox; conviva Terentius esset;
Essent pugnaces, qui fera bella canunt.

giganteum. || *Onus.* Operis difficultas.

152 *Materia ne superetur opus.* Ne maior sit materia quam opus et carmen.

153 *Ausus eram.* Ausus eram scribere tua gesta. || *Sed detrectare videbar.* Videbar recusare, quia ingenium non erat aptum materiae. Alias, *Detrectare* legitur, pro imminuere et detrahere aliquid gloriae vel laudi. Ingenii culpa laudes Caesaris deterere. || *Damno viribus.* Imbecillitate sua eius vires, robur, praestantiam se quodammodo debilitasse et dedecorasse.

154 *Iuvenilia* Iuvenum lusus tractantia ||*Movi meum pectus.* Sollicitavi, aut movi ad scribendum mentem meam. || *Falso amore.* Simulando me aut esse, aut fuisse amore captum.

155 *Mea fata trahebant.* Fata voluere, ut scriberem lascivas res, et ob eam caussam postea relegarer.

158 *Plus sibi permisit.* Plus sibi concessit lasciviae pars magna meorum operum. || *Compositore suo.* Me Ovidio qui ea composui.

159 *Nec liber indicium est animi.* Non ex libro mentem alicuius cognoscimus, vel lascivam, vel severam. || *Sed honesta voluptas.* Sed mea voluptas honesta aspersit lascivia quadam scripta, ut ea legentium aures demulceret.

160 *Accius.* Exemplis probat poëtas non versu, sed vita probandos. || *Esset atrox.* Esset crudelis, propterea quod tragoedias scripsit

161 Denique composui teneros non solus amores:
Composito poenas solus amore dedi.
162 His ego deceptus non tristia carmina feci;
Sed tristis nostros poena secuta iocos.
163 Denique nec video de tot scribentibus unum,
Quem sua perdiderit Musa; repertus ego.
164 Et nos iam pridem scripto peccavimus uno.
Supplicium patitur non nova culpa novum.
165 Carminaque edideram, cum te delicta notantem
Praeterii toties iure quietus eques.
166 Ergo, quae iuveni mihi non nocitura putavi
Scripta parum prudens, nunc nocuere seni?
167 Sera redundavit veteris vindicta libelli;
Distat et a meriti tempore poena sui. (sum:
168 Nec tamen omne meum credas opus esse remis-
Saepe dedi nostrae grandia vela rati.
169 Sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos;
Cumque suo finem mense volumen habet.
170 Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar,
Et tibi sacratum sors mea rupit opus.

|| *Conviva Terentius esset.* Hoc dixit, quia Terentius in Andria discribit convivium a quibusdam adolescentibus celebratum. || *Essent pugnaces*. Essent bellicosi.

162 *His ego deceptus*. Deceptus horum exemplo. || *Tristis poena* Exsilium dicit.

164 *Uno scripto.* Isto lascivo scribendi genere || *Non nova culpa*. Non novum crimen scribendi amatoria. || *Supplicium novum* Novam poenam; nam quum iamdiu haec scripserim, nunc tandem punior. Vel certe hoc dicit: Quum alii etiam lasciva poëmata ediderint, solus afficior novo supplicio, quo in nullum ante me hanc ob caussam animadversum fuisse constat.

165 *Cum te delicta notante*. Designat Augustum censorem minime notasse se equitem praetereuntem de more, ut superius docuimus censores factitasse.

167 *Sui meriti*. Suae culpae.

168 *Esse remissum*. Esse abiectum, humile, et lascivum; vel *remissum*, idem quod solutum. Sic enim et mores solutos dicimus. || *Grandia vela*. Maiorem materiam.

169 *Cumque suo finem*. Se digessisse dicit Fastorum opus, in duodecim volumina, et unicuique mensi suum assignasse, et eo pacto cum mensibus ea finem habent

170 *Idque tuo nuper*. Ovidius

171 Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis:
Quaeque gravis debet verba cothurnus habet.
172 Dictaque sunt nobis, quamvis manus ultima coe-
Defuit, in facies corpora versa novas. (pto
173 Atque utinam revoces animum paulisper ab ira,
Et vacuo iubeas hinc tibi pauca legi!
174 Pauca quibus prima surgens ab origine mundi,
In tua deduxi tempora, Caesar, opus:
175 Adspicias, quantum dederis mihi pectoris ipse:
Quoque favore animi teque tuosque canam.
176 Non ego mordaci destrinxi carmine quemquam:
Nec meus ullius crimina versus habet.
177 Candidus a salibus suffusis felle refugi:
Nulla venenato litera mista ioco est.
178 Inter tot populi, tot scripti millia nostri,
Quem mea Calliope laeserit, unus ego.
179 Non igitur nostris ullum gaudere Quiritem
Auguror, at multos indoluisse, malis.

relegatus in Pontum, Fastorum libros, plerisque additis ac mutatis, Germanico Drusi privigni Augusti filio inscripsit, ut eius precibus ab Augusto reditum impetraret: quum eos antea Augusto dicasset, ut ex hoc carmine percipi potest. || *Et tibi sacratum* Et tibi dicatum. || *Sors mea* Meum infortunium et exsilium. Eo enim tempore in exsilium eiectus est, quo opus illud scripsit.

171 *Et dedimus tragicis.* Tragoediam Medeam dicit, ostendere videtur, quantum vir ille praestare potuerit, si ingenio suo temperare, quam indulgere maluisset. || *Gravis cothurnus.* Gravis tragicus stilus. Graves enim personae, et reges, in tragoediis inducuntur.

172 *Manus ultima.* Castigatio ipsa. Opus enim illud inemendatum emisit. || *In facies corpora versa novas.* Corpora mutata in novas figuras, ex quo Metamorphoseon opus designat.

173 *Hinc.* Ex hoc Metamorphoseon opere.

175 *Quantum pectoris.* Quantum animi et facundiæ.

176 *Destrinxi.* Laceravi. || *Crimina ullius.* Criminationes alicuius.

177 *Candidus.* Ego innocens. || *A salibus.* A iocis || *Suffusis felle.* Aspersis amaritudine. || *Venenato ioco.* Mordaci ioco.

178 *Inter tot millia nostri scripti.* Inter tot millia nostrorum carminum. || *Quem mea Calliope laese-*

180 Nec mihi credibile est quemquam insultasse iacen-
Gratia candori si qua relata meo est. (ti;
181 His precor, atque aliis possint tua numina flecti,
O pater, o patriae cura salusque tuae.
182 Non ut in Ausoniam redeam, nisi forsitan olim,
Cum longo poenae tempore victus eris.
183 Tutius exsilium, pauloque quietius, oro:
Vt par delicto sit mea poena suo.

rit. Quia in exsilium eiectus fui sub praetextu carminum Artis amatoriae.

180 *Insultasse.* Derisisse. || *Gratia candori.* Ordo est: Gratia meo candori, si qua, subaudi, relata est unquam.

182 *Eris victus.* Eris placatus.

183 *Tutius exsilium.* Locum magis tutum, quam Tomum. || *Vt par delicto.* Vt talis sit poena, qualem meruit crimen meum, quod est perexiguum.

P. OVIDII NASONIS

TRISTIVM

LIBER TERTIVS.

ELEGIA I.

ARGVMENTVM. Poëta librum suum Romam mittit incultum quidem, et sordidum; inducitque illum errare per varia Vrbis loca, precarique Augustum, ut patri exsuli, et Poëtae det veniam. Sed cum nusquam recipi se videat, rogat manus plebeias, ut illae saltem eum accipiant, ut habeat ubi possit divertere.

1 Missus in hanc venio timidi liber exsulis urbem.
Da placidam fesso, lector amice, manum:
2 Neve reformida, ne sim tibi forte pudori.
Nullus in hac charta versus amare docet.
3 Nec domini fortuna mei est, ut debeat illam
Infelix ullis dissimulare iocis.
4 Id quoque, quod viridi quondam male lusit in aevo,
Heu nimium sero damnat et odit opus.

1 *Exsulis*. Ovidii. || *Vrbem*. Romam. || *Venio timidi*. Quia Augustum timeo. || *Da placidam manum*. Placide me suscipe; vel placidus et benignus fessum me itinere longo adiuva *Dare* enim *manum*, significat quasi manu alicui opem ferre. Vel, da dexteram, fidei et auxilii simbolum. || *Fesso*. Longo itinere fatigato.

2 *Ne sim tibi pudori*. Dedecori, infamiae. *Nullus in hac charta* Charta hic pro toto libro.

3 *Dissimulare*. Celare. || *Vllis iocis*. Vllis scriptis amatoriis, aut iocosis.

4 *In viridi aevo*. In iuventute. Intelligit autem opus illud de arte amandi, quod iuvenis admodum composuit. || *Nimium sero*. Nimis

5 Inspice quid portem: nihil hic nisi triste videbis;
Carmine temporibus conveniente suis.
6 Clauda quod alterno subsidunt carmina versu:
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.
7 Quod neque sum cedro flavus, nec pumice laevis;
Erubui domino cultior esse meo.
8 Litera suffusas quod habet maculosa lituras;
Laesit opus lacrimis ipse poëta suum.
9 Si qua videbuntur casu non dicta Latine;
In qua scribebat, barbara terra fuit.
10 Dicite, lectores, si non grave, qua sit eundum;
Quasque petam sedes hospes in Vrbe liber.
11 Haec ubi sum lingua furtim titubante locutus;
Qui mihi monstraret, vix fuit unus, iter.
12 Dî tibi dent, nostro quod non tribuere parenti,
Molliter in patria vivere posse tua.
13 Duc age: namque sequor; quamvis terraque marique
Longinquo referam lassus ab orbe pedem.

tarde: quia nihil in praesentia prodest.

5 *Nisi triste*. Intelligit autem opus hoc de Tristibus, ubi luctuosa tractantur.

6 *Subsidunt clauda alterno versu*. Sint composita versu elego, qui constat ex hexametro longiore, et pentametro breviore. Hinc estive elegiacum, quo utitur, *claudicare* ait; et culpam vel in pedem, qui desit, vel in longitudinem perambulati itineris confert. || *Vel pedis ratio*. Quia in pentametro requiruntur quinque pedes tantum. Et quia alter altero longior est uno pede, ideo claudum appellavit. || *Via longa*. Non sine dolore innuit Poëta, longo itinere carmen, claudum factum fuisse.

7 *Flavus cedro*. De cedro, et eius usu in servandis libris, diximus supra l. 1. el. 1. || *Erubui*. Puduit me cultiorem prodire auctore.

8 *Laesit opus*. Obliteravit, deformavit.

10 *Qua sit eundum*. Qua via ad Augusti aedes proficiscendum sit.

11 *Lingua titubante*. Lingua haesitante prae timore blaesa.

12 *Dî tibi dent*. Haec sunt verba precantis libri, ut qui sibi iter monstrarit, possit in patria molliter mori. || *Molliter*. Iucunde, hilariter, et procul omni molestia.

13 *Ab orbe longinquo* E Scythia.

14 **Paruit; et ducens, Haec sunt Fora Caesaris, inquit:**
Haec est a Sacris quae via nomen habet.
15 **Hic locus est Vestae, qui Pallada servat et ignem:**
Hic fuit antiqui regia parva Numae.
16 **Inde petens dextram, Porta est, ait, ista Palati:**
Hic Stator: hoc primum condita Roma loco est.
17 **Singula dum miror; video fulgentibus armis**
Conspicuos postes, tectaque digna Deo. (putarem,
18 **An Iovis, haec, dixi, domus est? Quod ut esse**
Augurium menti querna corona dabat.
19 **Cuius ut accepi dominum, Non fallimur, inquam:**
Et magni verum est hanc Iovis esse domum.

14 *Fora Caesaris.* Intelligit forum Augusti, in quo ius dicebatur. || *Haec est a sacris.* Viam sacram designat, foro Augusti, qui in Capitolio habitabat, vicinam: ita dictam, quod per eam ab arce, id est, a Capitolio, ad augures sacra ferebantur; vel quod in ea foedus ictum sit inter Romulum et Tatium.

15 *Hic locus est Vestae.* Vestae templum rotundum, in quo servabatur Palladium, cum igne perpetuo, qui a Virginibus Vestalibus servabatur. Ex hoc multi putant a Romulo prius erectum Dionysius tamen scribit, id a Numa aedificatum in foro existente in medio Capitolii et Palatii loco, idque anno urbis quadragesimo, ut in Fastis docet Ovidius Atrium autem Vestae fuit Numae regia, vel potius pars regiae.

16 *Porta est, ait, ista Palati.* Ea porta prius *Saturnia*, dein *Pandania* appellata fuit, ut est auctor Varro et Solinus. || *Hic Stator.* Hic pater Romulus primum habitavit. || *Hoc primum.* Nam Pelasgi Arcades ex urbe Pallantio exeuntes, duce profectionis Evandro, in uno ex septem collibus sedes posuere, qui in medio ferme est Romae, *Pallantium* vocantes eum locum, a patria sua in Arcadia.

17 *Video fulgentibus armis.* Hic aedes Augusti in Palatio factas laudat Ovidius, quas etiam *Aen.* VII. Maro describit, easque in Laurolavinio vult fuisse, ut Servius docet. || *Fulgentibus armis.* Solebant enim postes, portas, et vestibula aedium, atria quoque spoliis et armis, quae hostibus ademissent exornare, clypeis, galeis, etc. Nec aut consumpta refici, aut fracta redintegrari mos erat. Praeterea aedibus abalienatis non licebat ea emptori reficere.

18 *Iovis est.* Est Augusti. || *Querna corona.* Corona ex quercu: quae arbor erat in Iovis tutela

19 *Cuius ut accepi.* Simul atque cognovi Augustum illuc habitare.

20 Cur tamen apposita velatur ianua lauro?
Cingit et augustas arbor opaca fores?
21 Num quia perpetuos meruit domus ista triumphos?
An quia Leucadio semper amata Deo?
22 Ipsane quod festa est, an quod facit omnia festa?
Quam tribuit terris, Pacis an ista nota est?
23 Vtque viret semper laurus, nec fronde caduca
Carpitur; aeternum sic habet illa decus?
24 Caussa, superpositae scripto testata coronae,
Servatos cives indicat huius ope.
25 Adiice servatis unum, Pater optime, civem;
Qui procul extremo pulsus in orbe iacet.

20 *Velatur ianua lauro.* Laurus ante Caesaris ianuam erat.

21 *Num quia perpetuos.* Rationem primam assignat, cur Augusti ianua lauro velaretur, et ea Augustus coronaretur. || *Perpetuos triumphos.* Vt perpetuo triumpharet. || *Leucadio deo.* Deo Apollini. Amat Apollo laurum propter Daphnen in eam commutatam. Augustus enim in ore sinus Ambracii, Aetium cum nobili templo Apollinis condidit, haud longe a Leucate promontorio, a quo Deus *Leucadius* dictus est: seu a Leucadia peninsula, quae olim *Neritos* appellata, haud longe dicitur sita, autore Plinio.

22 *Ipsane quod festa est.* Festam laurum appellat, quoniam Romanis ea laetitiae victoriarumque nuncia fuit: facitque omnia festa et laeta, omniumque mentes laurus exhilarat. Deponebaturque etiam in gremio Iovis optimi maximi, quoties laetitiam victoria novam attulisset. || *Pacis an ista nota est.* Paciferam laurum fuisse, docet Plinius. || *Quam tribuit.* Quam terris dedit. Nam Augustus post multa bella pacatum orbem tenuit.

23 *Vtque viret semper.* Quemadmodum laurus semper est viridis, nec unquam frondes amittit; sic parta gloria, quae nunquam intermoritur, ornatur lauro semper virenti. || *Aeternum sic habet illa.* Sic ista domus vigebit ac florebit omnium memoria saeculorum.

24 *Caussa superpositae.* Superior pars ianuae, frondibus lauri ornabatur, cui subiecta erat corona querna, quae ei dabatur, qui civem servasset, et *civica* dicebatur. Hinc civicae coronae militum, virtutis insigne clarissimum. Illud notandum, civicam coronam ilignam primo fuisse; postea magis placuit ex esculo Iovi sacra.

25 *Vnum civem.* Vnum Ovidium. || *In orbe extremo.* In extrema parte orbis, hoc est, in Scythia.

26 In quo poenarum, quas se meruisse fatetur,
Non facinus caussam, sed suus error habet.
27 Me miserum! vereorque locum, venerorque po-
Et quatitur trepido litera nostra metu. (tentem,
28 Adspicis exsangui chartam pallere colore?
Adspicis alternos intremuisse pedes?
29 Quandocunque, precor, nostro placata parenti
Isdem sub dominis adspiciare domus.
30 Inde tenore pari gradibus sublimia celsis
Ducor ad intonsi candida templa Dei.
31 Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis
Belides, et stricto barbarus ense pater:
32 Quaeque viri docto veteres cepere novique
Pectore, lecturis inspicienda patent.
33 Quaerebam fratres, exceptis scilicet illis,
Quos suus optaret non genuisse parens.

26 *In quo poenarum.* Agit caussam domini sui. Ordo est: In quo extremo orbe facinus non habet caussam poenarum, etc.

27 *Locum.* Capitolinum. || *Potentem.* Augustum.

28 *Alternos pedes.* Utrumque carmen, hexametrum et pentametrum eleganter Poëta *pedes* appellat. Aut certe dactylum et spondaeum accipe: his enim pedibus constat ipsius poëtae carmen.

29 *Quandocunque precor.* Non enim tempus praefinio: ergo quandocunque placeris parenti, id est, Ovidio operis autori. || *Iisdem sub dominis.* Optat Caesari vitam et incolumitatem longissimam, atque ita ab aedibus recedit.

30 *Pari tenore.* Pari ordine, quo per Vrbem hactenus incessi. || *Intonsi Dei.* Apollinis Capitolini. || *Candida.* Propter marmor, quo tecta et ornata erant: vel propter elegantiorem structuram.

31 *Signa peregrinis.* In columnis duabus e peregrino lapide, insculpta sunt signa. In una quidem Belides L. filiae Danai, cui pater Belus: ut sit patronimicum ab avo paterno. || *Et stricto ense.* In altera visebatur pater Belidum Danaus, crudelis, stricto gladio filiabus necem minitans, nisi patrueles suos, Aegypti totidem filios, una nocte omnes iugularent.

32 *Quaeque viri docto.* Bibliothecam intelligit, quam Augustus aedificavit in parte domus Palatinae.

33 *Quaerebam fratres.* Quaerebam in eadem bibliotheca ceteros libros ab Ovidio compositos; tanquam fratres meos ab ipso genitos. || *Non genuisse.* Non composuisse. Designat autem libros de Arte amandi.

34 Quaerentem frustra custos me, sedibus illis
Praepositus, sancto iussit abire loco.
35 Altera templa peto, vicino iuncta theatro:
Haec quoque erant pedibus non adeunda meis.
36 Nec me, quae doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere passa sua est.
37 In genus auctoris miseri fortuna redundat;
Et patimur nati, quam tulit ipse, fugam.
38 Forsitan et nobis olim minus asper, et illi
Evictus longo tempore Caesar erit. (roganda est,
39 Dî, precor, atque adeo, neque enim mihi turba
Caesar, ades voto, maxime Dive, meo.
40 Interea, statio quoniam mihi publica clausa est;
Privato liceat delituisse loco.
41 Vos quoque, si fas est, confusa pudore repulsae
Sumite plebeiae carmina nostra manus.

34 *Custos*. Praefectus bibliothecae. || *Sedibus illis*. E Palatinis Augusti aedibus. || *Sancto loco*. Quia quasi quoddam templum sapientiae, qua nihil sanctius ac venerabilius.

35 *Altera templa peto*. Sunt qui hic de templo Magnae matris intelligant: plerique de templo Vestae. Magis placet, propter sequens carmen, Libertatis atrium intelligas, quod ab Asinio Pollione erectum est. || *Vicino theatro*. Theatro Marcelli, aut Cornelii Balbi, propinquo. || *Non adeunda*. Ad quae non debebam accedere, quum essem exsulis filius.

36 *Sua atria*. Ipsius Libertatis atrium. || *Quae prima*. Quae ante omnes bibliothecas.

37 *In genus autoris miseri*. In libros filios infelicis Ovidii. || *Et patimur fugam*. Et nos libri Ovidii fugamur.

38 *Et illi*. Et Ovidio.

39 *Turba*. Neque alii Dii, praeter Augustum, rogandi sunt.

40 *Statio publica*. Publica imperatoris aedes. || *Privato loco*. In loco privati hominis.

41 *Confusa*. Attonita. || *Repulsae*. Quia me bibliothecae custos expulit ex sacris Augusti sedibus. || *Si fas est*. Si vobis per Augustum licet. || *Plebeiae manus*. Plebeii et privati hominis.

ELEGIA II.

ARGVMENTVM. Queritur Poëta, quod fata eum in Scythiam compulerint, nec sacerdoti suo opem tulerint aut Apollo, aut Pierides. Deinde dicit, se in Scythia assiduo fletu, et moerore degere. Postremo Deos rogat, ut tandem sibi mori liceat.

1 Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris,
Quaeque Lycaonio terra sub axe iacet?
2 Nec vos, Pierides, nec stirps Latoïa, vestro
Docta sacerdoti turba tulistis opem?
3 Nec mihi, quod lusi vero sine crimine, prodest;
Quodque magis vita Musa iocosa mea est?
4 Plurima sed pelago terraque pericula passum
Vstus ab assiduo frigore Pontus habet.
5 Quique fugax rerum, securaque in otia natus,
Mollis et impatiens ante laboris eram;
6 Vltima nunc patior. Nec me mare portubus orbum
Perdere, diversae nec potuere viae.

1 *Ergo erat in fatis nostris.* Ergo fata mea ita constituerant. || *Scythiam quoque visere.* Quasi dicat: Non modo relegari ab Augusto mihi contigit, sed etiam in Scythiam mitti. || *Sub axe Lycaonio.* Sub Septentrionali plaga, sic appellata a Callisto Lycaonis filia, quae in maiorem ursam mutata, *Lycaonia* a poëtis nominatur.

2 *Stirps Latoïa.* Apollo Latonae et Iovis filius, Musarum dux et praeses. Poëtarum Deus || *Sacerdoti.* Ovidio. Sunt enim poëtae Apollinis et Musarum sacerdotes.

3 *Quod lusi sine.* Quod scripsi carmen citra crimen, quod mihi pro vero obiectari potuisset. *Vero* autem addidit, ut ostendat se damnatum fuisse falso, et iniuste, propter carmen amatorium.

4 *Vstus.* Hoc dicit, quia regio Pontica vergit maxime ad Septentrionalem plagam. || *Pontus.* Pontus Euxinus, cui adiacet Tomitana ora.

5 *Quique fugax rerum.* Qui forum et lites vitabam.

6 *Mare portubus orbum.* Mare importuosum Euxinus, et Geticum litus in primis est desertum, et petrosum. || *Diversae viae.* Maris et terrae, in quibus utrisque dura passus est citra mortem.

7 Suffecitque malis animus. Nam corpus ab illo
Accepit vires; vixque ferenda tulit.
8 Dum tamen et terris dubius iactabar et undis;
Fallebat curas aegraque corda labor.
9 Vt via finita est, et opus requievit eundi;
Et poenae tellus est mihi tacta meae;
10 Nil nisi flere libet: nec nostro parcior imber
Lumine, de verna quam nive manat aqua.
11 Roma domusque subit, desideriumque locorum,
Quidquid et amissa restat in Vrbe mei.
12 Heu mihi quod nostri toties pulsata sepulcri
Ianua, sed nullo tempore aperta fuit!
13 Cur ego tot gladios fugi, totiesque minata
Obruit infelix nulla procella caput?
14 Dì, quos experior nimium constanter iniquos,
Participes irae quos Deus unus habet;
15 Exstimulate, precor, cessantia fata; meique
Interitus clausas esse vetate fores.

7 *Suffecitque*. Et induruit.

8 *Dubius*. Quibus navigantibus tempestas incidit, eorum salus dubia est. || *Fallebat curas*. Hoc dicit: Dum navigabam, etsi versabar in discrimine, et laborabam, nescio tamen quo modo discrimen illud et miseria mea, non tanti a me fiebant, nec ita ponderabantur, ut idcirco multum me excruciarem.

9 *Et tellus meae poenae* Et terra mei exsilii Designat autem Tomon.

10 *Nostro lumine*. Nostris oculis || *De verna aqua*. De nive, quae liquescit vere, et fit aqua.

12 *Ianua nostri sepulcri*. Saepius se mortem evasisse dicit.

13 *Tot gladios*. Quia a Scythis saepius Tomos, ubi erat Ovidius, oppugnata fuit.

14 *Deus unus*. Augustus. || *Participes irae*. Eleg 2. lib I. oravit Deos, ne magni Caesaris irae subscriberent, quos hic dicit participes irae unius Dei, Augusti scilicet, cum quo in caput Nasonis conspirasse censendi sunt.

15 *Mei interitus* Meae mortis.

ELEGIA III.

ARGVMENTVM. Ad uxorem scribens ex Scythia Poëta, se excusat, quod aliena manu scriptam miserit epistolam; quod aliter fieri non potuisse ostendit ob adversam valetudinem, qua conflictabatur: simulque incommoda commemorat. Sed praeter cetera illud fatetur esse maximum, quod caret ipsius uxoris aspectu. Mandat, ut sua ossa Romam deferantur in parva urna, et signentur epitaphio a se composito.

1 Haec mea, si casu miraris, epistola quare
Alterius digitis scripta sit: aeger eram:
2 Aeger in extremis ignoti partibus orbis;
Incertusque meae paene salutis eram.
3 Quid mihi nunc animi dira regione iacenti,
Inter Sauromatas esse Getasque putes?
4 Nec caelum patior, nec aquis assuevimus istis:
Terraque nescio quo non placet ipsa modo.
5 Non domus apta satis; non hic cibus utilis aegro;
Nullus, Apollinea qui levet arte malum.
6 Non qui soletur, non qui labentia tarde
Tempora narrando fallat, amicus adest.
7 Lassus in extremis iaceo populisque locisque;
Et subit affecto nunc mihi, quidquid abest.

2 *Ignoti orbis* Scythiae, ad quam per aquam pauci accedunt: et ideo *ignotum orbem* appellat.

3 *Iacenti.* Ad afflictam ac miseram fortunam exprimendam utuntur Latini hoc verbo, et pertinet saepe ad miseriam; sicut *stare* ad felicitatem.

4 *Nec caelum patior.* Caelum pro aëre posuit, cui se dicit non posse assuescere, propter nimium rigorem et frigus. || *Nec aquis assuevimus istis.* Tria elementa, quibus maxime fovêntur mortales, et aluntur, sibi infesta esse dicit. || *Terraque nesciô quo.* Quia inculta, sterilis, inamoena.

5 *Apollinea arte* Medendi arte.

6 *Narrando fallat.* Fallere tempus iucundis sermonibus solemus cum familiaribus.

7 *Lassus* Exhaustus, confectus.

8 Omnia cum subeant, vincis tamen omnia, coniux:
Et plus in nostro pectore parte tenes.
9 Te loquor absentem: te vox mea nominat unam:
Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies.
10 Quin etiam sic me dicunt aliena locutum,
Vt foret amenti nomen in ore tuum.
11 Si iam deficiat suppresso lingua palato,
Vix instillato restituenda mero;
12 Nuntiet huc aliquis dominam venisse; resurgam:
Spesque tui nobis caussa vigoris erit.
13 Ergo ego sum vitae dubius: tu forsitan illic
Iucundum, nostri nescia, tempus agis?
14 Non agis, adfirmo: liquet, o carissima nobis,
Tempus agi sine me non nisi triste tibi.
15 Si tamen implevit mea sors, quos debuit, annos;
Et mihi vivendi tam cito finis adest;
16 Quantum erat, o magni, perituro parcere, Divi;
Vt saltem patria contumularer humo!
17 Vel poena in mortis tempus dilata fuisset,
Vel praecepisset mors properata fugam.
18 Integer hanc potui nuper bene reddere lucem:
Exsul ut occiderem, nunc mihi vita data est.

8 *Et plus in nostro.* Plus quam partem tenes, seu potissimam partem in pectore meo tenes.

10 *Aliena locutum* Quum de aliis rebus incidit sermo, te tamen tanquam amens nomino. Nam *aliena loqui*, est inepta, absurda et non cohaerentia loqui.

11 *Si iam deficiam.* Si animo linquar. || *Lingua suppresso.* Lingua subiacens et debilis; quod his evenit, qui languent. || *Instillato mero.* Vino leviter infuso: vinum enim reficit vires.

12 *Dominam.* Te uxorem. || *Resurgam.* Convalescam.

13 *Iucundum, tempus.* Oblectas te cum sodalibus. || *Nostri nescia.* Nihil nos curans

15 *Implevit sors annos.* Si vitae meae finis instat.

17 *Vel poena.* Vel exsilium meum.|| *Praecepisset fugam.* Praecepisset mors ipsa exsilium meum. Id est, mortuus essem, antequam in exsilium essem eiectus.

18 *Integer.* Incolumis, nondum mulctatus exsilio

19 Tam procul ignotis igitur moriemur in oris;
Et fient ipso tristia fata loco?
20 Nec mea consueto languescunt corpora lecto?
Depositum nec me qui fleat, ullus erit?
21 Nec dominae lacrimis in nostra cadentibus ora
Accedent animae tempora parva meae?
22 Nec mandata dabo? nec cum clamore supremo
Labentes oculos condet amica manus?
23 Sed sine funeribus caput hoc, sine honore sepulcri
Indeploratum barbara terra teget?
24 Ecquid, ut audieris, tota turbabere mente;
Et feries pavida pectora fida manu?
25 Ecquid, in has frustra tendens tua brachia partes,
Clamabis miseri nomen inane viri?
26 Parce tamen lacerare genas; nec scinde capillos.
Non tibi nunc primum, lux mea, raptus ero.
27 Cum patriam amisi, tum me periisse putato:
Et prior et gravior mors fuit illa mihi.

19 *Fient tristia ipso loco.* Tristitiam afferent, quod moriendum sit in Scythia

21 *Accedent.* Addentur. || *Meae animae.* Quae non tam cito discedet e corpore || *Nec parva tempora.* Nec exiguum spacium. Sensus est: Nec lacrimae coniugis ex oculis fluentes, protrahent mihi exiguum vitae spacium: quandoquidem ea abest, nec potest mihi officia praestare.

22 *Nec cum clamore supremo.* Funebri conclamatione. Nam moris erat, recentia defunctorum corpora aqua calida ablui, quia vitalis spiritus inclusus saepe fallere solet; deinde per intervalla ter conclamare. Cum nec tunc spiritus se prodierit, rebus quasi desperatis, post septem dies rogo imponebatur. Inde ortum proverbium: *conclamatum est*, quo nihil spei superesse innuitur. || *Condet amica manus.* Solebant magis propinqui etiam mortuorum oculos claudere

23 *Indeploratum.* Non defletum.

25 *In has partes.* In Scythicam et septentrionalem plagam || *Nomen inane.* Quippe cui nihil subsit amplius

26 *Lux mea.* Vxor mea.

27 *Cum patriam amisi.* Quum in exsilium eiectus fui. || *Tum me periisse putato* Eiectio e patria mors est civilis || *Et prior et gravior.* Quia homini ingenuo, decus, fama, libertas, vita cariora sunt. Ergo et horum amissio, ipsa morte tristior.

28 Nunc, si forte potes, sed non potes, optima coniux,
Finitis gaude tot mihi morte malis.
29 Quam potes, extenua forti mala corde ferendo;
Ad quae iampridem non rude pectus habes.
30 Atque utinam pereant animae cum corpore nostrae,
Effugiatque avidos pars mihi nulla rogos!
31 Nam si morte carens vacuum volat altus in auram
Spiritus, et Samii sunt rata dicta senis;
32 Inter Sarmaticas Romana vagabitur umbras;
Perque feros manes hospita semper erit.
33 Ossa tamen facito parva referantur in urna..
Sic ego non etiam mortuus exsul ero. (ptum
34 Nec vetat hoc quisquam. Fratrem Thebana perem-
Supposuit tumulo, rege vetante, soror.

28 *Sed non potes.* Propter nimiam erga me charitatem.

29 *Extenua forti corde* Leva, imminue. || *Mala.* Mortem meam, et exsilium. || *Non rude.* Non inexpertum.

30 *Atque utinam pereant animae.* Vtinam, inquit, ex Epicureorum sententia, cum corporibus animae interirent. Nam ita aversabatur Barbaros illos, ut ne post mortem quidem, sola anima inter illorum animas esse velit; et potius in nihilum occidere cupiat. || *Avidos rogos.* Flamma vorax et rapida.

31 *Nam si morte carens.* Immortalis. || *Volat in vacuam auram.* A corpore divulsus aëra petit || *Et dicta Samii senis.* Et ea quae dixit Pythagoras Samius, quod animae e corporibus recedentes, primo peterent aëra, deinde in alia corpora transirent. *Samium* autem appellat Pythagoram, quoniam Samum patriam habuit. || *Sunt rata* Sunt firma.

32 *Romana.* Umbra, h. e. anima Romani hominis, et Ovidii. ||*Vagabitur.* Errabit || *Per feros manes.* Inter feras animas Sarmatarum. || *Semper erit hospita* Semper erit peregrina: quoniam nunquam discedet e Scythica regione, quemadmodum corpus.

33 *Non ero exsul.* Non videbor exsulare.

34 *Nec vetat hoc quisquam.* Nemo sepulturae officium negat. || *Fratrem Thebana peremptum Supposuit.* Antigonem designat, Oedipodis Thebarum regis filiam, quae fratrem Eteoclem sepelivit: quamvis Creontes rex Thebarum eos qui in bello Thebano perierant insepultos iacere voluisset, ut elegantissime cecinit Papinius in ultimo Thebaidos libro.

35 Atque ea cum foliis et amomi pulvere misce:
Inque suburbano condita pone solo.
36 Quosque legat versus oculo properante viator,
Grandibus in tumuli marmore caede notis:
37 HIC EGO QVI IACEO, TENERORVM LVSOR AMORVM,
INGENIO PERII NASO POETA MEO.
38 AT TIBI QVI TRANSIS, NE SIT GRAVE, QVISQVIS AMASTI,
DICERE: NASONIS MOLLITER OSSA CVBENT.
39 Hoc satis in titulo est. Etenim maiora libelli,
Et diuturna magis sunt monumenta mei.
40 Quos ego confido, quamvis nocuere, daturos
Nomen, et auctori tempora longa suo.
41 Tu tamen exstincto feralia munera ferto;
Deque tuis lacrimis humida serta dato.
42 Quavis in cinerem corpus mutaverit ignis;
Sentiet officium moesta favilla pium.
43 Scribere plura libet: sed vox mihi fessa loquendo
Dictandi vires, siccaque lingua negat.
44 Accipe supremo dictum mihi forsitan ore,
Quod, tibi qui mittit, non habet ipse, Vale.

35 *Et amomi pulvere.* Amomum est genus herbae odoratissimae: Armenicum, ceteris praestat, fulvi coloris, habensque lignum subrufum, abunde odoratum. In conservandis enim cadaveribus amomum adhiberi solet, ut docet alibi Ovidius noster.

38 *Quisquis amasti.* Quisquis amore aliquem sis prosequutus. || *Molliter ossa cubent.* In cippis olim voti loco inscribebantur hae literae: S. T. T. L. nempe, *sit tibi terra levis.*

41 *Feralia munera.* Inferias dicit. Quomodo autem inferiae mortuis fierent, et quomodo in his uterentur coronis, docet Ovidius lib. II. *Fastorum.* || *Deque tuis lacrimis serta.* De floribus quibus tumuli conspergerentur, et coronis, sive sertis, quibus ornarentur.

42 *Moesta favilla.* Quae te moestam faciet.

44 *Supremo ore.* Quia fortasse brevi moriar. || *Quod, tibi qui mittit.* Quia Ovidius hanc elegiam mittebat dum esset aegrotus.

ELEGIA IV.

ARGVMENTVM. Amicum carissimum, quem propter Augustum nominare non audet, Poëta monet, ut magna atria et potentes fugiat; qui quamvis possint plurimum prodesse, non prosunt, sed potius nocent. Laudat deinde amici fidem, quam sibi in adversis rebus nunquam defuisse cognovit: simulque enumerat exsilii sui incommoda. Rogat denique, ut, quam possit, illi opem ferat.

1 O mihi care quidem semper, sed tempore duro
Cognite, res postquam procubuere meae;
2 Vsibus edocto si quidquam credis amico;
Vive tibi, et longe nomina magna fuge.
3 Vive tibi, quantumque potes praelustria vita.
Saevum praelustri fulmen ab arce venit.
4 Nam quamquam soli possunt prodesse potentes;
Non prosit potius, si quis obesse potest.
5 Effugit hibernas demissa antenna procellas,
Lataque plus parvis vela timoris habent.
6 Adspicis, ut summa cortex levis innatet unda,
Cum grave nexa simul retia mergat onus.
7 Haec ego si monitor monitus prius ipse fuissem,
In qua debueram, forsitan Vrbe forem.

1 *Tempore duro.* Rebus meis adversis, in quibus vera amicitia potissimum cognoscitur. || *Procubuere.* Postquam fortuna mea inclinata est. Metaphora ab aedificiis.

2 *Vsibus.* Experientia.

3 *Vive tibi.* Tecum habita, et sorte tua sis contentus.||*Praelustria.* Praeclara atria.||*Praelustri ab arce.* A domo Augusti, edito in loco, in Palatio videlicet aedificata.

5 *Lataque vela.* Lata vela nominat fortunas amplas, gratiam, favorem. || *Plus timoris.* Maiorem formidinem.|| *Parvis.* Modicis scilicet velis, et minus latis.

6 *Adspicis, ut summa.* Levis cortex solet in summa aqua natare, nec mergi: at retia magno plumbi pondere mergi solent. Per *corticem* autem levem, et homines tenues: per *plumbum* vero, potentes designat: qui, ut plumbum, casu clientes praecipites trahunt quo volunt.

8 Dum tecum vixi, dum me levis aura ferebat,
Haec mea per placidas cymba cucurrit aquas.
9 Qui cadit in plano, vix hoc tamen evenit ipsum,
Sic cadit, ut tacta surgere possit humo:
10 At miser Elpenor tecto delapsus ab alto
Occurrit regi debilis umbra suo.
11 Quid fuit, ut tutas agitarit Daedalus alas;
Icarus immensas nomine signet aquas?
12 Nempe quod hic alte, demissius ille volabat:
Nam pennas ambo non habuere suas?
13 Crede mihi; bene qui latuit, bene vixit: et intra
Fortunam debet quisque manere suam.
14 Non foret Eumedes orbus, si filius eius
Stultus Achilleos non adamasset equos:

8 *Levis aura.* Levis et parvus ventus; per quem mediocritatem suam designat: et dum fortunae meae mediocritate contentus essem. || *Per placidas cymba.* Nullum sensi rebus meis incommodum.

9 *Qui cadit in plano.* Qui in planitie aliqua decidit Id est, qui a mediocria et eiusdem conditionis hominibus damno, aut iniuria afficitur.||*Vix hoc tamen.* Correctio: quia raro in loco plano homines cadunt

10 *At miser Elpenor.* Elpenor apud Circen ebrius, dum sociorum strepitus abeuntium audit, et abire properat, pronus e longis lapsus scalis, collum fregit

11 *Quid fuit* Quae caussa fecit. || *Daedalus alas.* Vt Daedalus tuto volaret, Icarus vero ceciderit. || *Signet aquas.* Mari Icario nomen imponat

12 *Hic alte* Icarum intelligit: qui, quum altius volaret, solis aestu cera liquefacta, laxatisque alarum iuncturis, in mare decidit. || *Demissius ille volabat.* Depressus Daedalus iter tenebat.||*Non suas* Ambo habuerunt pennas non suas, non naturales, sed alienas, et cera artificiose compactas.

13 *Bene qui latuit, bene vixit.* Quicunque humili fortuna contentus latuit, tutus vixit.

14 *Non foret Eumedes orbus.* Dolonem designat, Eumedis filium. Hic missus speculator ad Graecorum castra, pactus pro remuneratione Achillis equos, in Diomedem et Vlyssem incidit, qui speculatum quoque iverat ad Troianos, illi promissa impunitate, Troianorum consilia ab eo didicere. Inter cetera facti certiores de adventu Rhesi, Dolonem interficiunt; Thracum castra aggrediuntur; equi inde abducti sunt. || *Non foret orbus* Non foret privatus Dolone filio.

15 Nec natum in flamma vidisset, in arbore natas,
Cepisset genitor si Phaëthonta Merops.
16 Tu quoque formida nimium sublimia semper;
Propositique memor contrahe vela tui.
17 Nam pede inoffenso spatium decurrere vitae
Dignus es; et fato candidiore frui.
18 Quae pro te ut voveam miti pietate mereris;
Haesuraque mihi tempus in omne fide.
19 Vidi ego te tali vultu mea fata gementem,
Qualem credibile est ore fuisse meo.
20 Nostra tuas vidi lacrimas super ora cadentes;
Tempore quas uno, fidaque verba, bibi.
21 Nunc quoque submotum studio defendis amicum;
Et mala, vix ulla parte levanda, levas.
22 Vive sine invidia; mollesque inglorius annos
Exige; amicitias et tibi iunge pares:

15 *Nec natum flamma.* Phaëthonta intelligit, de quo diximus supra. Dictus est autem *Phaëthon* a luce ardoris sui, ut scribit Servius. Ab irato enim Iove fulmine ictus, in Padum cecidit, qui ab eo *Eridanus* Graece dicitur.|| *In arbore natas* Heliades accipe, quae in populos mutatae sunt, ut notum est ex II. Ovidii Metamorph. || *Genitor Merops.* Clymenes maritus, et Phaëthontis pater putativus. || *Cepisset genitor.* Hypallage: pro si Phaëthon cepisset, id est, confessus esset, genitorem suum esse Meropem.

16 *Contrahe vela.* Cohibe desiderium, per Metaphoram. || *Propositique memor.* Moderationem adhibe. Vt sit sensus: Moderata propone tibi, ac tempera cupiditatibus tuis, ne, dum altiora conaris, in periculum incidas.

17 *Fato candidiore.* Prosperiore quam ego fruor.

19 *Tali vultu.* Tam tristi, tam flebili. || *Ore meo.* Os denotat hic vultum. || *Fuisse.* Subaudi, *me.*

20 *Tempore quas uno.* Ordo est: Quas, et fida verba, dabas uno tempore. ||*Verba bibi.* Hausi Metaphorice.

21 *Submotum.* Relegatum.|| *Studio.* Favore.|| *Vix ulla parte levanda.* Propter iram Caesaris vix placabilem.

22 *Sine invidia.* Sine ambitione et splendore vitae, quem sequitur invidia. Consequens pro Antecedente.|| *Molles inglorius.* Iuveniles, atque ideo flexibiles: vel potius vitam quietam, ac curarum molestiarumque expertem.

23 Nasonisque tui, quod adhuc non exsulat unum,
Nomen ama. Scythicus cetera Pontus habet.
24 Proxima sideribus tellus Erymanthidos Vrsae
Me tenet; adstricto terra perusta gelu. (laudes;
25 Bosphoros et Tanaïs superant, Scythicaeque pa-
Vixque satis noti nomina pauca loci.
26 Vlterius nihil est, nisi non habitabile frigus.
Heu quam vicina est ultima terra mihi!
27 At longe patria est, longe carissima coniux;
Quidquid et haec nobis post duo dulce fuit.
28 Sic tamen haec absunt; ut, quae contingere non est
Corpore, sint animo cuncta videnda meo.
29 Ante oculos errat domus, Vrbs, et forma locorum;
Succeduntque suis singula facta locis.
30 Coniugis ante oculos, sicut praesentis, imago est.
Illa meos casus ingravat, illa levat.

23 *Quod adhuc non exsulat.* Cuius fama adhuc non potuit exsulare; propter claritatem et memoriam. || *Scythicus pontus.* Mare Euxinum, quod Scythiam alluit. || *Cetera.* Omnia alia praeter famam. Designat autem inter cetera corpus ipsum.

24 *Vrsae Erymanthidos.* Vrsae Arcadicae; ab Erymantho monte in finibus Arcadiae; per quem, Vrsam maiorem significat.

25 *Bosphorus.* Cimmerium Bosphorum accipe, non Thracium. Committitur autem paludi, quam *Maeotidem* appellamus *Cimmerius* autem appellatur, a Cimmerio oppido Scythiae. || *Et Tanaïs.* Tanaïs septentrione, ad meridiem vergens, in mediam fere Maeotida defluit, et Europam ab Asia dividit.

26 *Vlterius nihil est.* Vltra illa loca de quibus dixi.|| *Vltima terra.* Vltima pars orbis habitabilis.

27 *Post haec duo.* Post patriam et uxorem, quae mihi fuerant dulcissima.

28 *Sic tamen haec absunt.* Ordo est: Tamen haec sic absunt, ut cuncta quae non est contingere corpore, sint videnda meo animo. Haec tamen, inquit, quibus careo, ita a me remota sunt, ut ea quae non possum corpore contingere, animo complectar || *Non est.* Non licet.

29 *Ante oculos errat* Obversatur. || *Succeduntque.* In mentem venit, quid quoque loco gestum sit, aut geratur.

30 *Ingravat.* Graves facit, quum considero me non posse frui eius praesentia. || *Illa levat.* Eadem

31 Ingravat hoc, quod abest; levat hoc, quod praestat amorem:
Impositumque sibi firma tuetur onus.
32 Vos quoque pectoribus nostris haeretis, amici;
Dicere quos cupio nomine quemque suo.
33 Sed timor officium cautus compescit; et ipsos
In nostro poni carmine nolle puto.
34 Ante volebatis, gratique erat instar honoris,
Versibus in nostris nomina vestra legi.
35 Quod quoniam est anceps; intra mea pectora quemque
Alloquar; et nulli caussa timoris ero.
36 Nec meus indicio latitantes versus amicos
Protrahet. Occulte, si quis amavit, amet.
37 (Scite tamen, quamvis longa regione remotus
Absim, vos animo semper adesse meo.)
38 Et, quam quisque potest, aliqua mala nostra levate:
Fidam proiecto neve negate manum.
39 Prospera sic vobis maneat Fortuna; nec unquam
Contacti simili sorte rogetis opem.

uxor exonerat molestiam, quum eius erga me amor et fides occurrit.

31 *Onus sibi impositum.* Constanter tuetur officium: vel mariti absentiam; vel certe onus impetrandi reditum ab Augusto

32 *Vos quoque pectoribus.* Aliud eius incommodum, hoc est, amicorum absentiam, commemorat.

33 *Officium.* Animi grati memoriam celebrando nomina vestra

35 *Est anceps* Est ambiguum, an velitis nominari in meis versibus Vel certe est dubium et periculosum vos nominare.

36 *Indicio.* Proditione. || *Protrahet.* In longum trahet, et posteris notum faciet. Vel quasi e latibulis expellet.|| *Si quis amavit occulte.* Si quis me clam dilexit Imo, si quis me ante amavit, is nunc occulte amet ac tacite, vitandi periculi caussa.

38 *Manum fidam* Auxilium.|| *Proiecto* Proiectus hic est neglectus, contemptus: quo numero sunt exsules.

39 *Contacti simili sorte* Perculsi eiusmodi infortunio, quali ego sum: Vel afflicti et conflictati simili fortuna et calamitate.|| *Rogetis opem.* Idem precemini quod ego.

ELEGIA V.

Argumentum. Amici fidem perspectam, et cognitam in adversis praesertim rebus, laudat Ovidius, quam dicit nunquam abituram ex animo suo. Deinde fatetur, se ali exigua spe, ut aliquando mitior fiat Augustus, et tolerabilius concedat exsilium.

1 Vsus amicitiae tecum mihi parvus, ut illum
Non aegre posses dissimulare, fuit:
2 Ni me complexus vinclis propioribus esses;
Nave mea vento forsan eunte suo.
3 Vt cecidi, cunctique metu fugere ruinae,
Versaque amicitiae terga dedere meae;
4 Ausus es igne Iovis percussum tangere corpus,
Et deploratae limen adire domus.
5 Idque recens praestas, nec longo cognitus usu,
Quod veterum misero vis duo tresve mihi.
6 Vidi ego confusos vultus, visosque notavi;
Osque madens fletu, pallidiusque meo:
7 Et lacrimas cernens in singula verba cadentes,
Ore meo lacrimas, auribus illa bibi:

1 *Vsus amicitiae.* Consuetudo, ipsa amicitia. || *Fuit parvus.* Quia raro utebar consuetudine tua. || *Vt illum non aegre posses dissimulare.* Vt posses illam consuetudinem facile celare, et ostendere te non fuisse mihi amicum.

2 *Ni me complexus.* Nisi me vehementer amasses foeliciori mea fortuna; quamvis parva mihi tecum esset consuetudo. || *Vinclis.* Arctiore amicitia. || *Nave mea vento forsan eunte suo.* Hoc est: quia tum fortassis navis mea suo, id est, secundo vento ferebatur, eaque fortuna mea esset, ut a te impensius amarer.

4 *Igne Iovis.* Augusti ira || *Et adire limen.* Et domum meam accedere. *Deploratae.* Deploratum est, quod periit.

5 *Idque recens.* In praesentia quoque idem facis. || *Recens.* Nuper mihi cognitus. || *Veterum.* Subaudi amicorum. || *Mihi misero.* Scilicet praestitere.

6 *Confusos.* Vultus perturbatos

8 Brachiaque accepi moesto pendentia collo,
Et singultatis oscula mista sonis.
9 Sum quoque, Care, tuis defensus viribus absens:
Scis Carum veri nominis esse loco.
10 Multaque praeterea manifesti signa favoris
Pectoribus teneo non abitura meis.
11 Dî tibi, posse tuos, tribuant, defendere semper,
Quos in materia prosperiore iuves.
12 Si tamen interea, quid in his ego perditus oris,
Quod te credibile est quaerere, quaeris, agam;
13 Spe trahor exigua, quam tu mihi demere noli,
Tristia leniri numina posse Dei.
14 Seu temere exspecto, sive id contingere fas est;
Tu mihi, quod cupio, fas, precor, esse proba.
15 Quaeque tibi linguae est facundia, confer in illud,
Vt doceas votum posse valere meum.
16 Quo quis enim maior, magis est placabilis irae;
Et faciles motus mens generosa capit.
17 Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.
18 At lupus, et turpes instant morientibus ursi;
Et quaecunque minor nobilitate fera est.

8 *Singultatis*. Id est, oscula singultibus permista.

9 *Scis Carum veri nominis*. Quia *Carum* illum appellaverat, ostendit in eius vi verbi verum amoris nomen designari: vox enim ex graeca vi *gratium* significat, et *amorem*.

10 *Pectoribus teneo* Recordor.

11 *Materia*. Caussa meliore.

13 *Tristia numina* Iratum Caesarem.

14 *Proba*. Affirma

15 *Quaeque tibi linguae est facundia*. Qua vales dicendi facultate || *Meum. votum* Meum desiderium: ut reddatur mitior Augustus. || *Doceas*. Probes. || *Posse valere*. Me consecuturum quod opto.

16 *Quo quis enim maior*. Augustum placari posse arguit. || *Faciles motus*. Vel non vehementes; vel sedatu faciles.

17 *Satis est prostrasse leoni*. Exemplo leonis docet magnum animum facile iram ponere.

18 *Instant morientibus* Non satis habent prostravisse; sed insuper prostratos dilaniant. || *Minor nobilitate*. Ignobilior: minus generosa.

19 Maius apud Troiam forti quid habemus Achille?
Dardanii lacrimas non tulit ille senis.
20 Quae ducis Emathii fuerit clementia, Poros,
Praeclarique docent funeris exsequiae.
21 Neve hominum referam flexas ad mitius iras;
Iunonis gener est, qui prius hostis erat.
22 Denique non possum nullam sperare salutem,
Cum poenae non sit caussa cruenta meae.
23 Non mihi, quaerenti pessumdare cuncta, petitum
Caesareum caput est, quod caput orbis erat.
24 Non aliquid dixi, violentaque lingua locuta est;
Lapsaque sunt nimio verba profana mero.
25 Inscia quod crimen viderunt lumina, plector:
Peccatumque, oculos, est habuisse, meum.
26 Non equidem totam possum defendere culpam:
Sed partem nostri criminis error habet.

19 *Dardanii senis.* Priami petentis ab Achille Hectoris cadaver.

20 *Quae ducis Emathii.* Alexandrum Macedonem dicit. *Macedonia* enim ante *Emathia* cognominata est. || *Praeclarique docent funeris exsequiae.* Darii regis, cui funus fecit magnificentissimum. Alexandri clementiae in hostes testis locupletissima fuit Alexandria, ubi conditum fuit eius cadaver, cui parentavit Ptolomaeus. Quam rem hic per *exsequias* designat Ovidius: ex quo innuit, Alexandrum quoque iram posuisse, et clementia usum in omnes: quod est generosae mentis peculiare. Cuius rei Pharun testem esse dicit, propterea quod ob regis clementiam eius cadaver ita honorifice servatum fuit.

21 *Ad mitius.* Ad magis mitem animum. || *Iunonis gener est.* Herculem dicit, qui Heben Iunonis filiam uxorem duxit.

22 *Non sit cruenta.* Non sit capitalis, aut caede alicuius aspersa.

23 *Mihi quaerenti pessumdare cuncta.* Mihi quaerenti omnia meo imperio subiicere, et orbem invadere. || *Non est* Non sum impetu aut insidiis aggressus.

24 *Non aliquid dixi.* Non aliquid locutus sum, quod imperatorem offenderet. || *Violenta.* Minans vim aliquam. || *Nimio mero.* Nam nimium vinum cogit plerunque secreta detegere, et linguam protervam fieri.

25 *Plector.* Crucior. Ecce quomodo hic etiam Ovidius ostendit se aliquid vidisse, cuius caussa in exsilium eiectus est. || *Peccatumque oculos.* Ordo est: Peccatum meum est me habuisse oculos: hoc est, vidisse.

26 *Totam culpam.* Rem omnem

27 Spes igitur superest, facturum ut molliat ipse,
Mutati poenam conditione loci.
28 Hunc utinam nitidi Solis praenuntius ortum
Afferat admisso Lucifer albus equo.

ELEGIA VI.

ARGVMENTVM. Hac etiam Elegia amici fidem laudat Ovidius, quam etiam si velit, minime dissimulare posse ostendit: cuiùs consilio si usus fuisset, fatetur se incolumen semper esse potuisse. Denique illum precatur, ut sibi Augustum mitiorem faciat, quo is sibi exsilii locum mutet, quandoquidem nulli sceleri se obnoxium esse sciat.

1 Foedus amicitiae nec vis, carissime, nostrae,
Nec, si forte velis, dissimulare potes:
2 Donec enim licuit, nec te mihi carior alter,
Nec tibi me tota iunctior Vrbe fuit.
3 Isque erat usque adeo populo testatus, ut esset
Paene magis quam tu, quamque ego, notus amor.
4 Quique erat in caris animi tibi candor amicis,
Cognitus es illi, quem colis ipse, viro.

ut se habuit: nam Augustum offenderem. || *Partem nostri criminis*. Sed pars criminis mei, errori et imprudentiae ascribenda est; quod per errorem potius, quam de industria ea viderim, quae non videnda erant.

27 *Facturum* Te daturum operam. || *Vt molliat ipse*. Vt ipse Augustus mollem et mitem faciat. || *Mutati loci*. Mutati exsilii

28 *Hunc*. Vt poena mutetur. || *Admisso equo*. Celeri equo. Elegantissime enim equi *admitti* dicuntur, cum impelluntur: ita currus et alia.

1 *Foedus amicitiae*. Ordo est: O carissime, non vis dissimulare foedus nostrae amicitiae: nec potes dissimulare, etiam si forte velis

3 *Testatus populo* Probatus populo || *Vt esset paene magis*. Vt amor noster esset notior populo Romano, quam tu aut ego.

4 *Quique erat*. Ille candor et fides, inquit, animi tui, quo candore amicos prosequeris. || *Quem colis ipse*. Quem suspicis et veneraris. Fortasse Augustum designat. Vel certe, amicum aliquem denotat, suppresso nomine

5 Nil ita celabas, ut non ego conscius essem;
Pectoribusque dabas multa tegenda meis.
6 Cuique ego narrabam, secreti quidquid habebam,
Excepto quod me perdidit, unus eras.
7 Id quoque si scisses, salvo fruerère sodali:
Consilioque forem sospes, amice, tuo.
8 Sed mea me in poenam nimirum fata trahebant:
Omne bonae claudunt utilitatis iter.
9 Sive malum potui tamen hoc vitare cavendo;
Seu ratio fatum vincere nulla valet;
10 Tu tamen, o nobis usu iunctissime longo,
Pars desiderii maxima paene mei,
11 Sis memor; et si quas fecit tibi gratia vires,
Illas pro nobis experiare rogo.
12 Numinis ut laesi fiat mansuetior ira,
Mutatoque minor sit mea poena loco.
13 Idque ita, si nullum scelus est in pectore nostro;
Principiumque mei criminis error habet.
14 Nec leve, nec tutum est, quo sint mea, dicere, casu
Lumina funesti conscia facta mali.

5 *Nil ita celabas*. Notatio intimae familiaritatis ab effectis.

6 *Cuique ego narrabam*. Ordo est: et tu unus eras cui ego narrabam, quidquid secreti habebam, excepto illo quod me perdidit.

7 *Id quoque si scisses*. Si etiam quod me perdidit intellexisses. || *Salvo sodali*. Sodali incolumi, et non exsule. || *Consilio tuo*. Tuis monitis. Nam mihi recte consuluisses.

8 *Vtilitatis iter*. Vtilitatem.

9 *Malum*. Quod mihi evenit. Est autem sensus: Sive fata possunt evitari ratione, sive non possunt; te tamen precor ut sis memor mei. || *Cavendo*. Mihi prospiciendo. || *Seu ratio fatum*. Ex Stoicorum sententia, Fatum esse inevitabile dicit.

10 *Longo usu*. Longa consuetudine.

11 *Et si quas fecit tibi gratia vires*. Si quid vales gratia apud Caesarem. Ergo vel gratia imperatoris, vel certe Ovidii. Vt sit sensus: Et si quid valet apud te gratia mea. || *Vires*. Auctoritatem cum potestate iuvandi amicos. || *Illas pro nobis*. Tenta vires illas, et fac periculum, et age caussam meam.

12 *Numinis laesi*. Augusti quem offendi.

13 *Error*. Imprudentia.

14 *Nec leve*. Nec res brevis, sed longa narratu. || *Nec tutum est*.

15 Mensque reformidat, veluti sua vulnera, tempus
Illud: et admonitu fit novus ipse dolor.
16 Et quaecunque adeo possunt afferre pudorem,
Illa tegi caeca condita nocte decet.
17 Nil igitur referam, nisi me peccasse; sed illo
Praemia peccato nulla petita mihi:
18 Stultitiamque meum crimen debere vocari;
Nomina si facto reddere vera velis.
19 Quae si non ita sunt; alium, quo longius absim,
Quaere, suburbana hic sit mihi terra, locum.

ELEGIA VII.

ARGVMENTVM. Ovidius ad filiam Perillam scribens primo fatetur, se Musis vacare, quamvis illae sibi nocuerint; eamque hortatur, ut idem faciat, quo sibi immortalitatem comparet: nam ea formae elegantia inquit, quae in ipsa erat, senectute et tempore vitiabitur; at ingenii dotes semper permanebunt.

1 Vade salutatum subito perarata Perillam
Litera, sermonis fida ministra mei.

Propter Augustum quem offenderem. || *Funesti mali.* Mali quod mihi funus et tristitiam attulit.

15 *Tempus illud.* Quo Augustum laesi. || *Et admonitu fit novus ipse dolor.* Et recrudescit dolor recordatione ipsa.

16 *Possunt afferre pudorem.* Possint ignominia afficere.|| *Illa.* Ignominiosa.|| *Condita.* Tecta et occulta.|| *Caeca nocte.* Perpetua taciturnitate.

17 *Praemia peccato nulla.* Sed peccatum illud imprudenter admisi, non ut aliquid inde praemii voluerim referre.

18 *Nomina si facto.* Si velis nomina rebus respondere.

19 *Quae si non ita sint.* Si res secus se habet: si quae dixi, scilicet me per imprudentiam errasse, non sunt qualia a me dicta sunt.|| *Suburbana hic sit mihi terra.* Sit mihi quasi suburbium. Vel non modo, inquit, ad longius proficiscar exsilium, sed etiam volo ut suburbana alicuius urbis Scithiae magis periculosa et hostibus exposita, quam Tomos, ad maius supplicium, si non loquor vera, sint mihi exsilium. || *Alium locum.* Quin tu me alio deportandum cures, caussam nullam dico.

1 *Litera perarata.* O epistola, scripta, vade subito. etc.

2 Aut illam invenies dulci cum matre sedentem,
Aut inter libros Pieridasque suas.
3 Quidquid aget, cum te scierit venisse, relinquet:
Nec mora; quid venias, quidve, requiret, agam.
4 Vivere me dices; sed sic ut vivere nolim:
Nec mala tam longa nostra levata mora.
5 Et tamen ad Musas, quamvis nocuere, reverti;
Aptaque in alternos cogere verba pedes. (res,
6 Tu quoque, dic, studiis communibus ecquid inhae-
Doctaque non patrio carmina more canis?
7 Nam tibi cum fatis mores Natura pudicos,
Et raras dotes ingeniumque dedit.
8 Hoc ego Pegasidas deduxi primus ad undas,
Ne male facundae vena periret aquae.

3 *Quid venias.* Propter quid: cuius rei caussa.

4 *Vt vivere nolim.* Vt me taedeat huius vitae. || *Sed sic.* Sed vivere ita misere. || *Levata.* Esse imminuta: hoc est, dices etiam nostra mala tanto temporis intervallo minime esse attenuata.

5 *Et tamen.* Et tamen dices me ad Musas redire. || *In alternos.* In dactylum et spondeum, ex quibus metra conficiuntur.

6 *Studiis communibus.* Studiis poëticis: quae mihi tecum communia sunt. || *Ecquid inhaeres.* Num quid das operam. || *Non more patrio.* Pro, externo ac Graeco more, propter illud quod infra sequitur, *Sola tuum vates Lesbia vincet opus.* Vt intelligamus, lyrica illam scripsisse, Sapphus exemplo, quod genus carminis Latinis hactenus inusitatum et ceu peregrinum fuerat. Id quod et Horatius testatur, quum dicit, *carmina non prius audita.*

7 *Nam tibi cum fatis.* Et natura et fato Ovidius dicit filiam mores assecutam esse. Loquitur enim secundum eorum opinionem, qui credidere homines, aut mores, aut alia id genus naturae, quodam ordine ad finem pervenire, nisi fato impediantur. || *Et raras dotes.* Et bona, animi, vel corporis: quae raris et paucis dantur.

8 *Hoc.* Scilicet tuum ingenium. || *Ad undas Pegasidas.* Ad fontem Musarum, quem equus alatus Pegasus, pede fodiens effecit. Designat autem Ovidius se primum filiam docuisse artem poëticam. || *Male periret.* Male perderetur; Ingenium foecundum exaresceret. || *Aquae facundae.* Aquae facundiam habentis, aut dantis.

9 Primus id adspexi teneris in virginis annis:
Vtque patet, venae duxque comesque fui.
10 Ergo, si remanent ignes tibi pectoris idem,
Sola tuum vates Lesbia vincet opus.
11 Sed vereor, ne te mea nunc Fortuna retardet:
Postque meos casus sit tibi pectus iners.
12 Dum licuit, tua saepe mihi, tibi nostra legebam;
Saepe tui iudex, saepe magister eram.
13 Aut ego praebebam factis modo versibus aures,
Aut, ubi cessaras, caussa ruboris eram
14 Forsitan exemplo, quia me laesere libelli,
Tu quoque sis poenae fata secuta meae. (sit
15 Pone, Perilla, metum. Tantummodo femina non
Devia, nec scriptis discat amare tuis.
16 Ergo desidiae remove, doctissima, caussas:
Inque bonas artes et tua sacra redi.
17 Ista decens facies longis vitiabitur annis;
Rugaque in antiqua fronte senilis erit.

9 *Primus id aspexi.* Primus hoc ingenium tuum notavi. [redacted] *ignes.* Iidem calores Apo[redacted]ut c[redacted] ardores ingenii. || *Sola* [redacted]*sbia.* Sola vates Sappho ex Le[redacted]insula.

11 *Mea fortuna.* Meum exsilium et infortunium. || *Postque meos casus.* Postquam ego in exsilium abii, in poëmate componendo ingenii vires non exerceas.

12 *Tua saepe mihi.* Subaudi, *legebas.*

13 *Aut ubi cessaras.* Aut quando a recitatione destiteras, deprehenso a me aliquo errore in tuo carmine. Sed potius *Cessare* hoc loco est feriari, nihil agere, otiari. || *Causa ruboris.* Signum animi ingenui, ad quosvis lapsus notatos pudore perfundi.

14 *Forsitan exemplo.* Ordo est: Vereor, ne tu quoque sis facta ruina, id est, corrueris exemplo meae poenae, quia etc. Hoc est, timeo ne tu quoque meo exemplo corrueris, deserendo poëtices studia, quod ea me poena affecerint.

15 *Pone Perilla.* Filiam hortatur, ne timeat carminibus posse accidere, quod sibi evenit, docens quid tantum evitandum sit.

16 *Desidiae caussas.* Timorem, nequid tibi ex versu mali accidat. || *In bonas artes.* Poëticam facultatem significat. || *Et tua sacra.* Carmina sunt vatum sacra.

17 *Ista decens facies.* Haec tua

18 Iniicietque manum formae damnosa senectus;
Quae, strepitum passu non faciente venit.
19 Cumque aliquis dicet, Fuit haec formosa; dolebis:
Et speculum mendax esse querere tuum. (gnis:
20 Sunt tibi opes modicae, cum sis dignissima ma-
Finge sed immensis censibus esse pares.
21 Nempe dat id cuicunque libet Fortuna, rapitque:
Irus et est subito, qui modo Croesus erat.
22 Singula quid referam? Nil non mortale tenemus;
Pectoris exceptis ingeniique bonis.
23 En ego, cum patria caream, vobisque, domoque;
Raptaque sint, adimi quae potuere, mihi:
24 Ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque:
Caesar in hoc potuit iuris habere nihil.
25 Quilibet hanc saevo vitam mihi finiat ense;
Me tamen extincto fama superstes erit.
26 Dumque suis victrix omnem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar.

pulchritudo. || *In antiqua fronte.* In fronte iam senio confecta.

18 *Iniiciet manus formae.* Formam sibi vendicabit, et turpem reddet. || *Damnosa senectus.* Senectus quae iuvenes damno afficit. || *Passu non faciente strepitum.* Id est, gradu qui non sentitur. Obrepit enim non intellecta senectus.

19 *Speculum tuum esse mendax.* Tuum speculum non reddere veram formam, et qualem prius videras.

20 *Finge sed immensis.* Sed existima te possidere eas divitias, quae possint comparari opibus et proventui ditissimi cuiusque.

21 *Nempe dat.* Sententia elegantissima, qua docet, divitias esse bona fortunae fluxa atque fragilia: virtutem autem claram aeternamque haberi. Sensus ergo est: Qui paulo ante erat ditissimus, solet a fortuna deprimi, et pauperri[illegible] || *Irus.* Irus, pa[illegible] hom[illegible] Ithaca, quem Vlyxes [illegible] interfecit. || *Qui modo C[illegible]us erat.* Croesus rex fuit Lydiae ditissimus.

22 *Nil non mortale.* Omnia mortalia.

23 *En ego.* Tollit interdum spiritus poëta, et se ita sperata aeternitate sua in medio miseriarum consolatur.

24 *Comitor.* Passive. Comes enim optimus et iucundissimus ingenium.

25 *Finiat ense.* Quicunque sane mihi vitam auferat.

26 *De suis montibus.* Roma enim septem complexa fuit montes,

27 Tu quoque, quam studii maneat felicior usus,
Effuge venturos, qua potes, usque rogos.

ELEGIA VIII.

ARGVMENTVM. Desiderio cum patriae, tum suorum ita teneri Poëta scribit, ut cupiat celeri aliquo cursu eo se conferre: quam rem sibi Augustum solum praestare posse ostendit; narratque exsilii sui incommoda, optatque, ut et tandem Caesar irae modum statuat, et mitius exsilium praebeat.

1 Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere cur-
Misit in ignotam qui rude semen humum: (rus,
2 Nunc ego Medeae vellem frenare dracones,
Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tua:
3 Nunc ego iactandas optarem sumere pennas,
Sive tuas, Perseu; Daedale, sive tuas:
4 Vt, tenera nostris cedente volatibus aura,
Adspicerem patriae dulce repente solum;

ut alio loco diximus. || *Martia Roma.* Roma quae erat in tutela Martis, propter Romulum eius filium.

27 *Quam studii maneat.* Quae habeas foeliciorem utilitatem et fortunam ex studiis poëticis, quam ego habui. || *Venturos rogos.* Mortem venturam. Da operam, ne qui rogus tuum corpus, simul etiam tuum nomen absumat.

1 *Triptolemi currus.* Currum intelligit, quem a Cerere accepit Triptolemus. Fabulam refert Ovid. in *Metam.* et in IV *Fastorum.* || *In ignotam humum.* Ignotam semini, quia nunquam expertum erat terram.

2 *Dracones Medeae.* Medea post Peliae necem fraude interempti, iunctis currui draconibus aufugit, ut Ovidius in *Metam.* refert.

3 *Iactandas pennas.* Alas agitandas et movendas volando. || *Sive tuas Perseu, Daedale sive tuas.* De alis Persei et Daedali abunde scriptum est cum ab aliis, tum in primis ab Ovidio in *Metam.*

4 *Vt tenera nostris cedente.* Caussam adiungit, ob quam volare posse desideret: ut brevi spatio temporis, citraque periculum, per vacuum aerem, et itinere tutissimo, Romam allabi queat. || *Solum patriae.* Terram Romanam.

5 Desertaeque domus vultum, memoresque sodales,
Caraque praecipue coniugis ora mihi.
6 Stulte, quid o frustra votis puerilibus optas,
Quae non ulla tulit, fertque, feretque dies?
7 Si semel optandum est: Augustum numen adora;
Et quem laesisti, rite precare, Deum.
8 Ille tibi pennasque potest currusque volucres
Tradere. Det reditum; protinus ales eris.
9 Si precer haec, neque enim possim maiora precari,
Ne mea sint, timeo, vota modesta parum.
10 Forsitan hoc olim, cum se satiaverit ira,
Tum quoque sollicita mente rogandus erit.
11 Quod minus interea est, instar mihi muneris ampli
Ex his me iubeat quolibet ire locis. (rae
12 Nec caelum, nec aquae faciunt, nec terra, nec au
Et mihi perpetuus corpora languor habet.
13 Seu vitiant artus aegrae contagia mentis.
Sive mei caussa est in regione mali.
14 Vt tetigi Pontum, vexant insomnia: vixque.
Ossa tegit macies; nec iuvat ora cibus.
15 Quique per autumnum percussis frigore primo
Est color in foliis, quae nova laesit hyems;

7 *Quem laesisti.* A quo exsulasti. || *Deum.* Augustum.

8 *Eris ales.* Vteris ea celeritate in redeundo, qua aves in volando.

10 *Cum se satiaverit ira.* Quum iam iram posuerit Augustus.

11 *Quod minus est.* Quae res est minoris momenti, quam reditum concedere. Vel: interea quod est minus, licet mihi magni sit muneris loco, oro, ut iubeat me ex hoc loco, quovis alio migrare.

12 *Nec aquae faciunt.* Nec aquae, aut alia elementa in Scithia mihi prosunt. || *Perpetuus languor.* Assidua quaedam debilitas.

13 *Seu vitiant.* Caussas duas assignat sui languoris. Sive, inquit, animi dolore, sive aëris intemperie corpus vitiatur. || *In regione.* In Scithia. Nam cibi mutatio, et aquae, potissimum gravis esse solet.

14 *Vt tetigi Pontum.* Vt in Ponticam regionem perveni. || *Vexant insomnia.* Quod signum est adversae valetudinis, ut docet Cornelius Celsus.

15 *Nova hyems.* Pro principio

16 Is mea membra tenet. Nec viribus allevor ullis;
Et nunquam queruli caussa doloris abest. (est
17 Nec melius valeo quam corpore, mente; sed aegra
Vtraque pars aeque, binaque damna fero.
18 Haeret, et ante oculos veluti spectabile corpus
Adstat Fortunae forma legenda meae. (numque,
19 Cumque locum moresque hominum, cultusque, so-
Cernimus; et quid sim quid fuerimque subit;
20 Tantus amor necis est, querar ut cum Caesaris ira
Quod non offensas vindicet ense suas.
21 At, quoniam semel est odio civiliter usus,
Mutato levior sit fuga nostra loco.

ELEGIA IX.

ARGVMENTVM. Vrbes Graecas Geticam oram incoluisse docet, et ab iis etiam Tomitanae urbi nomen fuisse impositum ostendit.

1 Hic quoque sunt igitur Graiae, quis crederet?
Inter inhumanae nomina barbariae. (urbes.
2 Huc quoque Mileto missi venere coloni,
Inque Getis Graias constituere domos.

et prima parte hiemis. Sic est ver novum, adultum et senescens.

16 *Mea membra tenet.* Tanquam capta occupat, et in sua potestate habet.

17 *Vtraque pars aegra est.* Pariter male valeo. || *Binaque damna fero.* Patior damnum et mentis et corporis.

18 *Veluti spectabile corpus.* Tanquam si esset corpus conspicuum, et dignum spectatu. || *Haeret.* Animo, cogitationi. || *Forma meae fortunae.* Qualitas et deformitas illa meae conditionis.

19 *Cultus.* Vestitum. || *Sonumque.* Et verba, qua loquuntur Getae.

20 *Tantus amor necis est.* Subit mihi ardor quidam me interficiendi. || *Quod non offensas.* Quod non ferro me interficiendo, ulciscatur iniurias.

21 *Civiliter.* Me legibus puniendo, non vi et armis: sed ut civem tractari decuit. || *Nostra fuga.* Exsilium meum.

1 *Hic quoque.* Hic etiam in Getica ora, sunt urbes Graiae, non lingua et moribus, sed origine. || *Inhumanae barbariae.* Inhumanae gentis Geticae.

2 *Huc quoque Mileto.* Huc, id

3 Sed vetus huic nomen, positaque antiquius urbe,
Constat ab Absyrti caede fuisse, loco.
4 Nam rate, quae cura pugnacis facta Minervae,
Per non tentatas prima cucurrit aquas.
5 Impia desertum fugiens Medea parentem,
Dicitur his remos applicuisse vadis.
6 Quem procul ut vidit tumulo speculator ab alto
Hospes, ait, nosco, Colchide, vela, venit.
7 Dum trepidant Minyae, dum solvitur aggere funis,
Dum sequitur celeres anchora tracta manus;
8 Conscia percussit meritorum pectora Colchis,
Ausa atque ausura multa nefanda manu.

est, Tomon, Milesii coloniam Est autem sensus: Milesii Tomon quoque tenuere, quemadmodum etiam Istropolim, aut quemadmodum aliae quoque Grseciae coloniae litus Geticum tenuere. Fuit autem Miletus urbs quondam Ioniae totius, belli pacisque artibus princeps, a Mileto appellata. || *Inque Getis Graias.* Signate hoc, propter magnam morum dissimilitudinem, et quasi admirabundus dicit.

3 *Sed vetus huic nomen*: Hic aperte significat, *Tomon* locum a caede Absirti nominatum: ubi postea urbem condidere Milesii, servato prioris nomine loci. || *Positaque antiquius urbe.* Vide quomodo Poëta docet, locum prius appellatum fuisse *Tomon*, inde ibi urbem a milesis conditam || *Caede Absyrti.* Propter Absyrti mortem.

4 *Quae cura pugnacis*, Quae Argo navis facta cura et tutela Palladis armatae, quam pictam habuit. Aut ingeniose, curiose, et perite factam intellige. *Pugnacem* autem *Minervam* appellavit, quoniam ea belli Dea est. Higinus etiam docet, eam Argo a celeritate graece appellatam; vel ab Argo eius inventore. || *Per non tentatas.* Primam navem eam fuisse ait, in quam Argonautae conscenderunt.

5 *His vadis.* Getico litori.

6 *Quem.* Patrem Medeae, Aeetes rex fuga filiae cognita, classe celeriter instructa, eam ut fugientem retraheret, velis remisque insecutus est. || *Ab alto tumulo.* Ab alto colle Getici litoris. || *Speculator.* Aliquis ex Argonautis, vel ex indigenis Scithis, qui collem ascenderat, prospecturus an eos, qui rapto aureo vellere aufugerant, ex Colchide aliqui insequerentur. || *Ait.* Ipse speculator dixit: o hospes, hoc est, o Iason. Vt sit ordo: Speculator ut procul vidit aliquem ab alto tumulo, ait, o hospes, nosco Colchica vela. || *Venit.* Scilicet ipse Medeae pater.

7 *Dum trepidant.* Minyae Argonautae sic appellati fuere, a regiuncula Thessaliae. || *Solvitur.* Solvitur e Getico litore.

8 *Colchis conscia.* Medea con-

9 Et, quamquam superest ingens audacia menti,
Pallor in attonito virginis ore sedet.
10 Ergo ubi prospexit venientia vela; Tenemur,
Et pater est aliqua fraude morandus, ait. (tus;
11 Dum, quid agat, quaerit, dum versat in omnia vul-
Ad fratrem casu lumina flexa tulit.
12 Cuius ut oblata est praesentia; Vicimus, inquit.
Hic mihi morte sua caussa salutis erit.
13 Protinus ignari, nec quidquam tale timentis,
Innocuum rigido perforat ense latus.
14 Atque ita divellit, divulsaque membra per agros
Dissipat, in multis invenienda locis.
15 Neu pater ignoret, scopulo proponit in alto
Pallentesque manus, sanguineumque caput.
16 Vt genitor luctuque novo tardetur, et artus
Dum legit extinctos, triste moretur iter.
17 Inde Tomos dictus locus hic; quia fertur in illo
Membra soror fratris consecuisse sui.

---

scia sceleris quod in patrem admiserat: Aut certe *merita* intelligit beneficia, quae in Iasonem contulit. Ea siquidem Argonautas ad templum Martis deduxit, ubi pellis illa aurea a poëtis decantata servabatur. || *Manu ausa.* Hic Ovidius Medeam dicit multa scelera ausam fuisse, amore ad id impellente. Et *ausuram* in posterum dicit: quia fratrem primo, deinde eius ex Iasone liberos occidit.

9 *Et quamquam superest.* Audacia illi non modo non deerat, sed superabat etiam. || *Pallor.* Propter timorem instantis patris. || *Attonitae virginis.* Medeae perterritae.

10 *Tenemur.* Deprehensi et capti sumus.

11 *Dum versat in omnia vultus.* Dum circumspicit omnia || *Ad fratrem.* Ad Aegialeum, seu *Absyrtum.*

12 *Vicimus.* Evasimus patrem instantem.

13 *Ignari.* Nescientis velle Medeam illum interficere. || *Latus innocuum.* Latus Aegialei innocentis.

14 *Divellit.* Lacerat. || *Per agros.* Per Geticum litus.

15 *Neu pater ignoret.* Vt pater sciat filium interemptum, et per agros ita discerptum.

16 *Luctuque novo.* Et recenti fletu ex morte filii. || *Artus extinctos.* Membra filii perempti. || *Triste iter.* Iter illud sibi tristitiam allaturum.

17 *Inde Tomos dictus.* A dissectione, seu dilaceratione.

ELEGIA X.

ARGVMENTVM. Exsilii sui incommoda describit Poëta; sed inter cetera tantam vim frigoris esse asserit, ut maria, et flumina, atque in his etiam pisces congelentur; et eo tempore Scythae hostes, equitatu, et sagittis plurimum pollentes, Istrum transeant, atque ea loca depopulentur, ac homines captivos deducant.

1 Si quis adhuc istic meminit Nasonis adempti,
Et superest sine me nomen in Vrbe meum;
2 Suppositum stellis nunquam tangentibus a[illegible]r,
Me sciat in media vivere barbarie. [illegible]que:
3 Sauromatae cingunt, fera gens, Bessique, [illegible]ae-
Quam non ingenio nomina digna meo!
4 Dum tamen aura tepet; medio defendimur [illegible]tro;
Ille suis liquidus bella repellit aquis.
5 At cum tristis hiems squalentia protulit ora,
Terraque marmoreo candida facta gelu est:

1 *Isthic.* Romae. || *Nasonis adempti.* Ovidii in exsilium missi. || *Sine me.* Sine meo corpore. Et an fiat mentio mei; et an aliquis sit qui de me loquatur, et scire cupiat, ubi terrarum sim. || *In Vrbe.* In Romana civitate.

2 *Numquam tangentibus aequor.* Septentrionem designat. Ideo autem revera non occidit, quia quum super nos sit polus Arcticus, semper a nobis videtur.

3 *Sauromatae cingunt, fera gens.* Plinius scribit Pontico littori varias gentes appositas, alias Getas, Dacos a Romanis dictos: alias Sarmatas, a Graecis Sauromatas. De Sauromatis antea plura diximus. || *Bessique.* Bessi populi fuere Thraciae finitimi. || *Getaeque.* De Getis alibi dictum est.

4 *Dum tamen aura tepet.* Dum abest frigus. Designat autem aestatem: et signate dicit, *tepet*: non enim ibi fervida aestas. || *Defendimur.* Arcemur ab hostibus. || *Medio Istro.* Medio inter Tomitanam urbem, et Sauromata: carent enim navigiis quibus traiiciant. || *Liquidus.* Non gelu astrictus. || *Bella.* Quia hostes non possunt aquam tranate.

5 *Gelu marmoreo.* Gelu duro et candido, quale est marmor.

6 Dum patet et Boreas et nix iniecta sub Arcto;
Tum liquet has gentes axe tremente premi.)
7 Nix iacet; et iactam nec Sol, pluviaeve resolvunt
Indurat Boreas, perpetuamque facit.
8 Ergo, ubi delicuit nondum prior, altera venit:
Et solet in multis bima manere locis.
9 Tantaque commoti vis est Aquilonis, ut altas
Aequet humo turres, tectaque rapta ferat.
10 Pellibus, et sutis arcent male frigora braccis;
Oraque de toto corpore sola patent.
11 Saepe sonant moti glacie pendente capilli,
Et nitet inducto candida barba gelu:
12 Vdaque consistunt, formam servantia testae,
Vina: nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
13 Quid loquar, ut vincti concrescant frigore rivi,
Deque lacu fragiles effodiantur aquae?
14 Ipse, papyrifero qui non angustior amne
Miscetur vasto multa per ora freto,
15 Caeruleos ventis latices durantibus Ister
Congelat, et tectis in mare serpit aquis.

6 *Dum patet et Boreas.* Aperto campo spirat non inclusus ab Aeolo. || *Tum liquet.* Manifestum est. || *Has gentes.* Hos Septentrionales populos. || *Axe tremente.* Axe nutante nimio vento.

8 *Vbi delicuit.* Quando liquefacta est. || *Bima.* Nix duorum annorum.

10 *Pellibus.* Rhenonibus. Ita enim vestes vocantur, autore Servio. || *Mala frigora.* Frigora nocentia. || *Oraque de toto.* Facies tantum non occultatur.

11 *Candida barba.* Non per se, sed cana seu candida facta gelu, et quasi argenteis ramentis aspersa.

12 *Vina.* Vina quoque nimio frigore gelata vase fracto, formam eius retinent. || *Nec hausta.* Nec vinum hauriunt, sed frusta concreta educunt.

13 *Vt vincti rivi.* Qualiter rivi omnes. || *Concrescant frigore.* Frigore congelentur. || *Fragiles.* Frusta aquae congelatae.

14 *Papyrifero amne.* Nilo papyrum ferente. || *Multa per ora.* Septem enim ostiis Pontum influit.

15 *Caeruleos latices.* Aquas fluentes et caeruleas. || *Ventis durantibus.* Ventis astringentibus et congelantibus. || *Tectis aquis.* Coopertis ipsa glacie. || *In mare.* In Pontum Euxinum.

16 Quaque rates ierant, pedibus nunc itur: et undas
Frigore concretas ungula pulsat equi.
17 Perque novos pontes, subter labentibus undis
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.
18 Vix equidem credar: sed cum sint praemia falsi
Nulla, ratam testis debet habere fidem.
19 Vidimus ingentem glacie consistere pontum,
Lubricaque immotas testa premebat aquas.
20 Nec vidisse sat est. Durum calcavimus aequor;
Vndaque non udo sub pede summa fuit.
21 Si tibi tale fretum quondam, Leandre, fuisset,
Non foret angustae mors tua crimen aquae.
22 Tum neque se pandi possunt delphines in auras
Tollere: conantes dura coërcet hiems.
23 Et quamvis Boreas iactatis insonet alis,
Fluctus in obsesso gurgite nullus erit.

17 *Per novos pontes.* Novos appellat ob novam glaciem, sub qua currit Ister in Pontum. || *Barbara plaustra.* Scytharum.

18 *Vix equidem credar.* Vix profecto huic rei, quam dicturus sum, fides adhibebitur || *Sed cum sint praemia falsi nulla.* Sed cum nullum praemium consequar, si mentitus fuero. || *Ratam fidem.* Firmam. || *Testis.* Seipsum Ovidius *testem* appellat.

19 *Glacie consistere.* Glacie concretum esse. || *Lubrica testa.* Lapis coctilis, qui facile labebatur per mare concretum.

20 *Vidisse.* Conspexisse aquam ita congelatam || *Durum aequor.* Mare congelatum. || *Sub pede non udo.* Sub pede non madefacto: quum tamen naturale sit aquae humectare.

21 *Si tibi tale fretum quondam.* Leander Abydenus, et Hero Sestas, mutuo se amarunt. Sed Leander ad Hero noctu ire consueverat per fretum Hellesponticum, quod Seston et Abydon civitates interfluit. || *Tale fretum.* Mare ita congelatum. || *Angustae aquae.* Hellespontum designat, cuius angustiae in latitudinem sunt stadiorum septem.

22 *Pandi delphines.* Recurvi et convexi delphines. || *In auras.* Nam delphini (autore Plinio) tanta vi exsiliunt, ut plerunque vela navium transvolent vento. || *Dura hiems.* Durum gelu, aut asperum frigus.

23 *Iactatis alis.* Venti enim a poëtis finguntur esse alati. || *In obsesso gurgite.* Pro in mari congelato.

24 Inclusaeque gelu stabunt, ut marmore, puppes:
Nec poterit rigidas findere remus aquas.
25 Vidimus in glacie pisces haerere ligatos:
Et pars ex illis tum quoque viva fuit.
26 Sive igitur nimii Boreae vis saeva marinas,
Sive redundatas flumine cogit aquas;
27 Protinus, aequato siccis Aquilonibus Istro,
Invehitur celeri barbarus hostis equo:
28 Hostis equo pollens, longeque volante sagitta,
Vicinam late depopulatur humum.
29 Diffugiunt alii; nullisque tuentibus agros
Incustoditae diripiuntur opes;
30 Ruris opes parvae, pecus, et stridentia plaustra;
Et quas divitias incola pauper habet.
31 Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis,
Respiciens frustra rura laremque suum.
32 Pars cadit hamatis misere confixa sagittis.
Nam volucri ferro tinctile virus inest.

24 *Vt marmore.* Tanquam marmore inclusae.

25 *Pisces haerere ligatos.* Frustis glacialibus praepeditos, ut natare non possent. Aut ipsi glaciei impactos et mortuos.

26 *Sive igitur nimii Boreae.* Sive mare, inquit, sive flumen congelatur, protinus depraedantur hostes vicinum agrum. || *Sive redundatas.* Ordo est: Sive vis saevi Boreae cogit, id est, congelat in ipso flumine *aquas redundatas*, hoc est, copiosas et abundantes.

27 *Aequato Istro.* Istro ita adstricto, ut siccitati Boreae par sit. Vel mox ut Ister gelatus aequabiliter fuerit. || *Siccis Aquilonibus.* Aquilo siccior omnibus ventis, et omnium vero ventorum saluberrimus, ut Plinius docet pluribus

28 *Hostis equo pollens.* Sauromatas arbitror designare Ovidium. Plinius enim lib. VIII. scribit, Scythas equitatus et equorum gloria strepere.

30 *Ruris opes parvae.* Opes quas eripi dixit, enumerat. || *Et quas divitias.* Rapiunt, inquit, hostes finitimi, Istrum transeuntes congelatum, eas opes, quas solent incolae pauperes possidere.

31 *Pars agitur vinctis.* Pars capta vincitur et in servitutem abripitur.

32 *Tinctile virus.* Solebant enim Scyhtae sagittarum aciem ungere viperina sanie, et humano sanguine. Irremediabile autem est id scelus, mortem ilico affert levi tactu.

33 Quae nequeunt secum ferre aut abducere, perdunt;
Et cremat insontes hostica flamma casas. (belli;
34 Tum quoque, cum pax est, trepidant formidine
Nec quisquam presso vomere sulcat humum.
35 Aut videt, aut metuit locus hic, quem non videt
Cessat iners rigido terra relicta situ. (hostem.
36 Non hic pampinea dulcis latet uva sub umbra;
Nec cumulant altos fervida musta lacus.
37 Poma negat regio; nec haberet Acontius, in quo
Scriberet hic dominae verba legenda suae. (pos.
38 Adspiceres nudos sine fronde, sine arbore cam-
Heu loca felici non adeunda viro!
39 Ergo, tam late pateat cum maximus orbis,
Haec est in poenam terra reperta meam?

34 *Nec sulcat humum.* Nec terram arat.

35 *Aut videt, aut metuit.* Ordo est: Locus hic aut videt, aut metuit hostem, quem non videt. || *Cessat.* Non aratur, non feritur, nec exercetur, nec fert.

36 *Non hic.* Thraciae regio, quae Istro, pelagoque contingitur, nec caelo laeta est, nec solo: eorumque quae seruntur maligne admodum patiens. Raro usquam pomiferam arborem, vitem frequentius tolerant: sed nec eius quidem fructus maturat. || *Nec cumulant.* Nec cumulatim implent. || *Altos lacus.* Lacus vas est, quo vina ex uva expressa excipiuntur.

37 *Negat.* Non fert. || *Nec haberet Acontius.* *Acontius* Ceus fuit, ex Cea Aegaei maris insula, cuius ad Cydippem, et Cydippes ad eum epistolas habet Ovidius noster 20. et 22. *Heroid.*

38 *Sine fronde, sine arbore.* Sine frondiferis arboribus.

ELEGIA XI.

ARGVMENTVM. Crudelissimum quemdam suppresso nomine accusat Ovidius, quod cum in Scythia, orbatus omni re cara, in maximis vivat incommodis, ille non his contentus, ei tamen insultet: additque, magnum illi esse dedecus, oppugnare hominem prostratum, et iacentem. Monet postremo, ut memor humanae sortis, nolit amplius commemorare Poëtae crimina, sed ea sinat cicatricem obducere, cum praesertim nunquam eius fortuna possit fieri miserior.

1 Si quis es, insultes qui casibus, improbe, nostris,
Meque reum, demto fine, cruentus agas;
2 Natus es e scopulis, nutritus lacte ferino;
Et dicam silices pectus habere tuum.
3 Quis gradus ulterior, quo se tua porrigat ira,
Restat? quidve meis cernis abesse malis?
4 Barbara me tellus, et inhospita litora Ponti,
Cumque suo Borea Maenalis ursa videt.
5 Nulla mihi cum gente fera commercia linguae:
Omnia solliciti sunt loca plena metus.
6 Vtque fugax avidis cervus deprensus ab ursis,
Cinctave montanis ut pavet agna lupis;
7 Sic ego belligeris a gentibus undique septus
Terreor; hoste meum pene premente latus.
8 Vtque sit exiguum poenae, quod coniuge cara,
Quod patria careo, pignoribusque meis;

1 . *Agas reum*. Accuses me. || *Dempto fine*. Perpetuo, sine fine.
2 *Natus es e scopulis*. Notatio hominis immitis. || *Habere silices*. Habere cor et mentem durissimam.
3 *Quis gradus ulterior restat*. Quod aliud malum superest, quod iratus mihi cupias accidere?
4 *Et inhospita littora*. Et littora portu carentia: et quae accolunt homines feri et inhospitales. || *Vrsa Maenalis*. Vrsa Arcadia. Callisto enim, quae postea in ursam mutata dicitur, fuit ex Arcadia.
5 *Cum gente* Cum gente Thraciae. || *Solliciti metus*. Timoris sollicitudinem iniicientis, propter gentes feras, quae loca illa infestant.

9 Vt mala nulla feram, nisi nudam Caesaris iram;
Nuda parum nobis Caesaris ira mali est?
10 Et tamen est aliquis, qui vulnera cruda retractet;
Solvat et in mores ora diserta meos.
11 In caussa facili cuivis licet esse diserto;
Et minimae vires frangere quassa valent.
12 Subruere est arces et stantia moenia virtus:
Quamlibet ignavi praecipitata premunt. (umbram?
13 Non sum ego quod fueram. Quid inanem proteris
Quid cinerem saxis bustaque nostra premis?
14 Hector erat, tunc cum bello certabat; at idem
Vinctus ad Haemonios non erat Hector equos.
15 Me quoque, quem noras olim, non esse memento;
Ex illo superant haec simulacra viro.
16 Quid simulacra, ferox, dictis incessis amaris?
Parce, precor, manes sollicitare meos.
17 Omnia vera puta mea crimina: nil sit in illis,
Quod magis errorem, quam scelus, esse putes.

9 *Nuda Caesaris ira.* Iovis ergo ira ecquid parum mali est?

10 *Vulnera cruda retractat.* Vulnus quod nondum coïvit, renovat. || *Solvat ora.* Loquatur, vel disertum se praebeat invehendo in vitam meam. || *In mores.* Contra meos mores.

11 *In caussa facili.* In caussa non difficili ad probandum. || *Quassa.* Debilitata.

13 *Proteris.* Conculcas, pedibus teris. || *Inanem umbram.* Vmbram sine corpore; id est, me sine ullis viribus. ||*Premis saxis.* Saxis insequeris.

14 *Tunc cum bello certabat.* Tunc quum vivebat, et poterat hostibus resistere. || *Ad Haemonios equos.* Ad equos Achillis Thessali: nam Thessalia quoque dicta est Aemonia. Notum est, ut Hector ab Achille interfectus, ter tractus fuit circum moenia Troiana. || *Non erat Hector.* Non vivebat, nec uti poterat viribus.

15 *Haec simulacra.* Hoc corpus sine viribus, et hanc fictam imaginem. Simulacra enim proprie sunt mortuorum imagines, quae ex desiderio mortuorum ortae sunt: ut qui iam defecerant, vivere viderentur. His autem verbis Poëta se quasi mortuum esse designat, nec quidquam praeter simulacrum restare significat.

16 *Sollicitare.* Inquietare. || *Meos manes.* Animam, quae a meo corpore discessit.

17 *Omnia vera puta mea cri-*

18 Pendimus en profugi, satia tua pectora, poenas,
Exsilioque graves, exsiliique loco.
19 Carnifici Fortuna potest mea flenda videri:
Te tamen est uno iudice moesta parum.
20 Saevior es tristi Busiride: saevior illo,
Qui falsum lento torruit igne bovem;
21 Quique bovem Siculo fertur donasse tyranno,
Et dictis artes conciliasse suas.
22 Munere in hoc, rex, est usus, sed imagine maior;
Nec sola est operis forma probanda mei.
23 Adspicis a dextra latus hoc adapertile tauri?
Huc tibi, quem perdes, coniiciendus erit:
24 Protinus inclusum lentis carbonibus ure.
Mugiet, et veri vox erit illa bovis.

mina. Existima, inquit, omnia quae mihi obiiciuntur crimina vera esse, eaque non errorem, nec imprudentiam, sed scelera finge appellari posse, satis certe poenas luimus.

18 *Pendimus poenas*. Poenas solvimus. || *Profugi*. Fugati in Scythicas oras. || *Satia tua pectora*. Expleas crudelitatem tuam meis suppliciis. || *Graves exsilio*. Molestas et magnas exsilii turpitudine ac damno. || *Exsiliique loco*. Non modo, inquit, in exsilium eiectus sum, verum etiam incommodissimus exsilio locus electus est.

19 *Carnifici*. Sanguinario et crudelissimo homini. || *Uno iudice*. Te solo ita iudicante.

20 *Tristi Busiride*. *Busiris*, Neptuni et Libyes filiae Epaphi filius, crudelissimus Aegyptiorum tyrannus fuit, quo tempore Danaus Argivis imperavit. Hic cum hospites omnes ad aras Iovis immolaret, ab Hercule in Aegyptum delato, cum easdem illi insidias pararet, una cum Amphidamante filio, et praecone Chalbe, et ministris arae interfectus est. || *Qui falsum lento torruit igne bovem*. Phalarim designat, Agrigentinorum tyrannum.

21 *Quique bovem Siculo fertur*. Perillum dicit, quem Graeci *Perilaum* appellant. Eum crudelem fuisse asserunt. || *Et dictis artes conciliasse*. Et verbis ornasse munus atque artificium suum, illudque fecisse acceptius.

22 *Munere in hoc*. Haec sunt Perilli verba ad Phalaridem regem. || *Usus*. Utilitas. || *Sed imagine maior*. Sed maior est usus quam apparet. || *Nec sola est*. Duo laudat Perillus in tauro aeneo, et utilitatem, et formam.

23 *Adapertile*. Quod facile aperiri potest. || *Quem perdes*. Quem interfici iubes || *Erit coniiciendus*. Erit ponendus in ipso tauro.

24 *Et illa vox*. Et gemitus ille.

25 Pro quibus inventis, ut munus munere penses,
Da, precor, ingenio praemia digna meo.
26 Dixerat. At Phalaris, Poenae mirande repertor,
Ipse tuum praesens imbue, dixit, opus.
27 Nec mora; monstratis crudeliter ignibus ustus
Exhibuit querulos ore tremente sonos.
28 Quid mihi cum Siculis inter Scythiamque Getasque?
Ad te, quisquis is es, nostra querela redit.
29 Vtque sitim nostro possis explere cruore;
Quantaque vis, avido gaudia corde feras;
30 Tot mala sum fugiens tellure, tot aequore passus,
Te quoque ut auditis posse dolere putem.
31 Crede mihi, si sit nobis collatus Vlixes,
Neptuni minor est, quam Iovis ira fuit.
32 Ergo quicunque es, rescindere vulnera noli;
Deque gravi duras ulcere tolle manus:
33 Vtque meae famam tenuent oblivia culpae,
Fata cicatricem ducere nostra sine.
34 Humanaeque memor sortis, quae tollit eosdem,
Et premit, incertas ipse verere vices.

26 *Imbue.* Incipe. *Imbuere* enim (auctore Servio) est proprie *inchoare* et *initiare*. Vel tu primus experire. Nolo hinc discedas impunitus.

27 *Querulos.* Alii legunt *geminos*: h. e. humanos et bubulos.

28 *Quid mihi cum.* Quid crudelitatem Phalaridis et Perilli Siculi refero. || *Ad te.* Ad exprobrandam crudelitatem in me tuam revertitur. || *Quisquis.* Quisquis ille es qui meo cruore non expleris.

29 *Sitim.* Crudelitatem et desiderium tuum. || *Quantaque vis.* Quantalibet.

30 *Fugiens.* In exsilium proficiscens. || *Auditis* Meis scilicet malis

31 *Vlixes.* Qui decennio erravit. || *Neptuni ira.* Neptuni indignatione. Neptunus enim Vlixem insecutus, quod ille eius filium Polifemum coecavit, quam ob caussam ille postea pertulit tempestatem. || *Quam Iovis.* Quam Augusti.

32 *Rescindere.* Noli iterum crimina mea lacerando commemorare, et retractare. || *De gravi.* De magno meo malo.

33 *Tenuent.* Imminuant.

34 *Incertas vices.* Vicissitudines fortunae, quas ignoras an tibi quoque obesse possint.

35 Et quoniam, fieri quod numquam posse putavi,
Est tibi de rebus maxima cura meis;
36 Non es quod timeas. Fortuna miserrima nostra est.
Omne trahit secum Caesaris ira malum.
37 Quod magis ut liqueat, neve hoc tibi fingere credar;
Ipse velim poenas experiare meas.

ELEGIA XII.

Argumentum. Poëta dicit, frigoribus pulsis, adesse vernum tempus, cuius iucunditatem e loco adiunctorum latius describit; incipiuntque etiam nautae navigare, qui, si in Scythiam pervenerint, se illis dicit occurrere, ut ab his cognoscat Caesaris triumphos. Quod si quis aliquid referre potuit, a Poëta domum ducitur, fitque eius hospes: precatur demum, ut domus, quam habebat in Scythia, non sit perpetua Poëtae sedes, sed hospitium, ut aliquando in patriam redeat.

1 Frigora iam Zephyri minuunt: annoque peracto
Longior antiquis visa Maeotis hyems:
2 Impositamque sibi qui non bene pertulit Hellen,
Tempora nocturnis aequa diurna facit.

35 *Maxima cura.* Maxima sollicitudo, ne reducar.

37 *Quod magis liqueat.* Vt illud magis appareat, me scilicet miserum esse.

1 *Frigora iam Zephyri.* Favonius, qui Graece Zephyros appellatur, flat ab occasu aequinoctiali ad VIII. Calendas Martii. Eo flante, minuuntur frigora; Ver ergo aperit navigantibus mare. || *Anno peracto.* Peracta hyeme, quae annum finit. Videtur hic Ovidius sentire annum hyeme finiri, vere autem incipere. || *Hyems Maeotis.* Hyems Scythica. || *Longior antiquis.* His verbis significat, se iam annum in Ponto fuisse, istamque tamen exactam hyemem multo sibi longiorem visam, quam praeteritas ac veteres, quibus Romae vixit.

2 *Impositamque sibi.* Aequinoctium vernum describit. || *Qui non bene pertulit Hellen.* Aries qui postea inter sidera collocatus fuit, Phrixum et Hellen per Hellespontum, transtulit. Sed Hellen decidisse in Hellespontum, quam ob caussam hic Ovidius Arietem dicit non bene pertulisse Hellen. || *Aequa nocturnis.* Aequinoctium designat, quo nihilo longiora sunt tempora diei, quam noctis. || *Tempora nocturnis.* Arietis signum ingreditur Sol mense

3 Iam violam puerique legunt, hilaresque puellae;
Rustica quam nullo terra serente gerit.
4 Prataque pubescunt variorum flore colorum,
Indocilique loquax gutture vernat avis.
5 Vtque malae crimen matris deponat hirundo,
Sub trabibus cunas parvaque tecta facit.
6 Herbaque, quae latuit cerealibus obruta sulcis,
Exserit e tepida molle cacumen humo.
7 Quoque loco est vitis, de palmite gemma movetur:
Nam procul a Getico litore vitis abest.
8 Quoque loco est arbor, turgescit in arbore ramus:
Nam procul a Geticis finibus arbor abest.
9 Otia nunc istic: iunctisque ex ordine ludis
Cedunt verbosi garrula bella fori.
10 Vsus equi nunc est, levibus nunc luditur armis:
Nunc pila, nunc celeri volvitur orbe trochus.

Martio, et vernum aequinoctium efficit.

4 *Indocili gutture*. Non docto gutture: hoc est, quod a nullo doctum fuit nisi a natura. || *Vernat*. Vere laetatur, lascivit.

5 *Vt deponat crimen malae matris*. Vt deponendo in eis cunis et nidis pullos, videatur pia, et velle crimen filii quem occidit, ea educatione celare, nec mala mater dici. Nota est fabula Prognes, quae Itim filium interfecit, et patri Tereo epulandum apposuit, ut ulcisceretur vim sorori turpiter illatam. || *Sub trabibus cunas*. *Cunas*, hirundinis nidos appellat.

6 *Herbaque quae latuit*. Frumentum quoque apparere ostendit. | *Sulcis Cerealibus*. Sulcis ubi frumenta nascuntur. || *Exserit*. Nudat. || *E tepida humo*. E terra media inter frigus et calidum: sic enim verno tempore esse solet.

8 *Turgescit*. Tumet.

9 *Otia nunc istic*. Ocia nunc sunt Romae || *Iunctisque ex ordine ludis*. Ludos Megalenses intelligit, qui fiebant VI Id. Aprilis, vel ut est apud Liv. lib. XXIX pridi. Idus: quod eo die Caesar Iubam Mauritaniae regem devicisset. Dicit autem *iunctisque ex ordine ludis*, nam ludus ludo succedit. Sigillatim vero agit de quibusdam. || *Cedunt verbosi*. Non dicitur ius Romae eo tempore, quo in scena ludi celebrantur. || *Cedunt*. Concedunt, locum dant.

10 *Equi*. Amant hoc tempore equitare. || *Nunc luditur armis*. Aliquando luditur armorum

11 Nunc, ubi perfusa est oleo labente iuventus
Defessos artus virgine tingit aqua.
12 Scena viget, studiisque favor distantibus ardet:
Proque tribus resonant terna theatra foris.
13 O quater, et quoties non est numerare, beatum,
Non interdicta cui licet Vrbe frui!
14 At mihi sentitur nix verno sole soluta,
Quaeque lacu duro vix fodiantur aquae.
15 Nec mare concrescit glacie: nec, ut ante, per Istrum
Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit.
16 Incipient aliquae tamen huc adnare carinae,
Hospitaque in Ponti litore puppis erit;
17 Sedulus occurram nautae: dictaque salute,
Quid veniat, quaeram, quisve, quibusve locis.
18 Ille quidem, mirum, ni de regione propinqua
Non nisi vicinas tutus ararit aquas.

exercitatione. Eam autem intelligit, quae adversus palum fiebat. || *Celeri orbe.* Celeri agitatione.

11 *Oleo labente.* Ceroma intelligit. Id unguentum ex oleo et terra in speciem luti, quo quidem in palaestra ungebantur. Oleum autem adhibebatur in palaestra, quoniam olei natura est tepefacere corpus, et contra algores munire. || *Tingit aqua virgine.* Romani veteres campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo iuventus post exercitium armorum sudorem, pulveremque dilueret.

12 *Scena viget.* In scena varii etiam ludi exhibentur in praesentia. || *Studiisque favor distantibus ardet.* Hoc dicit, quia in ludis alii aliis favebant, adeo, ut in spectaculis spectatores grandi sponsione facta annulos deponerent, quum alii alium victorem fore affirmarent. || *Ardet.* Irascitur: vel optat, aut prae nimio alicuius factionis amore uritur. || *Pro tribus resonant.* Tria theatra cum tribus foris vicina campo Martio ubi haec spectacula exhibebantur, prae nimio clamantium strepitu resonabant.

14 *At mihi sentitur.* Incipit commemorare quibus rebus noscatur ver apud Scythas, ut ex collatione eius incommoda ostendat. || *Duro lacu.* Lacu concreto et congelato. || *Aquae.* Subaudi, *sentiuntur.* || *Vix fodiantur.* Non rumpantur: quia vere sponte solvuntur.

15 *Bubulcus Sauromates.* Rector boum ex Sauromate regione: Nominativus Graecus est *Sauromates*, ut Spartiates, Sibarites, etc.

18 *Ille quidem mirum.* Ordo est: Mirum quidem est, ni ille ve-

19 Rarus ab Italia tantum mare navita transit:
Litora rarus in haec portubus orba venit.
20 Sive tamen Graia scierit, sive ille Latina
Voce loqui; certe gratior huius erit. (undis
21 Fas quoque ab ore freti longaeque Propontidos
Huc aliquem certo vela dedisse Noto:
22 Quisquis is est, memori rumorem voce referre,
Et fieri famae parsque gradusque potest.
23 Is precor auditos possit narrare triumphos
Caesaris, et Latio reddita vota Iovi;
24 Teque rebellatrix tandem, Germania, magni
Triste caput pedibus supposuisse Ducis.

niat de propinqua regione: quum e remotioribus per maria spaciosissima, et crebris tempestatibus obnoxia tutum non sit.

19 *Tantum mare*. Tam magnum mare. | *Orba portubus*. Portubus privata.

20 *Certe gratior hujus erit*. Certe Latina lingua aut Graeca mihi gratior erit. *Gratior*. Libentius nautas alloquar Latine, quia mihi patria lingua est.

21 *Ab ore freti*. Ab ore maris. Intelligit autem primas angustias, ubi id primum se coarctat, et Hellespontum facit. || *Longaeque Propontidos undis*. Pontus inter cetera maria est maxime admirabilis. Propontis autem quingentorum stadiorum est latitudinis, mille et quadringentorum longitudinis, influens in Hellespontum: ut Poëta non immerito, *longam Propontidem* appellarit.

22 *Quisquis is est*. Quicunque ad Ponticum littus venerit. || *Rumorem*. Sermonem sine certo ullo auctore. || *Et fieri famae*. Quasi dicat: Rumor ille poterit ad partem aliquam, seu gradum veritatis pervenire.

23 *Triumphos*. Triumphos Drusi, vel Augusti, cuius auspiciis ille militabat. || *Iovi Latio*. Intellige de Iove Capitolino, qui Romae colebatur, quae erat caput Latii, quo duces triumphantes perveniebant, et vota suscepta persolvebant.

24 *Germania rebellatrix*. Quae diu detrectavit iugum. Augustus (ut Florus scribit) sciebat patrem suum Caesarem bis transvectum pontem Rheno quaesisse bellum. In illius honorem cupiens facere provinciam, misit eo Drusum, qui validissimas nationes aggressus, domuit brevi. || *Teque rebellatrix tandem*. De Tiberio intellige hoc loco, non de Druso. Nam Drusus iam multo ante, lapsu equi perierat. Tiberius autem, occiso paulo ante Quintilio Varo, in Germaniam missus hoc tempore fuit, ut cladem acceptam ulcisceretur, et Germa-

25 Haec mihi qui referet, quae non vidisse dolebo,
Ille meae domui protinus hospes erit.
26 Heu mihi! iamne domus Scythico Nasonis in orbe?
Iamque suum mihi dat pro Lare poena locum?
27 Dî faciant, Caesar non hic penetrale domumque,
Hospitium poenae sed velit esse meae.

ELEGIA XIII.

Argvmentvm. Cum natalis Poëtae adesset, superfluum fuisse dicit, in ea loca illum venisse, ubi non licet illi ex more solemnia sacra exhibere; monetque, ne amplius redeat, dum in Scythia erit.

1 Ecce supervacuus, quid enim fuit utile gigni?
Ad sua natalis tempora noster adest.
2 Dure, quid ad miseros veniebas exsulis annos?
Debueras illis imposuisse modum.
3 Si tibi cura mei, vel si pudor ullus inesset;
Non ultra patriam me sequerere meam.

nos in ordinem redigeret. Hunc ergo optat Poëta, devicta, ut ipse ait, rebellatrice Germania, cum triumpho redire, idque se ex aliquo audire posse || *Triste caput.* Contumax, ferox caput. || *Magni* Augusti Caesaris.

25 *Protinus hospes erit.* Quam primum apud me divertet.

26 *Suum locum.* Locum ipsius exsilii, id est, Tomon. || *Pro Lare.* *Larem* pro domo posuit.

27 *Non velit hic esse penetrale.* Non velit hanc esse domum. ||*Penetrale* autem a penitus deductum, significat quod intimo loco est.

1 *Quid enim.* Ratio quare eius natalis fuerit superfluus. Hoc autem dicit, quoniam in Scythia in maximis incommodis exsul degebat. Loquitur enim ex eorum sententia, qui censuere non nasci optimum, ob varia vitae mala et labores. || *Ad sua.* Tempore quo natus fui.

2 *Dure.* O crudelis natalis. || *Quid ad miseros.* Cur venisti ad hanc meam aetatem tam infoelicem, debebas enim exsilium mihi nascenti avertere, finiendo vitam, antequam exsularem.|| *Modum.* Finem.

3 *Vltra patriam.* Nam posteaquam e patria in exsilium abii, debebas me tanquam mortuum deserere, et vitam meam finire.

4 Quoque loco primum tibi sum male cognitus infans,
Illo tentasses ultimus esse mihi.
5 Iamque relinquenda, quod idem fecere sodales,
Tu quoque dixisses tristis in Vrbe, Vale!
6 Quid tibi cum Ponto? Num te quoque Caesaris ira
Extremam gelidi misit in orbis humum?
7 Scilicet exspectas soliti tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris vestis ut alba meis?
8 Fumida cingatur florentibus ara coronis?
Micaque solemni turis in igne sonet?
9 Libaque dem pro me genitale notantia tempus?
Concipiamque bonas ore favente preces?

4 *Quoque loco primum.* Sulmone, quum primum natus fui. || *Sum male cognitus.* Sum infoeliciter cognitus: hoc est, sum cognitus malis et infortuniis exsilii obnoxius.

5 *In relinquenda urbe.* In permittendo me mori in urbe: vel, non prosequendo me in exsilium. || *Quod idem fecere sodales.* Nam me ab Augusto damnatum deseruere.

6 *Cum Ponto.* Cum Tomo Pontica urbe, ubi exsulo. || *Gelidi.* Hyperborei.

7 *Honorem.* Solemnes festivitates et celebritatem: hoc est, exspectas ut te, quemadmodum solebam, honorem. || *Vestis ut alba.* Vestem candidam dicit, quam induebant qui natalem celebrabant.

8 *Fumida cingatur.* Solebant enim natali honorem Diis exhibere, et Genio potissimum, cuius aram sertis coronatam thure vaporabant. || *Sonet.* Observa quod ait, *sonet.* Nam a sonitu et crepitu tam thuris, quam lauri ardentium, felix omen captabat.

9 *Libaque.* Servius scribit, libum placentam fuisse, quae farre, melle, et oleo constat, et apta erat sacrificiis. Ea nomen accepit quod libandi caussa fieret, ut Varroni placet. Eaque die natali discumbentibus apponebant, nemo autem prius gustabat, quam is qui suum natalem celebrabat: omnes autem, qui libum gustassent, bene precari oportebat || *Genitale tempus.* Tempus voluptuosum: aut quo Genio sacrificatur. *Genius* Deus est, cuius in tutela ut quisque natus est vivit: sive quod nos genitos suscipiat ac tueatur. Certe a gignendo *Genius* appellatur. || *Ore favente. Favere* est bona fari. Donatus scribit, *favere* significare *silere.* Non enim trahitur a *favore*, ut plerique existimant: sed paratur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente.

10 Non ita sum positus: nec sunt ea tempora nobis,
Adventu possim laetus ut esse tuo.
11 Funeris ara mihi, ferali cincta cupresso,
Convenit, et structis flamma parata rogis.
12 Nec dare tura libet nihil exorantia Divos:
In tantis subeunt nec bona verba malis.
13 Si tamen est aliquid nobis hac luce petendum;
In loca ne redeas amplius ista, precor:
14 Dum me terrarum pars paene novissima, Pontus,
Euxini falso nomine dictus, habet.

ELEGIA XIV.

ARGVMENTVM. Amici colligentis eius scripta, fidem, et amorem laudat, Poëta, hortaturque ut, quoad potest, eius nomen in Vrbe retineat; simulque exponit Metamorphosis opus inemendatum e manibus exiisse. Postremo dicit, quidquid exsilii tempore compositum a se fuit in Scythia, excusandum esse.

1 Cultor et antistes doctorum sancte virorum
Qui facis ingenio semper, amice, meo;

10 *Non ita sum positus.* Forte pro *constitutus*, hoc sensu: Non est ea conditio mea, non is status meus.

11 *Ferali cupresso.* Atra et funebri cupresso.

12 *Nihil exorantia.* Nil precibus conciliantia. || *In tantis subeunt.* Nulla occurrunt bona verba quae dicam; quia mala mea quidquam boni cogitare me non sinunt. || *Si tamen est aliquid nobis.* Hoc dicit, quia natalem celebrantes, a diis aliquid petebant.

14 *Euxini falso.* Mare illud quod Pontum appellant, *Euxinum* etiam dicimus ab graeco vocabulo, quod *bonum* significat, et *hospes* vel *amicus*, quasi bonum hospitium sit: quod per contrarium dictum est. Nam circa Euxinum loca sunt asperrima. et fera, gentesque etiam immites, quum ab inhospitali feritate, rectius *Axenus* appellaretur.

1 *Antistes.* Qui alios omnes antecedis; ducta appellatione vel a re militari, vel a sacrorum consuetudine.

2 Ecquid, ut incolumem quondam celebrare solebas,
Nunc quoque, ne videar totus abesse, caves?
3 Suscipis exceptis ecquid mea carmina solis
Artibus, artifici quae nocuere suo?
4 Immo ita fac, vatum, quaeso, studiose novorum:
Quaque potes, retine corpus in Vrbe meum.
5 Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta libellis,
Qui domini poenam non meruere sui.
6 Saepe per extremas profugus pater exsulat oras;
Vrbe tamen natis exsulis esse licet.
7 Palladis exemplo, de me sine matre creata
Carmina sunt. Stirps haec progeniesque mea est.
8 Hanc tibi commendo: quae, quo magis orba paren-
Hoc tibi tutori sarcina maior erit. (te,
9 Tres mihi sunt nati contagia nostra secuti:
Cetera fac curae sit tibi turba palam. (mae,
10 Sunt quoque mutatae ter quinque volumina for-
Carmina de domini funere rapta sui.

2 *Ecquid*. Nunquid. || *Incolumem*. Nondum exsulem. || *Ne videar totus abesse*. Ne totus videar Romae non esse. || *Caves*. Provides.

3 *Exceptis solis artibus*. Libros intelligit de Arte amandi.

4 *Ita fac*. Ita collige carmina mea omnia praeter amatoria.

5 *Est fuga*. Dictum est mihi exsilium.

6 *Licet natis exsulis*. Fas est liberis exsulantis hominis.

7 *Palladis exemplo*. Quae fertur sine matre prosiluisse cum clypeo suo a vertice Iovis. Vnde a Graecis *absque matre* dicta fuit, quia Sapientia solius Dei munus sit, et cum voluptate corporis non consistat. Quam ob caussam Musas quoque virgines finxit antiquitas.

8 *Hanc tibi commendo*. Commendo tibi hanc meam stirpem et progeniem. || *Hoc erit maior sarcina* Tanto erit maior sarcina: quia qui carent parentibus, indigent maiori praesidio et favore.

9 *Tres mihi sunt nati*. Tres illos de Arte amandi libros significat. || *Contagia nostra*. Nostra mala: nam et ipsi ex urbe eiecti sunt. || *Cetera turba*. Reliqui libri a me editi.

10 *Ter quinque volumina*. Libri quindecim. || *Formae mutatae*. Metamorphoseon || *De domini funere*. Subita enim relegatione opus illud inemendatum emissum est.

11 Illud opus potuit, si non prius ipse perissem,
Certius a summa nomen habere manu.
12 Nunc incorrectum populi pervenit in ora:
In populi quidquam si tamen ore meum est.
13 Hoc quoque nescio quid nostris appone libellis,
Diverso missum quod tibi ab orbe venit. (te,
14 Quod quicunque leget, si quis leget, aestimet an-
Compositum quo sit tempore, quoque loco.
15 Aequus erit scriptis; quorum cognoverit esse
Exsilium tempus, barbariemque locum.
16 Inque tot adversis carmen mirabitur ullum
Ducere me tristi sustinuisse manu.
17 Ingenium fregere meum mala: cuius et ante
Fons infecundus parvaque vena fuit.
18 Sed quaecunque fuit, nullo exercente refugit,
Et longo periit arida facta situ.
19 Non hic librorum, per quos inviter alarque,
Copia. Pro libris arcus et arma sonant:
20 Nullus in hac terra, recitem si carmina, cuius
Intellecturis auribus utar, adest.

11 *Si non prius ipse perissem.* Si non antea relegatus essem. || *Certius nomen.* Clariorem famam. Aut etiam certiorem titulum. || *A summa manu.* Post ultimam emendationem.

12 *Populi pervenit in ora.* Legitur a populo, et de eo loquitur vulgus. || *In populi quicquam.* Quasi dicat: Si modo populus Romanus legit scripta mea, a quibus fortasse abhorret, propter amatorios libellos.

13 *Hoc.* Scilicet carmen subditititium. || *Appone.* Adscribe. || *Ab orbe.* A Scythica plaga.

14 *Quo tempore.* Quum adhuc florerem, antequam relegatus fuissem. || *Quoque loco.* Romaene, in doctorum hominum luce, et librorum copia, an in Scythia?

15 *Aequus erit scriptis.* Scriptis meis aequum se iudicem praestabit, et siquid in his damnandum deprehendet, mihi ignoscet: sciet enim, me ea composuisse relegationis meae tempore, et in media barbaria.

16 *Ducere.* Deducere, scribere: propterea quod addidit, *Tristi manu.*

19 *Inviter alarque.* Industria mea excitetur et sustentetur. || *Arcus et arma.* Quibus utuntur Scythae.

21 Nec, quo secedam, locus est. Custodia muri
Submovet infestos, clausaque porta, Getas. (que;
22 Saepe aliquod verbum quaero, nomenque, locum-
Nec quisquam est, a quo certior esse queam.
23 Dicere saepe aliquid conanti, turpe fateri!
Verba mihi desunt; dedidicique loqui.
24 Threïcio Scythicoque fere circumsonor ore:
Et videor Geticis scribere posse modis.
25 Crede mihi; timeo, ne sint immista Latinis,
Inque meis scriptis Pontica verba legas.
26 Qualemcunque igitur venia dignare libellum;
Sortis et excusa conditione meae.

21 *Quo secedam.* Quo me ab aliis removeam, et secessum aliquem amoenum petam extra urbem, studiis aptum. || *Custodia muri.* Custodia muri submovet, et arcet infestos Getas: portae clausae sunt, et a custodibus servantur, ad submovendos hostes. Neque enim egrediebatur quisquam tum, hostium metu.

24 *Circumsonor.* Quia omnes loquuntur Threicio et Getico sermone. || *Modis Geticis.* Linguam enim Geticam didici.

25 *Immista.* Subaudi, verba Getica.

26 *Qualemcunque.* Vel cultum, vel incultum. || *Dignare.* Dignum iudica. || *Et excusa.* Et excusatum habeas illum, vel certe aliis excusa. || *Conditione meae sortis.* Quia exsul in assiduo luctu et malis versor.

P. OVIDII NASONIS

TRISTIVM

LIBER QVARTVS.

ELEGIA I.

Argvmentvm. Excusandos esse dicit Poëta suos libellos, si quid fuerit in his reprehendendum : siquidem exsul haec scribebat, non gloriae cupiditate, sed ut requiem peteret, et dolorem exilii carminibus consolaretur. Enumerat postremo mala, quae in Scythia patitur.

1 Si qua meis fuerint, ut erunt, vitiosa libellis;
Excusata suo tempore, lector, habe.
2 Exsul eram; requiesque mihi, non fama petita est:
Mens intenta suis ne foret usque malis. (sor
3 Hoc est, cur cantet vinctus quoque compede fos-
Indocili numero cum grave mollit opus:

1. *Si qua meis.* Deest *in*, praepositio. || *Suo tempore.* Quia ea scripsi tempore quo eram relegatus.

2 *Requiesque.* Vt quiescerem magis eo tempore, quam scriberem praeclarum aliquid. || *Non fama.* Quam relinquit aliis, nullo casu oppressis || *Ne foret intenta.* Ne foret sollicita; atque ita conficerer assiduitate aegritudinis. Sevoco igitur animum a cogitationibus moestissimis.

3 *Hoc est cur cantet.* Multorum exemplo se haec fatetur scripsisse, ut potius dolorem levaret, quam gloriam acquireret. || *Vinctus quoque compede fossor.* || Eos qui in ergastulis vincti tenebantur, et agros fodiebant, designat. || *Hoc est.* Haec caussa est oblivio, puta mali, et avocatio animi a cogitatione laboris et molestiae. || *Indocili numero.* Cantu indocto, vel quem non est doctus || *Cum grave mollit opus.* Quum durum fodiendi opus leve et molle facit.

4 Cantet et, innitens limosae pronus arenae,
Adverso tardam qui trahit amne ratem.
5 Quique ferens pariter lentos ad pectora remos,
In numerum pulsa brachia versat aqua.
6 Fessus ut incubuit baculo, saxove resedit
Pastor; arundineo carmine mulcet oves.
7 Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
Fallitur ancillae decipiturque labor.
8 Fertur et abducta Lyrnesside tristis Achilles
Haemonia curas attenuasse lyra.
9 Cum traheret silvas Orpheus et dura canendo
Saxa; bis amissa coniuge moestus erat.
10 Me quoque Musa levat Ponti loca iussa petentem.
Sola comes nostrae perstitit illa fugae.

4 *Cantat et innitens.* Nautas designat, qui per flumina ducunt naves gravissimas, et vix mobiles: cantando autem laborem imminuunt. || *Ratem tardam.* Navem gravem, aut tardam, quia ducitur contra fluminis cursum.

5 *Quique ferens.* Ille etiam cantat, minuendi laboris gratia, qui assidue remigat, et leviorem navem impellit.

6 *Arundineo carmine.* Fistulae cantu, quae ex arundinibus fiunt a pastoribus: musica enim brutas animantes recreat.

7 *Trahentis.* Deducentis, filantis. || *Fallitur.* Non sentitur.

8 *Abducta Lyrnesside.* Abducta Hippodamia Brisei filia. Lyrnesum autem oppidum fuit in ora Troiae, contra Lesbon, Hippodamiae patria: unde ipsa *Lirnesia* appellata est. ||*Haemonia lyra.* Lyra Achillis Aemonii, hoc est, Thessali. Aemon enim rex fuit Thessaliae, a quo Aemonia Thessalia cognominata fuit, quae postea ab eius filio Thessalo appellari coepta fuit. Canebat autem ad citharam, virorum fortium laudes.

9 *Cum traheret silvas.* Quum traheret arbores cantu, et saxa. Fuit autem Orpheus ex Thracia, filius Oeagri. Nota est eius fabula, quam elegantissime descripsit Maro *Georg* IV. || *Bis amissa coniuge.* Bis perdita Eurydice: primo, quum ea Aristaeum fugiens, periit morsu serpentis: deinde, quum ea illi ab inferis redeunti erepta est. Legem enim dederat Proserpina, ne respiceret, donec in auras superas pervenisset. || *Moestus erat.* Erat tristis: sed tamen cantu dolorem levabat.

10 *Musa.* Carmen, quod facio levandi doloris gratia. || *Ponti loca iussa.* Tomitanam urbem dicit.

11 Sola nec insidias hominum, nec militis ensem,
Nec mare, nec ventos, barbariemque timet.
12 Scit quoque, cum perii, quis me deceperit error;
Et culpam in facto, non scelus, esse meo.
13 Scilicet hoc ipso nunc aequa, quod obfuit ante,
Cum mecum iuncti criminis acta rea est.
14 Non equidem vellem, quoniam nocitura fuerunt,
Pieridum sacris imposuisse manum.
15 Sed nunc quid faciam? vis me tenet ipsa Sororum:
Et carmen demens, carmine laesus, amo.
16 Sic nova Dulichio lotos gustata palato,
Illo, quo nocuit, grato sapore fuit.
17 Sentit amans sua damna fere; tamen haeret in illis:
Materiam culpae persequiturque suae.
18 Nos quoque delectant, quamvis nocuere, libelli:
Quodque mihi telum vulnera fecit, amo.
19 Forsitan hoc studium possit furor esse videri:
Sed quiddam furor hic utilitatis habet.

12 *Et culpam.* Culpae meae caussam, hoc est, errorem.

13 *Hoc ipso.* Hac ipsa re, id est, carmine. Vel hac ipsa re, hoc est, levando curas meas. Est autem sensus: Musa ideo est mihi aequa, quoniam mecum accusata fuit, et mihi prius nocuit. || *Acta rea est.* Accusata est. Intelligit autem carmina amatoria, quae cum ipso poëta damnata sunt.

14 *Pieridum sacris.* Sacris Musarum. || *Imposuisse manum.* Attigisse Musarum sacra: sic *ultimam* seu *extremam manum imponere*, est *finire*.

15 *Vis me tenet ipsa.* Nequeo haec studia deponere.

16 *Sic nova Dulichio.* Homerus lib. IX *Odiss.* scribit, Vlissem tempestate actum, in Africam ad Lothophagos accessisse, eiusque socios gustato loto, reditum in patriam oblitos fuisse: quos invitos et flentes coëgit Vlisses navem conscendere. Fuere autem *Lothophagi* populi in Africa, a loto arbore appellati, cuius fructus sunt magnitudine sabae, colore croci, tam dulcis, ut advenis incutiant patriae oblivionem, ut docet Plinius.

17 *Materiam suae culpae.* Id est amorem, cuius amans ipse est culpa et caussa.

19 *Furor esse.* Poëta esse bonus nemo potest, nisi furore corripiatur. Vnde Socrates apud Platonem ita loquitur: Res enim levis, volatilis, atque sacra poëta est: neque poëtica prius canere potest,

20 Semper in obtutu mentem vetat esse malorum;
Praesentis casus immoremque facit.
21 Vtque suum Bacchis non sentit saucia vulnus,
Dum stupet Edonis exululata iugis;
22 Sic, ubi mota calent viridi mea pectora thyrso,
Altior humano spiritus ille malo est.
23 Ille nec exsilium, Scythici nec litora ponti,
Ille nec iratos sentit adesse Deos.
24 Vtque soporiferae biberem si pocula Lethes,
Temporis adversi sic mihi sensus abest.
25 Iure Deas igitur veneror mala nostra levantes;
Sollicitae comites ex Helicone fugae:
26 Et partim pelago, partim vestigia terra,
Vel rate dignatas, vel pede nostra sequi.

quam Deo plenus, et extra se positus, et mente alienatus sit. Nam quamdiu mente quis valet, neque fingere carmina, neque dare oracula potest. || *Sed quiddam furor hic.* In hoc poëtico furore est quaedam utilitas, quam subiungit.

20 *In obtutu malorum.* In aspectu et contemplatione malorum, in quibus versor. || *Praesentis casus.* Praesentis exsilii.

21 *Bacchis.* Phoebas vates Apollinis, quae Baccho orgia celebrat, furore correpta, qualis mater Penthei, et similes describuntur l. III. *Metam.* Has dicit Idaeo, hoc est, Phrigio more exululare, et insanire, id est, eo more, quo Galli sacerdotes Magnae matris solent, cum in Ida sacra illius peragunt.|| *Saucia.* Deo plena. || *Non sentit suum vulnus.* Non sentit suum furorem. || *Dum stupet.* Dum est attonita. || *Edonis iugis. Edon* mons inter Macedoniam et Thraciam, per cuius iuga sacerdotes Bacchi clamitando currebant. || *Exululata.* Ad ululatum impulsa a Baccho, aut certe participium formavit a deponenti ululor, per licentiam poëticam: Vel ululatum edens more Phrygio.

22 *Thyrso.* In sacris Bacchi sacerdotes eius gestabant thyrsos, hastas pampinis circumvolutas; pampineas hastas vocat Virgilius, ipsi *thyrsigeri* dicti. || *Ille spiritus.* Ille furor et spiritus Apollineus.

23 *Iratos Deos.* Augustum iratum.

24 *Lethes soporiferae.* Lethaei fluminis, soporem et oblivionem inducentis. || *Sensus temporis adversi.* Cogitatio, et intelligentia temporis mei infelicis.

25 *Deas.* Musas. || *Ex Helicone.* E Boeotiae nemore, ubi natale Musis assignant. || *Sollicitae comites* Appositio, id est, Vos Musae, quae usque ex Helicone Boeotiae monte, de meo exsilio sollicitae estis.

27 Sint precor hae saltem faciles mihi: namque Deorum
Cetera cum magno Caesare turba facit.
28 Meque tot adversis cumulant, quot litus arenas,
Quotque fretum pisces, ovaque piscis habet.
29 Vere prius flores, aestu numerabis aristas,
Poma per autumnum, frigoribusque nives;
30 Quam mala, quae toto patior iactatus in orbe,
Dum miser Euxini litora saeva peto.
31 Nec tamen, ut veni, levior fortuna malorum est:
Huc quoque sunt nostras fata secuta vias.
32 Hic quoque cognosco natalis stamina nostri;
Stamina de nigro vellere facta mihi.
33 Vtque nec insidias, capitisque pericula narrem,
Vera quidem, vera sed graviora fide;
34 Vivere quam miserum est inter Bessosque Getasque
Illi, qui populi semper in ore fuit!
35 Quam miserum, porta vitam muroque tueri,
Vixque sui tutum viribus esse loci!

27 *Sint precor hae faciles.* Ex tanto Deorum numero optat unas Musas sibi in posterum quoque propitias. || *Cetera turba Deorum.* Reliqui Dii, praeter Musas.|| *Facit cum Caesare.* Coniuncta est cum Caesare.

28 *Quot litus arenas.* Hiperbolica numeri infiniti notatio.

30 *Quam mala.* Subaudi, *numerabis.*

31 *Vt veni.* Posteaquam in Scythiam perveni. || *Nec tamen levior.* Nec tamen in praesentia, minori, quam antea me afficit poena. Quasi dicat: Credideram me tantum doliturum, quod patria carerem: sed alia etiam mala non leviora, quae statim Poëta subiungit, me angunt. || *Fata.* Infortunia eadem quae mihi Romae nocuere.

32 *Hic.* In Scythia.||*Stamina.* Fila Parcarum mearum: hoc est, cursum vitae meae. || *Facta de nigro vellere.* Plena infelicitatis. Nam *nigra* infelicitatem: *candida* vero felicitatem designant.

33 *Sed graviora fide.* Sed magis gravia et aspera, quam credi possit.

34 *Inter Bessosque Getasque.* De Bessis ac Getis diximus supra.

35 *Sui tutum viribus.* Munitione, quae quo maior, eo vires maiores ad resistendum, et hostem aditu prohibendum.

36 Aspera militiae iuvenis certamina fugi,
Nec nisi lusura movimus arma manu.
37 Nunc senior gladioque latus, scutoque sinistram,
Canitiem galeae subiicioque meam.
38 Nam dedit e specula custos ubi signa tumultus;
Induimur trepida protinus arma manu.
39 Hostis, habens arcus imbutaque tela veneno,
Saevus anhelanti moenia lustrat equo.
40 Vtque rapax pecudem, quae se non texit ovili,
Per sata, per silvas, fertque trahitque lupus;
41 Sic, si quem nondum portarum sepe receptum
Barbarus in campis reperit hostis, agit.
42 Aut sequitur captus, coniectaque vincula collo
Accipit; aut telo virus habente cadit.
43 Hic ego sollicitae iaceo novus incola sedis.
Heu nimium fati tempora longa mei!
44 Et tamen ad numeros antiquaque sacra reverti
Sustinet in tantis hospita Musa malis. (nec qui
45 Sed neque, cui recitem, quisquam est, mea carmina:
Auribus accipiat verba Latina suis.
46 Ipse mihi, quid enim faciam? scriboque legoque:
Tutaque iudicio litera nostra suo est.

36 *Fugi aspera certamina militiae.* Iuvenis enim Ovidius in Asia militavit. || *Nisi manu lusura.* Nisi ludi aut exercitationis gratia, id genus armorum tractavi.

37 *Canitiem.* Canos.

38 *Tumultus.* Timoris: quod Getae armati contra nos adventare nunciabantur. || *Trepida manu.* Nos trepidi, festinabundi in timore tanto.

40 *Quae se non texit ovili.* Quae extra ovile deprehensa fuit.

43 *Sollicitae.* Propter hostes assiduos. || *Mei fati.* Meae mortis.

44 *Ad numeros.* Ad versus.

45 *Accipiat auribus.* Intelligat. Duo ergo dicit: nec se habere, qui carminis peritiam tenet; nec eum saltem, qui Latina verba intelligat.

46 *Ipse mihi, quid enim.* Quod lego ac compono, meo iudicio examinandum permitto. Careo enim amicis, quorum cum Romae essem, in meis carminibus corrigendis iudicio uti solitus sum. || *Suo iudicio.* Proprio meo iudicio, et non alieno.

47 Saepe tamen dixi, Cui nunc haec cura laborat?
Au mea Sauromatae scripta Getaeque legent?
48 Saepe etiam lacrimae me sunt scribente profusae,
Humidaque est fletu litera facta meo. (sentit;
49 Corque vetusta meum, tanquam nova, vulnera
Inque sinum moestae labitur imber aquae.
50 Cum vice mutata quid sim fuerimque recordor,
Et tulerit quo me casus, et unde, subit;
51 Saepe manus demens, studiis irata malignis,
Misit in arsuros carmina nostra focos.
52 Atque ita de multis, quoniam non multa supersunt,
Cum venia facito, quisquis es, ista legas. (carmen
53 Tu quoque non melius, quam sunt mea tempora,
Interdicta mihi, consule, Roma, boni.

ELEGIA II.

ARGVMENTVM. Tiberium Germanicam expeditionem suscepisse, in Scythiam ad Poëtam fama pertulerat. Dicit ergo, victoriam fortasse ab eo partam fuisse, cum haec scriberet: eius autem triumpho dicit se mente interesse, quandoquidem corpore non possit: quod si quis ei triumphi formam retulerit, quamvis sero, tamen ostendit, se auditurum tanta laetitia, ut proprium incommodum sit posthabiturus publicae laetitiae.

1 Iam fera Caesaribus Germania, totus ut orbis,
Victa potes flexo procubuisse genu:

49 *Corque.* Subaudi, *labitur.* || *Tanquam nova vetusta.* Tanquam si non iam pridem, sed in praesentia exsularem. || *Aquae moestae.* Lacrimarum ex moestitia copiose manantium.

50 *Quo.* Scythiam intelligit. || *Et unde.* Et tulerit ex quo loco, id est, ob romana urbe.

52 *Cum venia.* Mihi ignoscendo, si quid erratum fuerit. || *Carmen non melius.* Carmen non magis bonitate praestans.

53 *Consule boni.* Aequum iudica.

1 *Iam fera Germania.* De Germanis domitis a Druso, diximus supra. || *Victa Caesaribus.* Ab Augusto et Druso victa, vel succubuis-

2 Altaque velentur fortasse Palatia sertis;
Turaque in igne sonent, inficiantque diem;
3 Candidaque adducta collum percussa securi
Victima purpureo sanguine tingat humum:
4 Donaque amicorum templis promissa Deorum
Reddere victores Caesar uterque parent:
5 Et qui Caesareo iuvenes sub nomine crescunt,
Perpetuo terras ut domus ista regat:
6 Cumque bonis nuribus pro sospite Livia nato
Munera det meritis, saepe datura, Deis;
7 Et pariter matres, et quae sine crimine castos
Perpetua servant virginitate focos.

se Caesaribus. || *Vt totus orbis.* Vt orbis totus paret Caesaribus; iam tu quoque Germania parebis et illis genua flectes, eorum armis domita scilicet.

2 *Alta palatia.* Celsae Augusti aedes, quae erant in Palatino colle, ubi ille habitabat. || *Velentur.* Vestientur, ornentur in signum laetitiae, propter victoriam de Germanis. || *Turaque in igne sonent.* Tura etiam crementur in templis Deorum immortalium. || *Inficientque diem.* Diem fumo obscurum reddant, et offuscent.

3 *Candida victima.* Quae parta victoria sacrificari solebat. || *Adducta securi.* Ad se tracta, vel in altum sublata securi, ut in ictu fieri solet.

4 *Donaque amicorum.* Dona, quae Imperatores templis Deorum sibi faventium: vel dona amicorum, quae pro Imperatoribus amici ipsorum Diis promiserant. || *Vterque Caesar.* Augustus et Tiberius.

5 *Et qui Caesareo.* Germanicus Drusi, Drusus Tiberii filius. || *Sub nomine.* Caesares enim et ipsi appellabantur. || *Vt ista domus.* Vt ista Caesarum familia.

6 *Pro sospite nato.* Pro filio Tiberio, quem ut Drusum, ex Claudio Tiberio Nerone genuerat.|| *Cum bonis nuribus.* Ego non Tiberii aut Drusi uxores accipio, cum Tiberii quae erat Iulia videlicet, Augusti filia, iam relegata esset: sed Germanici et Drusi iunioris, quorum alteri Agrippina, Iuliae et Agrippae filia: alteri Germanici soror Livia, nupta erat, ut ex Taciti libro primo et secundo manifestum est. Dicuntur autem *Nurus* non tantum a parentibus maritorum, sed et ab avis. || *Munera saepe Deis.* Propter plures victorias.

7 *Et pariter matres.* Ob filios sospites. || *Et quae sine crimine.* Vestales designat.

8 Plebs pia, cumque pia laetentur Plebe Senatus,
Parvaque cuius eram pars ego nuper, Eques.
9 Nos procul expulsos communia gaudia fallunt:
Famaque tam longe non nisi parva venit.
10 Ergo omnis poterit populus spectare triumphos;
Cumque ducum titulis oppida capta leget:
11 Vinclaque captiva reges cervice gerentes
Ante coronatos ire videbit equos:
12 Et cernet vultus aliis pro tempore versos,
Terribiles aliis, immemoresque sui.
13 Quorum pars caussas, et res, et nomina quaeret:
Pars referet, quamvis noverit ipsa parum:
14 Is, qui Sidonio fulget sublimis in ostro,
Dux fuerat belli: proximus ille duci.
15 Hic, qui nunc in humo lumen miserabile figit,
Non isto vultu, cum tulit arma, fuit.
16 Ille ferox, oculis et adhuc hostilibus ardens,
Hortator pugnae consiliumque fuit.
17 Perfidus hic nostros inclusit fraude locorum,
Squalida promissis qui tegit ora comis.

8 *Cuius ego.* Fuit enim Ovidius eques, et equestri natus familia.

9 *Fallunt nos.* Me fugiunt, a me ignorantur.

10 *Cumque ducum titulis.* Captivi et loca imaginibus scriptisque in triumphum deferebantur.

11 *Ante coronatos.* Triumphantis currum trahebant equi candidi quatuor: qui et ipsi lauro coronabantur.

12 *Vultus versos.* Vultus mutatos: nam qui primo fuerant feroces, tunc erant humiles et abiecti. || *Pro tempore.* Habita temporis ratione, quod poscit, ut victi ferociam ponant. || *Terribiles aliis.* Cernet, inquit, populus alios captivos truci vultu, tanquam si essent victores, quod his solet evenire, qui sui sunt immemores.

13 *Caussas.* Cur scilicet sint terribiles.|| *Et res.* Ab eis scilicet gestas.

14 *Qui Sidonio.* Purpurea veste, qui color apud Sidonios optimus tingitur.|| *Proximus duci.* Secundus a duce.

16 *Consiliumque fuit.* Duci hostium a consiliis fuit.

17 *Fraude locorum.* Germanum transfugam denotat, qui in hostium insidias praecipitavit Romanos, aut in loca duxit iniqua, et

18 Illo, qui sequitur, dicunt mactata ministro
Saepe recusanti corpora capta Deo.
19 Hic lacus, hi montes, haec tot castella, tot amnes,
Plena ferae caedis, plena cruoris erant.
20 Drusus in his quondam meruit cognomina terris,
Quae bona progenies digna parente fuit.
21 Cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulva,
Decolor ipse suo sanguine, Rhenus erit.
22 Crinibus en etiam fertur Germania passis,
Et Ducis invicti sub pede moesta sedet.
23 Collaque Romanae praebens animosa securi
Vincula fert illa, qua tulit arma, manu.
24 Hos super in curru, Caesar, victore veheris
Purpureus populi rite per ora tui:
25 Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum:
Vndique iactato flore tegente vias.
26 Tempora Phoebea lauro cingetur; Ioque,
Miles, Io, magna voce, Triumphe, canet.

alio quam ipsis promiserat. || *Squalida promissis.* Qui est promisso et hispido capillo, ut lugentes et rei solent esse.

18 *Illo ministro.* Ministrum sacrorum intelligit, ex Druidibus aliquem. || *Deo saepe recusanti.* Deo saepe renuenti tot corpora mactari.

20 *Cognomina.* Vt de victa Germania Germanicus vocaretur.|| *Digna parente.* Digna vel patre Tiberio Claudio Nerone, vel matre Livia.

21 *Cornibus fractis.* Fractis viribus. Cornua autem ideo a poëtis fluminibus tribuuntur sive quod plerunque in cornuum similitudinem curvatas cernimus ripas. || *Male tectus.* Prae timore delitens sub ulva. Formidinem accolarum exprimit. || *Erit decolor.* Habebit colorem vitiatum.

22 *Crinibus passis.* Quod in dolore fieri solet.

23 *Colla animosa.* Sunt enim Germani animosi.

24 *Purpureus.* In veste purpurea, quam aureis intextam sideribus triumphantes gestabant.

25 *Manibus circumplaudere.* Plausus signum laetitiae, quo clari viri etiam in theatrum venientes excipiebantur. || *Vndique iactato flore.* Item populus Romanus floribus aspergere, coronas et lemniscos proiicere solebat in eos, quos cohonestare volebat.

26 *Tempora Phoebea lauro cingetur.* Lauro Apollini sacra triumphantes coronabantur. || *Io-*

27 Ipse sono plausuque simul fremituque canentum
Quadriiugos cernes saepe resistere equos.
28 Inde petes arcem, delubra faventia votis:
Et dabitur merito laurea vota Iovi.
29 Haec ego submotus, qua possum, mente videbo:
Erepti nobis ius habet illa loci.
30 Illa per immensas spatiatur libera terras;
In caelum celeri pervenit illa via.
31 Illa meos oculos mediam deducit in Vrbem;
Immunes tanti nec sinit esse boni.
32 Invenietque viam, qua currus spectet eburnos.
Sic certe in patria per breve tempus ero.
33 Vera tamen populus capiet spectacula felix:
Laetaque erit praesens cum Duce turba suo.
34 At mihi fingenti tantum, longeque remoto,
Auribus hic fructus percipiendus erit;

que Miles, Io. Io vox est clamantis, qua triumphantem imperatorem exercitus sequens utebatur.

27 *Ipse sono plausuque.* Nam citharoedorum, ac tibiarum turba ad Hetruscae similitudinem pompae imperatorem praecedebant. Hi succincti, coronisque aureis redimiti, suo quisque ordine psallentes canentesque prodibant. || *Saepe resistere.* Prae nimio strepitu, vel multitudini frequentiae obstanti.

28 *Arcem.* Capitolium. || *Et delubra faventia votis.* Templum Iovis Capitolini: qui favit votis Imperatoris ad bellum exeuntis et populi Romani.||*Laurea vota.* In Capitolium quum esset ventum imperator victor Diis gratias conceptis verbis agebat. Tum caerimonia victimae caedebantur, et corona aurea cum pretiosis manubiis et spoliis opimis Iovi dicabatur, et in gremio eius deponebatur, vel templis dicabatur.

29 *Illa habet ius.* Illa mens habet potestatem. Vel ubi corpore adesse non possum, ibi mente et cogitatione versari quis me prohibeat?

30 *Pervenit in caelum.* Caelum etiam ipsum mens ascendit cum volumus illud cogitatione complecti.

31 *Illa meos oculos.* Oculis meis omnia repraesentat, quasi essem in media urbe. || *Immunes.* Sine munere et officio.

32 *Sic.* Hoc pacto: ipsa scilicet mente, non corpore.

34 *Tantum fingenti* Tantummodo putanti ea videre. || *Hic fructus.* Haec utilitas tanti triumphi. || *Erit percipiendus auribus.* Erit audiendus, quandoquidem non licet interesse.

35 Atque procul Latio diversum missus in orbem
Qui narret cupido, vix erit, ista mihi. (phum.
36 Is quoque iam serum refert veteremque trium-
Quo tamen audiero tempore, laetus ero.
37 Illa dies veniet, mea qua lugubria ponam;
Caussaque privata publica maior erit.

ELEGIA III.

ARGVMENTVM. Vtramque Vrsam precatur Poëta, ut Romanam urbem ac uxorem aspiciant, sibique referant, sitne ea mariti memor, an non. Postmodum seipsum arguit, quod dubitet de uxoris fide, a qua se amari intelligat: tum eam laudat, doletque, quod sua caussa in assiduo luctu versetur: demum eam hortatur, ut in fide permaneat.

1 Magna minorque ferae, quarum regis altera
Altera Sidonias, utraque sicca, rates: (Graias,
2 Omnia cum summo positae videatis in axe,
Et maris occiduas non subeatis aquas;
3 Aetheriamque suis cingens amplexibus arcem
Vester ab intacta circulus exstet humo;

35 *In orbem diversum.* In Scythiam procul positam ab Italia, quasi ea sit alter orbis.

36 *Quo tempore.* Etsi sero, laetabor tamen.

37 *Illa dies.* Qua haec audiam. || *Mea lugubria.* Peculiarem tristitiam.|| *Ponam.* Deponam. || *Caussa publica.* || Publica laetitia huius triumphi. Vel plus valebit laetitia publica, quae me quoque exhilarabit, quam privatus maeror.

1 *Magna minorque.* Vrsa minor *Cynosure* dicitur; maior, *Helice.* A Phoenicibus potissimum Cynosuram inter navigandum observatur; Sidon quippe in Phoenicia: Maior autem a Graecis. || *Vtraque sicca.* Quia neutra unquam occidit, nec in Oceanum sub horizontem descendit. || *Rates.* Naves.

3 *Aetheriamque arcem.* Polum arcticum: qui circulus est brevissimus, ab Vrsis nominatus, quae sunt astra vicina polo septentrionali, atque ideo nequeunt occidendo terram contingere. || *Ab intacta humo.* A terra quam non ambit brevis circulus, ut reliqui. || *Exstet.* Emineat, appareat.

4 Adspicite illa, precor, quae non bene moenia quondam
Dicitur Iliades transiluisse Remus.
5 Inque meam nitidos dominam convertite vultus:
Sitque memor nostri necne, referte mihi.
6 Heu mihi! cur, nimium quae sunt manifesta, requiro?
Cur labat ambiguo spes mihi mista metu?
7 Crede quod est, quod vis; ac desine tuta vereri:
Deque fide certa sit tibi certa fides.
8 Quodque polo fixae nequeunt tibi dicere flammae,
Non mentitura tu tibi voce refer:
9 Esse tui memorem, de qua tibi maxima cura est;
Quodque potest, secum nomen habere tuum.
10 Vultibus illa tuis, tanquam praesentis, inhaeret,
Teque remota procul, si modo vivit, amat.
11 Ecquid, ut incubuit iusto mens aegra dolori,
Lenis ab admonito pectore somnus abit?
12 Tunc subeunt curae, dum te lectusque locusque
Tangit, et oblitam non sinit esse mei.
13 Et veniunt aestus, et nox immensa videtur;
Fessaque iactati corporis ossa dolent.

4 *Iliades*. Iliae filius.

5 *In meam dominam*. In meam uxorem. || *Nitidos vultus*. Propter stellarum nitorem, quo nihil nitidius.

6 *Labat*. Dubitat.

7 *Crede quod est, quod vis*. Id quod est, et tu quoque ita esse vis de uxore, credas esse, eam scilicet tui memorem.

8 *Flammae fixae polo*. Sidera in septentrione collocata. Intelligit autem utramque Vrsam. || *Non mentitura* Tu ipse responde tibi responsione verissima, quae sequitur.

9 *Esse tui*. Subaudi, uxorem.

11 *Ecquid*. Nunquid. || *Vt incubuit*. Postquam inhaesit et operam dedit: Vel, ubi se dedit dolori. || *Mens aegra*. Mens tua, o uxor, fatigata nimio mei dolore. || *Iusto dolori*. Quo iusta caussa afficeris. || *Lenis somnus*. Somnus non profundus, prae dolore. || *Ab admonito pectore*. A mente, qua admonetur quid mihi acciderit. Exprimit autem hic Ovidius eleganter quae his accidunt, qui gravi et insigni aliquo conficiuntur dolore.

12 *Lectusque*. Hypallage. Dum tu lectum et locum tangis, in quo scilicet quiescere mecum solebas. || *Curae*. Sollicitudines de me tuae. || *Locusque*. Et locus ubi cubabam.

13 *Aestus*. Sollicitudines. || *Fessa*. Lassa nimia volutatione.

14 Non equidem dubito, quin haec et cetera fiant;
Detque tuus casti signa doloris amor:
15 Nec cruciere minus, quam cum Thebana cruentum
Hectora Thessalico vidit ab axe rapi.
16 Quid tamen ipse precer, dubito: nec dicere possum,
Affectum quem te mentis habere velim.
17 Tristis es? indignor, quod sum tibi caussa doloris:
Non es? ut amisso coniuge digna fores.
18 Tu vero tua damna dole, mitissima coniux;
Tempus et a nostris exige triste malis:
19 Fleque meos casus. Est quaedam flere voluptas.
Expletur lacrimis egeriturque dolor.
20 Atque utinam lugenda tibi non vita, sed esset
Mors mea; morte fores sola relicta mea!
21 Spiritus hic per te patrias exisset in auras!
Sparsissent lacrimae pectora nostra piae!

15 *Thebana.* Andromache filia Eetionis Thebarum in Sicilia regis. || *Rapi.* Trahi circum muros Troianos.|| *Ab axe Thessalico.* A cursu Achillis Thessali.

17 *Vt amisso coniuge.* Oratio deficiens verbis: quasi dicat, velim te esse tristem, ut decet amisso marito.

18 *Tua damna.* Tua detrimenta, quae pateris mea caussa.|| *Tua damna dole.* Non solum vetat dolere, sed suadet etiam ut doleat ille damna, quae me pulso incurristi, cum dimidium tui perdidisti.|| *Tempus triste.* Tempus lugubre, id est, tristitiam tuam a me trahe. Aut certe dicit pro me etiam dole. || *Exige triste.* Ipsa tristis, quod reliquum est temporis, vive. || *A nostris malis.* Post exsilium meum.

19 *Egeriturque.* Et evacuatur.

20 *Atque utinam lugenda tibi.* Vtinam a te non lugenda esset haec vita mea infelix propter exsilium, sed mors. Quasi dicat: Mallem antea mortuus esse, quam vivere tam misere in hoc exsilio. || *Sed esset mors mea.* Subaudi, *lugenda.* || *Morte fores.* Ordo est: Fores relicta sola mea morte. Quasi dicat: Doleres tantum tua mala, non mea. Vel, certe (quod magis placet) subaudi: atque utinam fores relicta sola mea morte. Vt sit: Vtinam mortuus fuissem te superstite. || *Sola.* Sine me; cuius caussa assidue doles.

21 *Spiritus hic.* Haec mea vita. Incipit autem enumerare commoda, quae consecutus fuisset, si coniuge superstite extremum diem obiisset, antequam relegatus fuit. || *Per te.* Per tuas manus. || *Lacrimae pi*

22 Supremoque die notum spectantia caelum
Texissent digiti lumina nostra tui!
23 Et cinis in tumulo positus iacuisset avito!
Tactaque nascenti corpus haberet humus!
24 Denique et, ut vixi, sine crimine mortuus essem!
Nunc mea supplicio vita pudenda suo est.
25 Me miserum! si tu, cum diceris exsulis uxor,
Avertis vultus, et subit ora rubor!
26 Me miserum! si turpe putas mihi nupta videri!
Me miserum! si te iam pudet esse meam!
27 Tempus ubi est illud, quo me iactare solebas
Coniuge, nec nomen dissimulare viri?
28 Tempus ubi est, quo te, nisi si fugis illa referre,
Et dici memini, iuvit et esse meam?
29 Vtque probae dignum est, omni tibi dote placebam.
Addebat veris multa faventis amor.
30 Nec quem praeferres, ita res tibi magna videbar,
Quemve tuum malles esse, vir alter erat.

Lacrimae de me tuae, pietatem prae se ferentes.

22 *Texissent digiti.* Solebant propinquiores mortuorum oculos claudere.

23 *Et cinis.* Et busta mea. || *In tumulo avito.* In sepulcro maiorum. || *Haberet corpus.* Haberet meum cadaver. || *Tacta nascenti.* Tacta a me primum nato. Tempus pro tempore. Solebant enim infantes, simul ac editi essent, humi deponere, et Opem Deam invocare, quae nascentibus opem ferret. Quos autem alere decreverant, eos humo tollebant, cui rei Deam Levanam praeficiebant, quae scilicet pueris de terra levandis praeesset.

24 *Vt vixi sine.* Dum nulla labe notari vita mea potuit ab Augusto. || *Supplicio.* Relegatione.

25 *Me miserum.* Se infelicem appellat Poëta, si uxor erubescit habere maritum exsulem; id autem facit, ut prioris fortunae commemoratione eam consoletur.

27 *Coniuge.* Me marito.

28 *Nisi si fugis illa referri.* Nisi commemoratio ista tibi fastidio est ac nauseae.

29 *Addebat veris.* Et vera de me praedicabas; et falsa etiam non pauca veris adiungebas, quo te beatiorem faceres. || *Faventis amor.* Amor plenus favoris in me tui. || *Addebat multa veris.* Multa in me bona alia esse dicebat, praeter ea quae vera erant.

30 *Quemve tuum malles.* Omnibus me anteponebas.

31 Nunc quoque ne pudeat, quod sis mihi nupta: tuusque
Non dolor hinc debet, debet abesse pudor.
32 Cum cecidit Capaneus subito temerarius ictu;
Num legis Evadnen erubuisse viro?
33 Nec, quia rex mundi compescuit ignibus ignes,
Ipse tuis, Phaëthon, inficiandus eras.
34 Nec Semele Cadmo facta est aliena parenti,
Quod precibus periit ambitiosa suis.
35 Nec tibi, quod saevis ego sum Iovis ignibus ictus,
Purpureus molli fiat in ore rubor:
36 Sed magis in nostri curam consurge tuendi,
Exemplumque mihi coniugis esto bonae:
37 Materiamque tuis tristem virtutibus imple.
Ardua per praeceps gloria vadat iter.

31 *Non debet dolor.* Debes dolere, non erubescere. || *Hinc.* Quod sis mihi nupta.

32 *Cum cecidit Capaneus.* Capaneus fuit unus ex septem regibus qui Thebas obsederunt, superbus et Deorum contemptor; qui provocans scilicet Iovem ipsum, eoque invito capturum Thebas se minitans, in oppugnatione Thebani muri a Iove ictus cecidit. || *Evadnen.* Capanei uxorem.|| *Erubuisse viro.* Pro, propter virum, aut viri casum; quasi dicat, maritum etiam in adversis amavit Evadne, quod in eius rogum ardentem se nimio amore praecipitavit.

33 *Quia rex mundi.* Quia Iupiter. || *Compescuit ignes.* Sedavit Phaetontis incendium.|| *Ignibus.* Fulmine. Fabulam Ovidius in II. *Metamorph.* elegantissime scripsit. || *Tuis.* A Sole, Clymene matre, et Heliadibus sororibus. || *Nec eras inficiandus.* Nec erat negandus, esse ab illis ortus, quod a Iove ictus est fulmine: imo etiam amplectendus in ruina. Amore enim vel in infortunio semper prosequimur quos amamus.

34 *Nec Semele Cadmo.* Nec Semelem Cadmus pater odio prosecutus est. || *Suis precibus.* Iovem enim quo cum rem habebat, precata est Semele, ut ad se veniret eo modo, quo se Iunoni videndum praebebat; quod quum obtinuisset, illico cum eius domo conflagravit. Colligit ergo exemplis Poëta, se quoque non esse ab uxore deserendum in calamitate.

35 *Saevis ignibus.* Saevo fulmine, hoc est, ira. || *Iovis.* Augusti. || *Purpureus rubor.* Verecundia, quae reddit hominem purpureum.

37 *Tristem materiam.* Materiam et casum meum tristitiae plenum. In tristi namque materia magis poterit virtus elucescere. || *Tuis virtutibus.* Tua in maritum fide et pie-

38 Hectora quis nosset, si felix Troia fuisset?
Publica virtuti per mala facta via est.
39 Ars tua, Tiphy, iacet, si non sit in aequore fluctus:
Si valeant homines, ars tua, Phoebe, iacet.
40 Quae latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus arguiturque malis.
41 Dat tibi nostra locum tituli fortuna; caputque,
Conspicuum pietas qua tua tollat, habet.
42 Vtere temporibus, quorum nunc munere freta es!
En patet in laudes area lata tuas!

tate. || *Per praeceps iter.* Per iter arduum, et e quo facile praecipitantur.

38 *Hectora quis nosset.* Exemplis probat virtutem in duris magis quam in laetis rebus perspici posse. || *Via virtuti.* Via qua gradimur ad virtutem. || *Per mala.* Per malorum seriem, et numerum.

39 *Ars tua.* Tua gubernandi ars. || *Iacet.* Nulla est, non cognoscitur. || *Si non sit in aequore fluctus.* Si in mari non sit tempestas: cuius ars in ea navigatione inter fluctus et procellas eluxit. || *Si valeant homines.* Si homines nullo morbo laborent. || *Tua ars.* Tua medendi scientia.

40 *Arguiturque.* Et comprobatur. || *Malis.* In rebus adversis.

41 *Nostra fortuna.* Mea calamitas. || *Tituli.* Laudis. || *Caputque conspicuum.* Ordo est: Et tua pietas habet quo tollat caput conspicuum.

42 *Vtere temporibus.* Vtere temporum occasione. || *Freta es.* Es adiuta, es sustentata. || *Area lata.* Magna materia, et campus. || *Patet in tuas laudes.* Patet in tuam gloriam: hoc est, magna datur occasio adipiscendae famae.

ELEGIA IV.

ARGVMENTVM. Poëta laudat amicum, et exponit Tomitani exsilii incommoda; precaturque eum latenter, ut ab Augusto mitius, et paulo propinquius exsilium petat; quod facile impetrari posse docet, cum magna sit ipsius clementia. Postremo narrat quemadmodum e locis non nimium longinquis fugerit Orestes cum Iphigenia sorore, ablata etiam inde Diana ad meliora loca.

1 O qui, nominibus cum sis generosus avitis,
Exsuperas morum nobilitate genus:
2 Cuius inest animo patrii candoris imago,
Non careat nervis candor ut iste suis:
3 Cuius in ingenio patriae facundia linguae est,
Qua prior in Latio non fuit ulla Foro:
4 Quod minime volui, positis pro nomine signis
Dictus es: ignoscas laudibus ista tuis.
5 Nil ego peccavi: tua te bona cognita produnt.
Si, quod es, appares; culpa soluta mea est.
6 Nec tamen officium nostro tibi carmine factum,
Principe tam iusto, posse nocere puta.

1 *Cum sis generosus.* Qui maioribus inclytis es oriundus: atavis editus nobilissimis. || *Exsuperas genus.* Vincis maiores.

2 *Patrii candoris.* Qui candore imitaris patrem tuum. || *Nervis.* Viribus, vel corpore. Vt sit sensus: Non cares proprio candore animi, nec patris splendore.

3 *In Latio foro.* In Romano foro. Messalinum autem hic Poëtam arbitror designari.

4 *Positis signis.* Positis antea coniecturis, quibus cognosci poteris. || *Pro nomine.* Nominis loco. || *Quod minime volui.* Maluissem te vero nomine appellare: nunc ab adiunctis et signis te significare cogor. || *Ignoscas tuis laudibus.* Des veniam tuis laudibus, quae vulgo notae sunt. Quasi dicat, laudibus tuis adscribas, si cognosceris signis supradictis.

5 *Tua bona.* Tuae animi et fortunae dotes. || *Culpa soluta mea est.* Liberat me a culpa, quod appares quod es.

6 *Officium.* Laus qua te affeci: officii enim mei est, laudare bene meritos.

7 Ipse Pater Patriae, quid enim civilius illo?
Sustinet in nostro carmine saepe legi.
8 Nec prohibere potest, quia res est publica Caesar;
Et de communi pars quoque nostra bono est.
9 Iupiter ingeniis praebet sua numina vatum;
Seque celebrari quolibet ore sinit.
10 Caussa tua exemplo Superorum tuta duorum est:
Quorum hic conspicitur, creditur ille Deus.
11 Vt non debuerim, tamen hoc ego crimen amabo:
Non fuit arbitrii litera nostra tui.
12 Nec nova, quod tecum loquor, est iniuria nostra;
Incolumis cum quo saepe locutus eram.

7 *Ipse Pater Patriae*. Scribit L. Florus, Augustum ob ingentia facta *Dictatorem Perpetuum* appellatum fuisse, et *Patrem Patriae*: tractatumque etiam in senatu, an quia condidisset imperium, Romulus vocaretur: sed sanctius et reverentius visum fuisse nomen Augusti, ut scilicet iam tum, dum terras coleret, ipso nomine et titulo consecraretur. || *Quid enim civilius*. Quid est enim magis civi accomodatum ipso Augusto? *Civilitas* enim hic ponitur pro moderatione quadam civi magis quam imperatori conveniente. Vel *Civilius* simpliciter accipe pro humanius, aut clementius. || *Sustinet legi*. Patitur de se scribi et ea legi.

8 *Nec prohibere potest*. Nec potest vetare quin a me et ceteris de eo scribatur. || *Quia res est publica*. Quia est communis omnium imperator, et publica persona.

Iupiter ingeniis. A maiore ad minus. Si Iupiter de se multa scribi a poëtis non recusat; eorumque carmina tantus Deus non dedignatur; cur recusaret Caesar? || *Quelibet ore*. Nullius laudationem contemnit.

10 *Duorum*. Iovis et Augusti.

11 *Vt non debuerim*. Quamvis non debuerim te prodere meo carmine. || *Tamen hoc ego crimen amabo*. Tamen hoc crimen celebrandi et prodendi te meo carmine, mihi adscribetur, non tibi. Quasi dicat: Augustus hoc crimen meum esse dicet, non tuum: ideo non est verendum, ut hanc ob caussam ille prosequatur te odio. || *Non fuit arbitrii*. Non fuit in manu tua, quid ego, aut cui scriberem.

12 *Nec est nova*. Nec nuper accidit. || *Iniuria nostra*. Iniuria qua ego te afficio scribendo, quum id fieri nolles propter Augustum. || *Incolumis*. Quum nondum essem relegatus.

13 Quo vereare minus, ne sim tibi crimen amicus;
Invidiam, si qua est, auctor habere potest.
14 Nam tuus est primis cultus mihi semper ab annis,
Hoc noli certe dissimulare, pater: (bat:
15 Ingeniumque meum, potes hoc meminisse, proba-
Plus etiam, quam me iudice dignus eram.
16 Deque meis illo referebat versibus ore,
In quo pars altae nobilitatis erat.
17 Non igitur tibi nunc, quod me domus ista recepit,
Sed prius auctori sunt data verba tuo. (actis,
18 Nec data sunt, mihi crede, tamen: sed in omnibus
Vltima si demas, vita tuenda mea est.

13 *Vereare minus.* Minus timeas, ne amicitia mea tibi detur vitio.|| *Crimen.* Criminatio.|| *Auctor potest habere invidiam.* Ego Ovidius possum dici fuisse tibi detractionis criminis caussa. || *Si qua est.* Si aliqua tibi contrahitur invidia.

14 *Ab annis.* Ab ipsa pueritia.

15 *Probabat.* Laudabat pater tuus. || *Plus etiam.* Subaudi, probabat ingenium meum. || *Quam eram dignus.* Quam merebar. || *Me iudice.* Me etiam iudicante ingenium meum non esse tantum, quantum illi apparebat.

16 *Illo ore.* Illa gravitate orationis suae, qua nobilitabatur, de versibus meis pronuntiabat iudicium suum. || *Pars altae nobilitatis.* Partem altae nobilitatis intelligit eloquentiam, quae inter ceteras Messalini nobilitates erat magna pars.

17 *Non igitur tibi nunc.* Subaudi, data sunt verba. Quasi dicat: non tibi in praesentia notus sum, sed multo ante patri tuo. || *Quod me domus.* Quod familia vestra me fovit et amplexata est. || *Sunt data verba.* Dedit verba, non rem, quemadmodum pater tuus existimabat. Credebat enim me ingenio ad summum dignitatis gradum perventurum, quum in praesentia eiectus sum in exsilium praeter eius opinionem. Est autem *dare verba*, ut Donatus scribit, decipere eum, qui quum rem expectet, nihil invenit praeter verba. || *Non igitur dedi tibi nunc verba.* Hoc est, non nunc scripsi, et allocutus sum te, quod me primum norit familia tua || *Auctori tuo.* Patri tuo, qui tibi auctor fuit huius amicitiae, probando ingenium meum, et loquendo honorifice de meis studiis.

18 *Nec tamen sunt data* Quamvis dixerim me patri tuo verba dedisse, ne credas tamen me dixisse quod eum deceperim, quod exsilii nota affectus fui: quod videtur esse alienum ab eo quod ille de me senserat. || *Sed in omnibus.* Sed vitam meam probabis, et intelliges me non dedisse verba, si totius vitae meae cursum potius quam finem inspexe-

19 Hancquoque, qua perii, culpam scelus esse negabis,
Si tanti series sit tibi nota mali.
20 Aut timor, aut error nobis, prius obfuit error.
Ah sine me fati non meminisse mei!
21 Neve retractando nondum coëuntia rumpam
Vulnera; vix illis proderit ipsa quies.
22 Ergo ut iure damus poenas; sic abfuit omne
Peccato facinus consiliumque meo.
23 IdqueDeus sentit: pro quo nec lumen ademtum est,
Nec mihi detractas possidet alter opes.
24 Forsitan hanc ipsam, vivat modo, finiet olim,
Tempore cum fuerit lenior ira, fugam.
25 Nunc precor hinc alio iubeat discedere; si non
Nostra verecundo vota pudore carent.
26 Mitius exsilium, paulloque propinquius, opto;
Quique sit a saevo longius hoste, locum.
27 Quantaque in Augusto clementia, si quis ab illo
Hoc peteret pro me, forsitan ille daret.
28 Frigida me cohibent Euxini litora Ponti:
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.
29 Nam neque iactantur moderatis aequora ventis:
Nec placidos portus hospita navis adit.

ris. || *Vltima si demas.* Si excipias caussam exsilii mei. || *Est tuenda.* Defendi potest: nihil enim criminis mihi obiici potest.

19 *Tanti mali.* Tanti erroris.

20 *Aut timor.* Quia non ausus fui defendere me contra Augustum. || *Sine.* Permitte, concede. || *Me meminisse.* Etiam ipsa memoria culpae suae torqueri se iudicat.

23 *Idque Deus sentit.* Me scilicet culpa carere. Deum autem, Augustum intelligit. || *Pro quo.* Pro qua re, quod culpa careo || *Lumen.* Vita. || *Opes detractus mihi.* Opes mihi ademtas: ut exsulibus fieri solet.

24 *Vivat modo.* Modo non moriatur. || *Hanc ipsam fugam.* Hanc meam relegationem.

25 *Hinc alio.* Mitiorem exsilii locum precatur. || *Nostra verecundo.* Si non impudenter peto.

26 *Paullo propinquius.* Paulo propinquius Romanae urbi.

27 *Quantaque in Augusto clementia.* Sunt qui clementiam dicant esse inclinationem animi ad lenitatem in poena exigenda. Clementiae autem crudelitas opponitur.

30 Sunt circa gentes, quae praedam sanguine quaerant:
Nec minus infida terra timetur aqua.
31 Illi, quos audis hominum gaudere cruore,
Paene sub eiusdem sideris axe iacent.
32 Nec procul a nobis locus est, ubi Taurica dira
Caede pharetratae pascitur ara Deae.
33 Haec prius, ut memorant, non invidiosa nefandis,
Nec cupienda bonis, regna Thoantis erant.
34 Hic pro supposita virgo Pelopeïa cerva
Sacra Deae coluit qualiacunque suae.
35 Quo postquam, dubium pius an sceleratus, Orestes
Exactus Furiis venerat ipse suis;
36 Et comes exemplum veri Phoceus amoris;
Qui duo corporibus, mentibus unus erant;

30 *Infida aqua.* Aut hoc dicit propter maris illius procellas, aut quia a Scythis navibus infestabatur.

31 *Paene sub eiusdem sideris.* Paene sub eodem climate, et tractu, seu plaga caeli, qua ego sum.

32 *Vbi Taurica.* Vbi regio illa crudelis, de qua Herodotus IV., et lib. III. de *Ponto* Eleg. 2. || *Nec procul a nobis.* Nec longe a Tomitana urbe. || *Caede.* Morte hospitum. || *Deae pharetratae pascitur.* Deae Dianae, quae tanquam venationis Dea sagittis utitur. Haec retia ad venandum invenit, ex quo et Dictynna est cognominata. Colebatur autem circa Ephesum, Pontum, Persidem, et Cretam: unde Ephesia, Ctesia, Tauropolia, ac Persea.

33 *Non invidiosa nefandis.* Non odiosa scelestis hominibus. || *Nec cupienda bonis.* Nec etiam optanda ab hominibus bene institutis.

34 *Hic.* In Taurica regione. || *Virgo Pelopeïa.* Iphigenia, filia Agamemnonis, ex Pelopis genere. || *Pro supposita cerva.* Pro cerva, quam loco Iphigeniae subiecit Diana, ut docet Servius in enarratione eius versus, *Sanguine placastis ventos, et virgine caesa.* || *Qualiacunque.* Quae crudelia et indigna sacrorum vocabulo.

35 *Pius an sceleratus.* Quia et patrem ultus fuit, et matrem caedis autorem interfecit. Vnde quum Areopagitarum iudicium subiisset, variatis hominum sententiis, non solum divina, sed etiam Deae sapientissimae sententia absolutus fuit, ut docet Cicero in oratione pro Milone. || *Exactus.* Eiectus: vexatus post matris caedem.

36 *Phoceus.* Pylades, ex Phocide regione, filius Strophii; fidissimus eius et individuus comes. || *Qui.* Pylades et Orestes.

37 Protinus evincti Triviae ducuntur ad aram,
Quae stabat geminas ante cruenta fores. (lum:
38 Nec tamen hunc sua mors, nec mors sua terruit il-
Alter ob alterius funera moestus erat.
39 Et iam constiterat stricto mucrone sacerdos;
Cinxerat et Graias barbara vitta comas:
40 Cum vice sermonis fratrem cognovit, et illi
Pro nece complexus Iphigenia dedit.
41 Laeta Deae signum, crudelia sacra perosae,
Transtulit ex illis, in meliora, locis.
42 Haec igitur regio, magni pars ultima mundi,
Quam fugere homines, Dîque, propinqua mihi est.
43 (Atque meam terram prope sunt funebria sacra,
Si modo Nasoni barbara terra sua est).
44 O utinam venti, quibus est ablatus Orestes,
Placato referant et mea vela Deo!

37 *Ad arām.* Ad Dianae Tauricae altare, ut de more Deae sacrificarentur.|| *Triviae.* Dianae. || *Ante fores.* Delubri.

38 *Alter ob alterius.* Vterque mortem alterius dolebat, neuter suam.

39 *Barbara vitta.* Vitta qua vinciebantur eorum capita, qui Deo alicui immolabantur. || *Graias comas.* Crines Pyladis, et Orestis, qui Graeci erant.

40 *Vice sermonis.* Vicissitudine loquendi. || *Fratrem.* Orestem. || *Cognovit.* Ipsa Iphigenia.

41 *Signum Deae.* Dianae simulacrum. || *Crudelia sacra perosae.* Non postulabat Diana sibi huiuscemodi hostiis sacrificari; sed erat Thoantis immanitas, ut ei hospites mactandos censeret. || *In meliora.* Aufugiens cum fratre Iphigenia, transtulit Deae signum in loca meliora, qua moribus, qua humanitate.

42 *Homines.* Pylades, Orestes, et Iphigenia. || *Diique.* Ipsa Diana

43 *Prope meam terram.* Prope Tomitanam urbem.

44 *Quibus est ablatus.* Quibus ex illis locis navigavit. || *Placato Deo.* Placato Augusto, et mihi infelici reconciliato.

ELEGIA V.

Argumentum. Amicum laudat Poëta, eumque monet, ut constanter amicitiae munus exequatur, eique apud Augustum opem ferat. Ostendit deinde multis exemplis, tempora omnia molliri praeter suas curas, et ostendit se ita deficere, ut non credat se diu supervicturum tantis malis; quam rem dicit sibi solatio relictam esse.

1 O mihi dilectos inter sors prima sodales,
Vnica fortunis ara reperta meis;
2 Cuius ab alloquiis anima haec moribunda revixit,
Vt vigil infusa Pallade flamma solet:
3 Qui veritus non es portus aperire fideles
Fulmine percussae confugiumque rati:
4 Cuius eram censu non me sensurus egentem,
Si Caesar patrias eripuisset opes:
5 Temporis oblitum dum me rapit impetus huius,
Excidit heu nomen quam mihi paene tuum!
6 Te tamen agnoscis: tactusque cupidine laudis,
Ille ego sum, cuperes dicere posse palam.
7 Certe ego, si sineres, titulum tibi reddere vellem,
Et raram Famae conciliare fidem.

1 *Dilectos mihi*. A me amatos. || *Sors prima*. Princeps inter amicos meos. || *Vnica ara*. Solum refugium. Vsitatum quoque quorum ope et auxilio in calamitate nitimur, eos vocare, *praesidia*, *portus*, *columina*, *spes nostras*.

2 *Cuius ab alloquiis*. Pro consolatione. || *Infusa Pallade*. Oleo infuso. Posuit autem Deam olei inventricem, pro ipso oleo, more poëtarum.

3 *Portus fideles*. Amicitiae munera et confugium. Vel, non dubitasti me tueri tuo patrocinio. Allegoria. || *Rati percussae fulmine*. Mihi telis et ira Caesaris prostrato.

4 *Cuius censu*. Cuius opibus. || *Patrias opes*. Patrimonium meum.

5 *Huius temporis*. Huius mei infortunii; vel, vis adversae fortunae. ||*Impetus*. Ardor quidam scribendi.

6 *Te tamen agnoscis*. Tu scis quem significem, licet non proferam nomen tuum.

7 *Raram fidem*. Fidem erga me, tuam, quae raro in aliis reperitur

8 Ne noceam grato, vereor, tibi carmine; neve
Intempestivus nominis obstet honos.
9 Quod licet et tutum est, intra tua pectora gaude,
Meque tui memorem, teque fuisse mei.
10 Vtque facis, remis ad opem luctare ferendam,
Dum veniat placido mollior aura Deo:
11 Et tutare caput nulli servabile; si non,
Qui mersit Stygia, sublevet illud, aqua.
12 Teque, quod est rarum, praesta constanter ad omne
Indeclinatae munus amicitiae.
13 Sic tua processus habeat Fortuna perennes:
Sic ope non egeas ipse, iuvesque tuos.
14 Sic aequet tua nupta virum bonitate perenni;
Incidat et vestro rara querela toro.
15 Diligat et semper socius te sanguinis illo,
Quo pius affectu Castora frater amat.
16 Sic iuvenis, similisque tibi sit natus, et illum
Moribus agnoscat quilibet esse tuum.

|| *Conciliare Famae.* Immortalitati consecrare.

8 *Nominis.* Vt nomen tuum edam. || *Intempestivus honos.* Hoc tempore exsilii mei non convenit te aperte et nomine posito honorari a me.

10 *Remis luctare.* Omnem adhibe conatum. || *Dum.* Donec. || *Aura.* Favor. || *Deo.* Augusto.

11 *Nulli servabile.* Sensus est: Solus ille qui me occidit ac perdidit, revocare ad salutem, reditum puta donando, potest.

12 *Praesta constanter.* Constantem te praebe. || *Amicitiae indeclinatae.* Amicitiae non imminutae, sed firmae.

13 *Processus perennes.* Continuos progressus. Multa et varia bona illi precatur. || *Ope.* Cuiusquam auxilio.

14 *Virum.* Te maritum. || *Sic aequet tua nupta.* Sic uxor tua moribus tuis respondeat: te probitate et religione aequet.

15 *Socius sanguinis.* Frater tuus. || *Frater.* Pollux. Et quum Iupiter caelum Polluci daturus esset, eius precibus factum est, ut sex mensibus Castor in caelo esset, totidem Pollux. Quod ideo fingitur, quia eorum stellae ita se habent, ut occidente una, oriatur altera: vel quia alternis diebus lucent. Hyginus scribit Castorem et Pollucem omnium fratrum inter se amantissimos fuisse, quod neque de principatu contenderunt, neque ullam rem sine communi consilio gesserunt: pro quibus offi-

17 Sic socerum faciat taeda te nata iugali;
Nec tardum iuveni det tibi nomen avi.

ELEGIA VI.

ARGVMENTVM. Tractatur hic locus communis de vi temporis, seu consuetudinis; qua cum mitigentur, et tolerabilia evadant omnia, non tamen mitigari curas, et angores suos: mala sua ipsa mora ingravescere, et exasperari.

1 Tempore ruricolae patiens fit taurus aratri,
Praebet et incurvo colla premenda iugo.
2 Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
3 Tempore Poenorum compescitur ira leonum;
Nec feritas animo, quae fuit ante, manet.
4 Quaeque sui monitis obtemperat Inda magistri
Bellua, servitium tempore victa subit.
5 Tempus, ut extentis tumeat, facit, uva racemis,
Vixque merum capiant grana, quod intus habent.

ciis eos Iuppiter inter notissima sidera constituisse existimatur.

17 *Nomen avi.* Optat etiam ut filia pariat sibi nepotem eo adhuc iuvene.

1 *Aratri ruricolae.* Aratri colentis rus. Quod autem tauri et equi tempore domentur, notum est.

2 *Lentis.* Flexibilibus. || *Duros lupos.* Dura frena. *Lupata* autem intelligit. Est enim *lupatum*, frenum asperum, quo equi ferociores coërcentur: sic dictum (autore Servio) a lupinis dentibus, qui inaequales sunt.

3 *Leonum Poenorum.* Inter leones, Africani sunt ferociores.

4 *Inda bellua.* Elephantes dicit, qui paulatim magistris parere consueverunt: nam regem adorabant, genua submittebant, coronas porrigebant, funibus subibant.

5 *Racemis.* Racemi proprie sunt uvae minores, granis exilioribus; qui plerumque a vindemiatoribus sub pampino latentes fallentesque relicti, post colliguntur. Vvae maiores, crassioribus acinis. || *Extentis.* Racemis longis et exporrectis, et de vite pendentibus. || *Grana vix capiant merum.* Vix teneant vinum quod est in ipsis granis.

6 Tempus et in canas semen producit aristas;
Et, ne sint tristi poma sapore, facit.
7 Hoc tenuat dentem terram findentis aratri,
Hoc rigidas silices, hoc adamanta terit.
8 Hoc etiam saevas paulatim mitigat iras:
Hoc minuit luctus, moestaque corda levat.
9 Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas
Praeterquam curas attenuare meas.
10 Vt patria careo, bis frugibus area trita est:
Dissiluit nudo pressa bis uva pede.
11 Nec quaesita tamen spatio patientia longo est;
Mensque mali sensum nostra recentis habet.
12 Scilicet et veteres fugiunt iuga curva iuvenci:
Et domitus freno saepe repugnat equus.
13 Tristior est etiam praesens aerumna priore:
Vt sit enim sibi par, crevit, et aucta mora est.

6 *Tempus et in canas.* Tempore etiam frumenta nascuntur, et ad maturitatem perveniunt. || *Tristi sapore.* Sapore amaro: quia maturescunt, et fiunt dulcia.

7 *Hoc.* Tempus. || *Tenuat dentem aratri.* Attenuat vomer. || *Findentis terram.* Terram iterum proscindentis.

8 *Saevas iras.* Tempore etiam ira mitigatur.

9 *Igitur.* Quando ita est, quod tempore omnia fiant. || *Tacito pede.* Sensim. *Praeterquam* In rebus omnibus maximam esse vim temporis dicit, curis tantum suis exceptis, quas attenuare et imminuere nequeat.

10 *Vt patria careo.* Posteaquam relegatus sum ab Augusto. || *Bis frugibus.* Per duas messes, totidemque vindemias Poëta duos annos elegantissime designat. || *Dissiluit.* Saliendo egressus est humor seu vinum ex acinis tumentibus.

11 *Longo spatio.* Longo tempore. || *Patientia.* Vt aequo animo ferrem relegationem meam. || *Habet sensum.* Sentit mala perinde ac recentia, et non duorum annorum.

12 *Scilicet et veteres.* Dicit malum vetus sibi ira recens videri, quemadmodum iugum plerumque et frenum iuvencis et equis, qui quamvis diu illis assueti fuerint, tamen tanquam nôvam molestiam plerumque reiiciunt.

13 *Praesens aerumna.* Praesens malum et infortunium. || *Priore.* Priorem aerumnam eam intelligit, qua primo relegatus fuit. || *Vt sit enim sibi par.* Quamvis et praesens et prior aerumna idem malum attulerint, in hoc tamen differunt, quod praesens tempus diuturnitate magis

14 Nec tam nota mihi, quam sunt, mala nostra fuerunt:
Sed magis hoc, quo sunt cognitiora, gravant.
15 Est quoque non minimum, vires afferre recentes;
Nec praeconsumtum temporis esse malis.
16 Fortior in fulva novus est luctator arena,
Quam cui sunt tarda brachia fessa mora.
17 Integer est melior nitidis gladiator in armis,
Quam cui tela suo sanguine tincta rubent.
18 Fert bene praecipites navis modo facta procellas;
Quamlibet exiguo solvitur imbre vetus. (te;
19 Nos quoque, quae ferimus, tulimus patientius an-
Et mala sunt longo multiplicata die.
20 Credite, deficio, nostroque a corpore quantum
Auguror, accedent tempora parva malis.
21 Nam neque sunt vires, neque qui color ante solebat;
Vixque habeo tenuem, quae tegat ossa, cutem.

aucta, maiorem etiam attulit dolorem.

14 *Magis gravant.* Maiori me afficiunt molestia || *Quo sunt cognitiora.* Quo sunt magis probata.

15 *Est quoque non minimum.* Imminutae vires corporis, quas tempus elapsum consumpsit. Accommodantur similitudines rei illustrandae. || *Vires afferre recentes.* Ille dicitur afferre vires recentes alicui malo, cum is primum et nunquam antea laesus, afficitur aliqua insigni clade. || *Praeconsumtum.* Aliquem ante consumptum et affectum. || *Malis temporis.* Malis vetustatis.

16 *Fortior in fulva.* Exemplis arguit, multo magis gravare mala vetera, quam recentia. || *Luctator.* Qui lucta ludit, et palaestra. Fuere autem tria athletica certamina, in quibus certabant corporibus suis cursores, pugiles, et luctatores. Alii quinque statuunt: saltus, cursus, discus, iaculum, lucta. || *Novus.* Non antea fatigatus || *Tarda mora.* Diu enim in pugna morantes athletae, pigriores redduntur, et senio etiam marcent.

17 *Gladiator integer.* Qui nondum vulneratus est.

18 *Praecipites.* Celeres, aut naves praecipitantes. || *Vetus.* Cariosa.

20 *Nostroque a corpore.* Ordo est: Et a nostro corpore parva tempora accedunt, id est, adduntur malis. || *Quantum auguror.* Hoc est, corpus meum (quantum augurari et praesentire possum) non longo tempore malis cruciabitur, quia cito moriar.

22 Corpore sed mens est aegro magis aegra, malique
In circumspectu stat sine fine sui.
23 Vrbis abest facies; absunt, mea cura, sodales:
Et, qua nulla mihi carior, uxor abest. (rum.
24 Vulgus adest Scythicum, braccataque turba Geta-
Sic male, quae video, non videoque, nocent.
25 Vna tamen spes est, quae me soletur in istis,
Haec fore morte mea non diuturna mala.

ELEGIA VII.

ARGVMENTVM. Miratur Poëta, quod biennio iam exacto nullas ab amico acceperit literas, cum hi praesertim ad eum scripserint, quibuscum amicitiae usus non fuerat tam probatus. Subiungit tamen, malle se omnia credere, quam illum nullas ad se dedisse literas, quas interceptas fuisse existimat. Postremo admonet, ut ad se scribat, ne semper excusandus sit.

1 Bis me sol adiit gelidae post frigora brumae,
Bisque suum tacto Pisce peregit iter.
2 Tempore tam longo cur non tua dextera versus
Quamlibet in paucos officiosa fuit?
3 Cur tua cessavit pietas, scribentibus illis,
Exiguus nobis cum quibus usus erat?

22 *In circumspectu.* In consideratione.

23 *Vrbis abest facies.* Incommoda enumerat, quibus se tristari ostendit.

24 *Quae video.* Barbaros et Scythas intelligit. || *Non videoque.* Vrbem, sodales, et uxorem accipe. || *Nocent.* Sollicitant.

1 *Bis me sol adiit.* Tempus (ut antea etiam diximus) a bruma ad brumam, dum sol redit, vocatur annus. *Bruma* autem a brevitate dierum nomen accepit. || *Bisque suum tacto Pisce.* Hoc dicit, quia sol a Capricorno, Aquario, et Piscibus hyemem transigit.

2 *Cur non tua dextera versus.* Cur tanto spatio non exarasti versus saltem paucos ad me, ut officio satisfaceres?

3 *Exiguus usus.* Parva consuetudo.

4 Cur, quoties alicui chartae sua vincula demsi,
Illam speravi nomen habere tuum?
5 Dî faciant, ut saepe tua sit epistola dextra
Scripta, sed e multis reddita nulla mihi!
6 Quod precor, esse liquet. Credam prius ora Medusae
Gorgonis anguineis cincta fuisse comis:
7 Esse canes utero sub virginis: esse Chimaeram,
A truce quae flammis separet angue leam; (ctos:
8 Quadrupedesque hominum cum pectore pectora iun-
Tergeminumque virum, tergeminumque canem:

4 *Cur quoties alicui.* Ex his duobus versibus facile refelli potest eorum opinio, qui volebant nomen scribentis, et eius ad quem scribimus, literis iam signatis inscribi: quum aperte hic possimus intueri, intus tantum appositum fuisse nomen scribentis.

6 *Quod precor.* Quod oro, ut Dii faciant te saepe ad me scripsisse. || *Esse liquet.* Manifestum est te ad me scripsisse.|| *Credam prius.* Credam potius quae poëtae fabulantur, quam te non scripsisse. || *Ora Medusae Gorgonis.* Medusae crines in serpentes mutavit Minerva, eiusque caput ad terrendos hostes aegidi imposuit.

7 *Esse canes utero sub virginis.* Scyllae, Phorei filiae, quam cum Glaucus amaret, Circe eumdem Glaucum amans, indignata, Scyllam sibi ab illo praeferri, fontem, in quo illa lavari solebat, veneficis herbis infecit. Scylla huius rei ignara, fontemque lavandi ergo ingressa, vidit inferiorem corporis partem in canes esse mutatam; quam deformitatem ita exhorruit, ut sese statim in Siculum fretum praecipitarit, ubi et in saxum versa narratur, Charybdi ex adverso obiectum, et praeternavigantibus valde periculosum. || *Esse Chimaeram.* De Chimaerae forma Homerus lib. VI. *Iliados* ita scribit: Anterius leonem, posterius vero draconem, medio autem capram, atque terribiles ex ore flammarum globos cum spiritu effundentem.

8 *Quadrupedesque hominum.* Centauros intelligit. || *Cum pectore pectora iunctos.* Centaurorum enim pectora humanis pectoribus iuncta fuere: habuere enim partem pectoris humanam, partem equinam. || *Tergeminumque virum.* Herylum aut Geryonem intelligit, quos tergeminos fuisse docet Virgilius. Iustinus scribit, Geryonem non triplicis naturae fuisse, sed tres fratres tantae concordiae extitisse, ut uno animo omnes regi viderentur. || *Tergeminumque canem.* Cerberum tricipitem, ita appellatum, quod carnem voret: corpora enim humana fingitur a poëtis consumere.

9 Sphingaque, et Harpyas, serpentipedesque Gigantas:
Centimanumque Gygen, semibovemque virum.
10 Haec ego cuncta prius, quam te, carissime, credam
Mutatum curam deposuisse mei.
11 Innumeri montes inter me teque, viaeque,
Fluminaque, et campi, nec freta pauca, iacent.
12 Mille potest caussis, a te quae litera saepe
Missa sit, in nostras nulla venire manus.
13 Mille tamen caussas scribendo vince frequenter:
Excusem ne te semper, amice, mihi!

9 *Sphingaque.* Sphinx bellua est pilo fusco, geminis mammis in pectore, muliebri facie, pedibus ac cauda leonis, pennis autem volucris. Ferunt Sphingem iuxta Thebas hoc aenigma hospitibus proposuisse: Quis esset, qui primum quatuor pedibus incederet, mox duobus, demum tribus. Solventi promittebat nuptias Iocastae, et Thebarum regnum. Nescienti solvere, ex alto praecipitium denunciabat. Solus Oedipus dixit hominem esse; qua interpretatione Spinx eodem se deiecit, unde multos praecipitaverat. || *Et Harpyas.* Hesiodus duas tantum dicit Harpyas fuisse ex Thaumante et Electa natas, scilicet *Aelio* et *Ocypeten*. Tertiam addidit Maro, *Celaeno.* || *Serpentipedesque Gigantas.* Gigantes, quorum pedes in serpentum volumina desinebant. || *Centimanumque Gygen.* Gyges (autore Hesiodo) Caeli et Terrae filius fuit, fraterque Briarei et Cotti, quorum singulos centum manus habuisse dixit, et capita quinquaginta. Hi *Titanes* dicti sunt, ac decennale bellum cum Saturni filiis gesserunt. || *Semibovemque virum.* Minotaurum denotat, natura duplici: nam usque ad humeros taurus, cetera homo fuit.

10 *Haec cuncta.* Haec omnia fabulosa.

12 *Mille potest caussis.* Ordo est: Litera quae saepe missa sit a te, mille caussis potest rara venire in nostras manus. *Mille* vero pro *multis* scripsit Poëta.

ELEGIA VIII.

Argumentum. Quinquagenarius Poëta queritur, se iam canescere in regione infelicissima, eo tempore, quo frui debuisset patria, coniuge, amicis, etc. Quae si olim a Delphico oraculo, aut Dodonaea columba futura accepisset, vana dicit se ea responsa aestimaturum fuisse; clarissimaque sententia docet, nihil tam validum esse, quod non subiaceat voluntati, et potentiae divinae. Postremo ceteros admonet, ut sui casibus moniti, Augustum, cuius potentia par est Diis immortalibus, revereantur.

1 Iam mea cygneas imitantur tempora plumas,
Inficit et nigras alba senecta comas:
2 Iam subeunt anni fragiles, et inertior aetas:
Iamque parum firmo me mihi ferre grave est.
3 Nunc erat, ut posito deberem fine laborum
Vivere, me nullo sollicitante metu:
4 Quaeque meae semper placuerunt otia menti,
Carpere; et in studiis molliter esse meis:
5 Et parvam celebrare domum, veteresque Penates;
Et quae nunc domino rura paterna carent:
6 Inque sinu dominae, carisque nepotibus, inque
Securus patria consenuisse mea.
7 Haec mea sic quondam peragi speraverat aetas:
Hos ego sic annos condere dignus eram.

1 *Cygneas plumas.* Candidas plumas, quales sunt cygnorum. Se autem fatetur iam canescere.|| *Mea tempora.* Meum caput. || *Inficit.* Tingit. || *Alba senecta.* Senecta quae facit homines canos.

2 *Anni fragiles.* Anni aetatis fragilis, hoc est infirmae ad resistendum morbis et morti. || *Et inertior aetas.* Inepta rebus agundis.||*Ferre me.* Ire, incedere. || *Mihi parum firmo.* Mihi debili, cum propter aetatem, tum in primis propter mala, in quibus versor assidue.

5 *Rura paterna.* Me, qui sum dominus eorum. Erant autem in Pelignis.

6 *Dominae.* Vxoris.

8 Non ita Dìs visum: qui me terraque marique
Actum Sarmaticis exposuere locis.
9 In cava ducuntur quassae navalia puppes,
Ne temere in mediis dissolüantur aquis.
10 Ne cadat, et multas palmas inhonestet adeptas,
Languidus in pratis gramina carpit equus.
11 Miles, ut emeritis non est satis utilis annis,
Ponit ad antiquos, quae tulit arma, Lares.
12 Sic igitur, tarda vires minuente senecta,
Me quoque donari iam rude, tempus erat.
13 Tempus erat nec me peregrinum ducere caelum,
Nec siccam Getico fonte levare sitim:
14 Sed modo, quos habui, vacuum secedere in hortos:
Nunc hominum visu rursus et Vrbe frui.
15 Sic animo quondam non divinante futura
Optabam placide vivere possé senex.
16 Fata repugnarunt: quae, cum mihi tempora prima
Mollia praebuerint, posteriora gravant.

9 *In cava ducuntur.* Navium exemplo, quae longa navigatione procellis agitatae, in navalibus reponuntur, se senem dicit placide quiete uti debuisse. || *Dissolüantur.* Notanda est Diaeresis figura, qua frequenter utuntur poëtae.

10 *Ne cadat.* Equum quoque dicit olim multas victorias in curuli certamine adeptum, senem iam, finem labori impunere, et languidum in pratis depasci, et quiescere.

11 *Emeritis annis.* Annis eorum qui militia perfuncti sunt. || *Ponit ad antiquos.* Milites singuli perfuncti militia, donabantur septenis, pluribusve aliquando iugeribus terrae, quo possent reliquum vitae tuto agere. Solebant autem, quum a militia discederent, arma alicui Deo suspendere, quam rem non modo milites faciebant, sed etiam gladiatores.

12 *Donari iam rude.* Rudis virga erat, qua donati gladiatores a gladiatura cessabant.

13 *Peregrinum ducere caelum.* Vivere in peregrina regione. || *Siccam sitim.* Sitim quae sitientes siccos facit. || *Getico fonte.* Getica aqua.

14 *Vacuum.* Otiosum; h. e. carens omni cura. Secessum optat, quo utebatur Romae, carmina scripturus.

16 *Fata repugnarunt.* Dii noluerunt, ut senex quiescerem. || *Gravant posteriora.* Gravia et molesta faciunt tempora haec, quae illa prima mollia subsequuta sunt.

17 Iamque, decem lustris omni sine labe peractis,
Parte premor vitae deteriore meae.
18 Nec procul a metis, quas paene tenere videbar,
Curriculo gravis est facta ruina meo.
19 Ergo illum demens in me saevire coëgi,
Mitius immensus quo nihil orbis habet?
20 Ipsaque delictis victa est clementia nostris:
Nec tamen errori vita negata meo?
21 Vita procul patria peragenda sub axe Boreo
Qua maris Euxini terra sinistra iacet.
22 Hoc mihi si Delphi, Dodonaque diceret ipsa;
Esse videretur vanus uterque locus.
23 Nil adeo validum est, adamas licet alliget illud,
Vt maneat rapido firmius igne Iovis.
24 Nil ita sublime est, supraque pericula tendit,
Non sit ut inferius suppositumque Deo.
25 Nam quamquam vitio pars est contracta malorum,
Plus tamen exitii numinis ira dedit.

17 *Decem lustris.* Quinquaginta annis. *Lustrum* autem tempus quinquennale.|| *Parte deteriore premor.* Aetas enim post annum quinquagesimum solet esse deterior.

18 *Nec procul a metis* Nec longe a senectute mea, et a tempore quo sperabam quietem || *Curriculo meo.* Meo cursu ad ipsas metas. Est autem sumpta metaphora a curuli certamine.

20 *Est victa.* Quia maius fuit scelus meum, quam Augusti clementia.

21 *Sub axe Boreo.* Sub septentrionali plaga, unde flat Boreas. || *Qua maris Euxini terra.* Nam ex Aegaeo mari in Euxinum venientibus, sinistra parte est Geticum littus, ubi erat Ovidius.

22 *Hoc mihi si Delphi.* Templum Apollinis Delphis positum fuit in monte Parnasso, in rupe undique impendente, ubi Oraculum percelebre Apollinis Delphici. || *Dodonaque diceret ipsa.* Columba vatidica in templo Iovis Dodonaei in nemore, prope urbem Dodonam in Chaonia.

23 *Rapido igne.* Rapido fulmine, telo, et ira Augusti. || *Vt maneat firmius.* Vt resistat potentiae Iovis.

24 *Supraque pericula.* Extra periculum ac securum est Vel, altius omnibus periculis, adeo ut nulli eorum subiectum videatur.

25 *Vitio* Proprio crimine.|| *Est contracta.* Est accepta, acquisita. || *Plus tamen exitii.* Ostendit numen in eo suam vim et potestatem, quod me supra meritum punivit, et quan-

26 At vos admoniti nostris quoque casibus este,
Aequantem Superos emeruisse virum.

ELEGIA IX.

ARGVMENTVM. Poëta minatur inimico, se contra eum scripturum esse nisi a conviciis desistat.

1 Si licet, et pateris, nomen facinusque tacebo,
Et tua Lethaeis acta dabuntur aquis:
2 Nostraque vincetur lacrimis clementia seris:
Fac modo te pateat poenituisse tui.
3 Fac modo te damnes, cupiasque eradere vitae
Tempora, si possis, Tisiphonea tuae.
4 Sin minus, et flagrant odio tua pectora nostro;
Induet infelix arma coacta dolor.

tum collibuit; non quantum mea noxa commeruit.

26 *Emeruisse*. Pro demeruisse, id est, conciliasse. Hoc est, Augustum Diis parem, ne vobis noceat, meo exemplo conciliare aliquo officio. Vel *emeruisse*, scilicet ut Superos aequaret.

1 *Si licet*. Si fas est per te. || *Et pateris*. Et sustines tacere deponendo inimicitias. || *Nomen facinusque*. Duo dicit se silentio praeteriturum: nomen scilicet eius, qui eum laesit; et scelus admissum. || *Lethaeis aquis*. Oblivioni tradam, quod mihi feceris. Est enim *Lethe* oblivionis fluvius inferni. || *Tua acta*. Tui in me conatus.

2 *Seris lacrimis*. Dolore tuo quamvis tardo. || *Poenituisse tui*. Poenituisse eius, quod in me fecisti. Poenitet aliquem sui, cum consilia et facta sua damnat, sibique displicet.

3 *Eradere*. Delere. || *Tempora Tisiphonea*. Hoc est, fac te damnes, et cupias ex vita tua eradicare, sive penitus, si modo possis, tollere, id quod est Tisiphones proprium, hoc est, *invidiam et studium nocendi*. Vel: Cupias eradere tempora Tisiphonaea vitae tuae, pro, studeas abolere, et ex vitae tuae rebus actis tollere, ea quae scelerate aliquando fecisti.

4 *Sin minus*. Subaudi, te damnaveris, aut tui poenituerit. || *Odio nostro*. Odio quo nos insequeris. || *Induet infelix*. Ego infelix et dolens, tua pertinacia compulsus, arma

5 Sim licet extremum, sicut sum, missus in orbem;
Nostra suas istuc porriget ira manus.
6 Omnia, si nescis, Caesar mihi iura reliquit:
Et sola est patria poena carere mea.
7 Et patriam, modo sit sospes, speramus ab illo.
Saepe Iovis telo quercus adusta viret.
8 Denique vindictae si sit mihi nulla facultas;
Pierides vires et sua tela dabunt.
9 Vt Scythïcis habitem longe submotus in oris,
Siccaque sint oculis proxima signa meis:
10 Nostra per immensas ibunt praeconia gentes;
Quodque querar, notum, qua patet orbis, erit.
11 Ibit ad occasum, quidquid dicemus, ab ortu:
Testis et Hesperiae vocis Eous erit.
12 Trans ego tellurem, trans latas audiar undas:
Et gemitus vox est magna futura mei.
13 Nec tua te sontem tantummodo saecula norint:
Perpetuae crimen posteritatis eris.

sumam, ut iniurias meas vindicem.

5 *Nostra suas istuc.* Allegoria est: Non evades manus meas.

6 *Omnia iura mihi reliquit.* Quod ius est civi in maledicum et obtrectatorem, hoc mihi Caesar non ademit. In ius per amicos vocaturum subindicat.

8 *Vindictae.* Vt te ulciscar.

9 *Siccaque sint oculis proxima signa.* Per signa intelligit Vrsam maiorem et minorem, quibus Septentrionem designat. *Sicca* autem appellantur, quia nunquam occidunt.

10 *Nostra praeconia.* Nostra carmina, quibus aliquem laudamus. || *Quodque querar.* Quod carmine insectabor.

11 *Ibit ab ortu ad occasum.* Quicquid a me de te dicitur, id cum aliis scriptis meis celebrabitur per totum terrarum orbem. || *Vocis Hesperiae.* Carminis Latini. || *Testis Eous erit.* Hesperiam vocem intellige, non Latinam tantum, sed eam quae in Hesperia, hoc est, occidente edetur. Vt sit dictum: Eius vocis, sive quaerelae, quae in occidente edetur, testis erit Eous, sive is qui in oriente degit.

12 *Et vox mei gemitus.* Et vox meae querelae et doloris.

13 *Te sontem.* Te nocentem. *Perpetuae crimen.* Ignominiae notis inurereris, et nobilitaberis ad aeternitatem, omnium saeculorum infamia.

14 Iam feror in pugnas, et nondum cornua sumsi.
Nec mihi sumendi caussa sit ulla velim.
15 Circus adhuc cessat: spargit tamen acer arenam
Taurus, et infesto iam pede pulsat humum. (ceptus;
16 Hoc quoque, quam volui, plus est. Cane, Musa, re-
Dum licet huic nomen dissimulare suum.

ELEGIA X.

ARGVMENTVM. Lectorem docet Poëta qua patria, et quibus Consulibus natus sit. Deinde totam suam vitam paucis perstringit. Postremo exsilii mala commemorat, quorum magnitudinem dicit se Musis levari et illis acquiescere.

1 Ille ego, qui fuerim, tenerorum lusor amorum,
Quem legis, ut noris, accipe, Posteritas.
2 Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
Millia qui novies distat ab Vrbe decem:

14 *Nondum cornua sumsi.* Nondum sumpsi calamum et chartam, quibus te petam, ut cornibus taurus feras in arena secum depugnantes.

15 *Circus adhuc cessat.* Nondum taurus in Circo irritatur. Effigies enim hominum ex foeno veste rubra coöperto, fieri solebant, quibus obiectis ad spectaculum praebendum tauri irritarentur. Postea ita luxus inolevit, ut Phoeniciis vestibus usi fuerint.|| *Spargit tamen.* Tamen sese Taurus paulatim ad pugnam accendit: quibus verbis inimico idem minatur se facere.

16 *Hoc quoque.* Pluribus, inquit, quam volebam, minatus sum.|| *Cane, Musa, receptus.* Receptus, seu receptui canere dicimus, cum tubae signo exercitus e praelio revocatur. Poëta quoque per similitudinem dicitur canere receptus, quum desinit scribere, et quasi ingenii vires, et Musas domum reducat. || *Dum licet huic.* Quousque maledico licet eius nomen dissimulare; non laedendo me ulterius.

1 *Ille ego.* Subaudi, sum. || *Qui fuerim lusor.* Qui fuerim scriptor. Hic autem significat se scripsisse cum alia, tum in primis libros de Amoribus, et praecepta amatoria. || *Quem legis.* Ordo est: O posteritas, accipe, id est, intellige, *ut noris*, et melius cognoscas quem legas.

2 *Sulmo mihi patria est.* Sulmo oppidum illustre Pelignae regionis, distans ab Vrbe millibus passuum XC.

3 Editus hic ego sum: nec non ut tempora noris,
Cum cecidit fato Consul uterque pari:
4 Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres;
Non modo Fortunae munere factus eques.
5 Nec stirps prima fui, genito iam fratre creatus;
Qui tribus ante quater mensibus ortus erat.
6 Lucifer amborum natalibus adfuit idem:
Vna celebrata est per duo liba dies.
7 Haec est armiferae festis de quinque Minervae,
Quae fieri pugna prima cruenta solet.
8 Protinus excolimur teneri, curaque parentis
Imus ad insignes Vrbis ab arte viros.
9 Frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo,
Fortia verbosi natus ad arma Fori.

3 *Nec non.* Insuper subaudi, sum editus. || *Cum cecidit fato Consul uterque pari.* Hircium et Pansam consules designat, qui apud Mutinam pugnantes contra Antonium, populi Romani hostem iudicatum, ceciderunt.

4 *Si quid id est, a proavis.* Ordo est: Et sum factus eques non nunc et recens modo munere fortunae, sed longa successione, et unde a maioribus haeres sum dignitatis equestis. || *Munere Fortunae.* Non modo divitiis, quae sunt bona fortunae: qui enim quadringenta sestertia possidebant, equestri dignitate donabantur, et XIV. ordinibus in theatro spectandi gratia sedebant.

5 *Genito fratre.* Fratre ante me nato, || *Quater tribus mensibus ante.* Duodecim mensibus, hoc est, anno ante me.

6 *Idem Lucifer.* Idem dies. || *Vna celebrata est.* Idem dies natalis, mihi illique celebratus.

7 *Haec.* Scilicet, dies. || *Armiferae festis de quinque Minervae.* || Secundum diem ex quinque Minervae consecratis designat. Prima enim die ludi gladiatorii, ut sequentibus diebus, non exhibebantur. Fuere autem *quinquatria* Minervae festa XIII. Cal. Aprilis hoc est, XX. die Martii, dicta a quinquatro die, quod post diem quintum celebrentur. Natus ergo Ovidius XII. Cal. April. h. e. 21. Martii.

8 *Excolimur teneri.* Informamur puerilibus studiis, et grammatica in patria. || *Ad insignes viros Vrbis.* Ad claros homines qui Romae docebant. || *Ab arte.* Insignes ab arte, accipio eos qui artibus quibuscumque docendis insignes ac celebres tum fuere.

9 *Frater ad eloquium.* Frater ab adolescentia sese eloquentiae

10 At mihi iam puero caelestia sacra placebant;
Inque suum furtim Musa trahebat opus.
11 Saepe pater dixit: Studium quid inutile tentas?
Maeonides nullas ipse reliquit opes.
12 Motus eram dictis: totoque Helicone relicto,
Scribere conabar verba soluta modis.
13 Sponte sua numeros carmen veniebat ad aptos;
Et, quod tentabam dicere, versus erat.
14 Interea, tacito passu labentibus annis,
Liberior fratri sumta mihique toga est:
15 Induiturque humeros cum lato purpura clavo:
Et studium nobis, quod fuit ante, manet.
16 Iamque decem vitae frater geminaverat annos,
Cum perit; et coepi parte carere mei.
17 Cepimus et tenerae primos aetatis honores;
Eque viris quondam pars tribus una fui.

studio dedebat.||*Fortia*. Fortia verba vocat oratorum orationes, propter summam eloquentiae vim, quae animos quo vult adducit, et unde vult deducit. || *Verbosi Fori*. Hoc dicit, quia suam facultatem pluris facit. Aut respicit ad quosdam garrulos causidicos, qui inani verborum profluentia eloquentiam imitantur.

10 *Caelestia sacra*. Poësin intelligit. || *Inque suum furtim*. Quia pater fieri me poëtam nolebat: itaque eo inscio factitabam versiculos.

11 *Maeonides*. Homerus. Poëtas fuisse pauperes, inductione probabat pater Ovidii.

12 *Totoque Helicone*. Relicta poësi. Helicon mons sacer Musis. || *Verba soluta*. Prosaicam orationem.

13 *Ad aptos numeros*. Ad rhythmos carmini convenientes.

14 *Liberior toga*. *Togam virilem* designat, quam nobiles adolescentes apud Romanos sumebant in festo Liberi patris, XVI. Kalend. April., deposita *Praetexta*. Ea ad calceos usque demittebatur.

15 *Cum lato purpura clavo*. *Lato clavo* utebantur et nobiliores et senatores, qui ab ea *Laticlavi* appellabantur. || *Et studium*. Poëticam artem intelligit, cui dixit se a pueritia deditum fuisse.

16 *Iamque decem*. Iam annum vigesimum compleverat. || *Parte mei*. Fratre ipso.

17 *Primos honores*. Magistratus qui primo adolescentibus dabantur: ut *aedilitas, quaestura, triumviratus*, ceterique qui minores dicebantur. Triumvirum hic se fuisse innuit. Ceterum varii fuere huius nominis magistratus.

18 Curia restabat; clavi mensura coacta est:
Maius erat nostris viribus illud onus.
19 Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
Sollicitaeque fugax ambitionis eram;
20 Et petere Aoniae suadebat tuta Sorores
Otia iudicio semper amata meo.
21 Temporis illius colui fovique poëtas;
Quotque aderant vates, rebar adesse Deos.
22 Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,
Quaeque necet serpens, quae iuvet herba, Macer.
23 Saepe suos solitus recitare Propertius ignes;
Iure sodalitio qui mihi iunctus erat.
24 Ponticus Heroo, Bassus quoque clarus Iämbo
Dulcia convictus membra fuere mei.

18 *Curia restabat.* Restabat, ut Senator fierem. || *Mensura clavi.* Mensura vestis senatoriae, per quam senatoriam designat dignitatem. || *Coacta est.* Latus clavus, senatorum tantum gestamen proprie erat, quo illi a reliquis civium ordinibus distinguebantur. Intelligit ergo Poëta, solam dignitatem senatoriam reliquam fuisse, quam adhuc consequeretur; sed ab ea consequenda abstinuisse se, quia id onus humeris suis maius fuisset: eoque mensuram clavi, hoc est, latitudinem, coactam apud se, id est, coarctatam, et quasi accisam fuisse. Quod autem supra dixit, *Induiturque humeros cum lato purpura clavo*: id eo modo accipiendum fortassis, ut dicamus statim post sumptam virilem togam, etiam clavi dignitatem consequutam, veluti spem quandam senatorii ordinis. Sed postea, cum videret se ei honori, vel ut ipse ait oneri esse imparem, eandem deposuisse.

19 *Eram fugax.* Fugabam. || *Sollicitae ambitionis.* Ambitionis, quae reddit hominem sollicitum.

21 *Quotque aderant vates.* Tanquam numina eos suscipiebam ac venerabar. Veteres, quos eximia laude dignos censebant, Deos ac Diis genitos appellabant.

22 *Quaeque necet serpens.* Aemylius Macer, poëta Veronensis, herbas, serpentes, et volucres carmine complexus est.

23 *Suos ignes.* Suos amores, quos carmine decantavit.

24 *Ponticus Heroo.* Ponticus poëta heroico carmine Thebanum bellum scripsit. || *Bassus quoque clarus Iämbo.* De Basso, quem Poëta Iambo scripsisse dicit, nihil ad nos pervenit. || *Dulcia convictus.* Convictores mei fuerunt.

25 Et tenuit nostras numerosus Horatius aures;
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.
26 Virgilium vidi tantum: nec amara Tibullo
Tempus amicitiae fata dedere meae.
27 Successor fuit hic tibi, Galle; Propertius illi.
Quartus ab his serie temporis ipse fui.
28 Vtque ego maiores, sic me coluere minores:
Notaque non tarde facta Thalia mea est.
29 Carmina cum primum populo iuvenilia legi;
Barba resecta mihi bisve semelve fuit:
30 Moverat ingenium totam cantata per Vrbem
Nomine non vero dicta Corinna mihi.
31 Multa quidem scripsi: sed quae vitiosa putavi,
Emendaturis ignibus ipse dedi. (cremavi:
32 Tum quoque, cum fugerem, quaedam placitura
Iratus studio carminibusque meis.

25 *Horatius numerosus.* Horatius optimus poëta, vel a copia, vel ab elegantia numerosus dictus. Vel etiam a varietate numerorum ac pedum, quos lyrica metra recipiunt. Natus est ante Ovidium annis XXII. || *Dum ferit.* Dum plectro chordas feriendo cantat: hoc est, dum pariter sonat lyra, et carmina.

26 *Nec amara fata.* Nec Deorum voluntates; quas ideo *amaras* appellat, quoniam celerius Tibullum rapuerunt, quam fas erat: admodum enim iuvenis periit.||*Tempus amicitiae.*Quia periit me puero, aut antequam possem eum videre. Alii tamen volunt, eodem anno, et etiam eadem die cum Ovidio natum. Vnde extat Ovidii de eius morte elegia.

27 *Hic.* Tibullus. || *Propertius illi.* Successit Tibullo. || *Ab his.* Post hos.

28 *Vtque ego maiores.*Subaudi, colui. || *Est facta nota.* Est facta omnibus cognita: cito enim pervenit in ora hominum. Et vino vendibili non fuit opus suspensa edera. || *Non tarde.* Non sero, sed me iuvene.

29 *Carmina iuvenilia.* Libros de Arte amandi, a se iam iuvene editos, potes intelligere: ut et libros de Amoribus.

30 *Moverat ingenium.* Amor poëta est adeo sapiens, ut alios quoque poëtas possit efficere.|| *Nomine non vero dicta Corinna. Corinna* fuit Thebana, a quibusdam Corinthia dicta, quae scripsit Epigrammata, et Lyrica poemata. Sed Ovidius hujus nomine appellavit amicam suam, quam multi suspicantur fuisse nepotem ipsam Augusti.

32 *Cum fugerem.* Quum in exsilium proficiscerer.

33 Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis
Cor mihi, quodque levis caussa moveret, erat.
34 Cum tamen hoc essem, minimoque accenderer igni;
Nomine sub nostro fabula nulla fuit.
35 Paene mihi puero nec digna, nec utilis uxor
Est data: quae tempus perbreve nupta fuit.
36 Illi successit, quamvis sine crimine, coniux;
Non tamen in nostro firma futura toro.
37 Vltima, quae mecum seros permansit in annos,
Sustinuit coniux exsulis esse viri.
38 Filia me mea bis prima foecunda iuventa,
Sed non ex uno coniuge, fecit avum.
39 Et iam complerat genitor sua fata; novemque
Addiderat lustris altera lustra novem.
40 Non aliter flevi, quam me fleturus ademtum
Ille fuit. Matri proxima iusta tuli.
41 Felices ambo, tempestiveque sepultos,
Ante diem poenae quod periere meae!
42 Me quoque felicem, quod non viventibus illis
Sum miser; et de me quod doluere nihil!

33 *Molle Cupudineis.* Fatetur aperte, se animo nimis molli et effaeminato fuisse, cum se ad nugas illas scribendas dederit.

34 *Cum tamen hoc essem.* Quum tamen talis essem, ut cor meum molle esset. || *Nomine sub nostro.* Hoc dicit: Nulla unquam de me fuit fabula, vel rumor ullus sinister, quod notatus fuerim infamia.

35 *Paene mihi puero.* Vix pueritiam egresso, scilicet anno circiter XVI. cum primam uxorem duceret. || *Nec digna nec utilis uxor.* Tres uxores subinde duxit. Cum duabus prioribus fecit divortium: cum tertia diu vixit, quae exsulem non erubuit.

38 *Filia mea.* Perilla. || *Bis foecunda.* Bis gravida. || *Sed non ex uno coniuge.* Sed non ex uno marito. Duos enim habuit.

39 *Genitor.* Pater meus. || *Iam complerat sua fata.* Iam obierat. || *Novemque Addiderat lustris altera lustra novem.* Hoc est, ad nonagesimum annum pervenerat.

40 *Non aliter flevi.* Non aliter mortuum patrem ploravi. || *Matri proxima iusta tuli.* Post patrem etiam matrem extuli.

41 *Meae poenae.* Mei exsilii.

43 Si tamen exstinctis aliquid, nisi nomina, restat,
Et gracilis structos effugit umbra rogos;
44 Fama, parentales, si vos mea contigit, umbrae,
Et sunt in Stygio crimina nostra foro:
45 Scite, precor, caussam, nec vos mihi fallere fas est,
Errorem iussae, non scelus, esse fugae.
46 Manibus id satis est. Ad vos studiosa revertor
Pectora, qui vitae quaeritis acta meae.
47 Iam mihi canities, pulsis melioribus annis,
Venerat; antiquas miscueratque comas:
48 Postque meos ortus Pisaea vinctus oliva
Abstulerat decies praemia victor equus:
49 Cum maris Euxini positos ad laeva Tomitas
Quaerere me laesi Principis ira iubet.
50 Caussa meae cunctis nimium quoque nota ruinae
Indicio non est testificanda meo.

43 *Si tamen exstinctis.* Sensus est: Si tamen aliquid restat defunctis hominibus, praeter nomen. Hoc est: Si quis sensus est post hanc vitam, animaeque hominum, ut traditur, immortales sunt. || *Vmbra gracilis.* Tenuis umbra hominis. || *Effugit rogos.* Id est, si anima cum corpore non crematur.

44 *Vmbrae parentales.* O animae parentum meorum. || *Sunt in Stigio foro.* Cognoscuntur hominum scelera a iudicibus inferni; qui sunt Minos, Aeacus, Rhadamanthus; hi enim de criminibus eo venientium cognoscunt.

45 *Caussam.* Relegationis meae et exsilii originem.

46 *Manibus.* Parentum umbris, quas hactenus alloquutus sum. || *Ad vos studiosa revertor Pectora.* Post digressiunculam ad parentes defunctos, redit ad narrationem pertexendam de vita sua. Ipsos homines, *pectora*, vocat.

47 *Pulsis melioribus annis.* Deteriores anni sunt senectutis, quia multa senem circumveniunt incommoda. || *Antiquas miscueratque comas.* Nigrisalbas insperserat.

48 *Pisaea oliva.* Oliva qua apud Pisas coronabantur victores in Olympico certamine. || *Victor equus.* Olympionices: id est, qui Olympia vicisset. || *Decies abstulerat praemia.* Per decem praemia designat decem Olympiadas; hoc est, annos quinquaginta. Nam ludi Olympici celebrabantur quinto quoque anno magna hominum frequentia, in Iovis Olympici honorem: idque tempus *Olympiada* appellabant.

50 *Caussa meae cunctis.* Quoniam exsilii mei caussa ignota est nemini, tacebo.

51 Quid referam comitumque nefas, famulosque nocentes?
Ipsa multa tuli non leviora fuga.
52 Indignata malis mens est succumbere, seque
Praestitit invictam viribus usa suis:
53 Oblitusque togae ductaeque per otia vitae,
Insolita cepi temporis arma manu:
54 Totque tuli terra casus pelagoque, quot inter
Occultum stellae conspicuumque polum.
55 Tacta mihi tandem longis erroribus acto
Iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis.
56 Hic ego, finitimis quamvis circumsoner armis,
Tristia, quo possum, carmine fata levo.
57 Quod, quamvis nemo est, cuius referatur ad aures;
Sic tamen absumo decipioque diem.
58 Ergo, quod vivo, durisque laboribus obsto,
Nec me sollicitae taedia lucis habent;
59 Gratia, Musa, tibi: nam tu solatia praebes;
Tu curae requies, tu medicina mali:

51 *Quid referam.* Hic relegationis etiam incommoda commemorat. || *Comitumque.* Quos ei Augustus attribuerat, a quibus custodiebatur et deducebatur. || *Multa tuli.* Multa mala passus sum, dum Tomon proficiscor.

52 *Succumbere malis.* Subiacere malis; ex quo in adversis se fortem semper fuisse ostendit. || *Suis viribus.* Propria fortitudine.

53 *Oblitusque.* Et oblitus pristinae meae tranquillitatis naturaeque meae tenerioris, et vitae molliter actae. || *Cepi arma temporis.* Cepi tempori cedere, et necessitati parere, ut virum fortem decet, quod sapientis semper fuisse, Cicero est auctor. Vel per *arma* intellige, Tolerantiam et animi fortitudinem. || *Manu insolita.* Quia contra adversa pugnare nunquam didici, aut assuevi.

54 *Occultum polum.* Per occultum polum, Australem: per conspicuum vero, Septentrionalem intelligit.

55 *Longis erroribus acto.* Hinc perspicimus, diu navigasse Ovidius antequam ad locum destinatum perveniret. || *Ora Sarmatis.* Ora Sarmatiae.

56 *Carmine.* Carmina quamvis tristia componendo. || *Levo.* Imminuo.

57 *Decipioque diem.* Fallo tempus.

58 *Obsto.* Resisto mea patientia. || *Lucis sollicitae.* Vitae quae me sollicitum et anxium reddit.

59 *Nam tu solatia praebes.* Certissimum lenimem malorum literae.

60 Tu dux, tu comes es: tu nos abducis ab Istro;
In medioque mihi das Helicone locum.
61 Tu mihi, quod rarum, vivo sublime dedisti
Nomen; ab exsequiis quod dare Fama solet.
62 Nec, qui detrectat praesentia, Livor iniquo
Vllum de nostris dente momordit opus.
63 Nam tulerint magnos cum saecula nostra poëtas;
Non fuit ingenio Fama maligna meo.
64 Cumque ego praeponam multos mihi; non minor illis
Dicor: et in toto plurimus orbe legor.
65 Si quid habent igitur vatum praesagia veri;
Protinus ut moriar, non ero, terra, tuus.
66 Sive favore tuli, sive hanc ego carmine famam,
Iure tibi grates, candide lector, ago.

60 *Abducis.* Removes. || *Ab Istro.* A Tomitana urbe, Istro flumini finitima. || *In medio Helicone.* In loco Musis sacro et amoenissimo.

61 *Quod rarum.* Quod raro accidit, ut viventes adhuc famam consequi valeant. || *Ab exsequiis.* Post funera, post mortem.

62 *Detrectat praesentia.* Lacerat viventium opera. || *Vllum de nostris dente momordit opus.* Magna igitur felicitas Ovidii, eius scripta nullum obtrectatorem esse passa.

64 *Ego praeponam multos mihi.* Gallum, Tibullum, Propertium.

65 *Non ero tuus, terra.* Non sepeliar totus, aut oblivioni tradar: sed mea fama supra terras sese attollet, fiamque immortalis.

P. OVIDII NASONIS

TRISTIVM

LIBER QVINTVS.

ELEGIA I.

ARGVMENTVM. Mittens Romam e Scythia hunc ultimum librum Ovidius, sui studiosos monet, ut quatuor prioribus libellis illinc quoque a se missis et hunc addant: excusatque se non potuisse materiam aliam, quam tristem, suisque rebus miseris, et perditis convenientem sumere. Quod si in patriam revocetur, scripturum se iocosa et laeta promittit; simulque veniam petit si quid lectorem offendat.

1 Hunc quoque de Getico, nostri studiose, libellum
Litore, praemissis quatuor adde meis.
2 Hic quoque talis erit, qualis Fortuna poëtae.
Invenies toto carmine dulce nihil.
3 Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen:
Materiae scripto conveniente suae.
4 Integer et laetus laeta et iuvenilia lusi:
Illa tamen nunc me composuisse piget.

1 *De litore Getico.* De litore Tomitanae urbis, quae litori Getico adiacebat. || *Quatuor meis praemissis.* Libellis de Tristibus, antea Romam missis.

2 *Toto carmine dulce nihil.* Nihil suave, sed amarum, et triste.

3 *Suae materiae.* Materiae Poëtae, quae est tristis.

4 *Integer.* Non relegatus. || *Laeta et iuvenilia.* Libros de Arte amandi significat.

5 Vt cecidi, perago subiti praeconia casus;
Sumque argumenti conditor ipse mei.
6 Vtque iacens ripa, deflere Caystrius ales
Dicitur ore suam deficiente necem:
7 Sic ego Sarmaticas longe proiectus in oras
Efficio, tacitum ne mihi funus eat.
8 Delicias si quis lascivaque carmina quaerit:
Praemoneo nunquam scripta quod ista legat.
9 Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris;
Aptior, ingenium come, Tibullus erit.
10 Atque utinam numero ne nos essemus in isto!
Heu mihi! cur unquam Musa iocata mea est?
11 Sed dedimus poenas: Scythicique in finibus Istri
Ille pharetrati lusor Amoris abest.
12 Quod superest, animos ad publica carmina flexi;
Et memores iussi nominis esse sui.

5 *Vt cecidi*. Postquam relegatus fui. || *Perago praeconia*. Sum praeco, et scribo. || *Subiti casus*. Subitae relegationis. || *Sumque argumenti conditor*. Ipsemet mihi materiam ad scribendum suppeditavi, alii aliunde sumunt; quoniam calamitatis meae quam deploro, habeo praeter me, auctorem neminem. *Conditor* hic auctor, inventor.

6 *Caystrius ales*. Cygnus ad Caystrum fluvium pervolans || *Ripa*. In ripa. || *Ore deficiente*. Deficiente spiritu, vel corpore. || *Dicitur deflere suam necem*. Aptissime se iam senem flebilia carmina sub exitum e vita sua canentem cum cygno comparat, quum poëtae saepenumero cygni et olores appellentur, propter versuum suavitatem videlicet, et quod utrique Apollini sint dicati.

7 *Ne funus*. Ne relegatio mea. || *Eat mihi tacitum*. A me silentio praetereatur. Vel, ne quasi summo cum silentio diem meum obeam.

10 *In isto numero*. In numero illorum, qui iocosa et amatoria scripsere.

11 *Ille pharetrati lusor Amoris*. Ironice. Quasi dicat, egregiam vero mercedem refero ab Amore, in cuius gratiam multa lusi. Paene toto orbe exclusus sum. *Pharetrati*, quoniam arcu et sagittis instructus fingitur.

12 *Quod superest*. Quod reliquum est. || *Animos flexi*. Posteaquam eiectus fui in exsilium, restabat ut animos amicorum flecterem ad legenda haec carmina, quae edita a me omnibus patebant, et rogarem eos, ut mei nominis memoriam servarent, mihique, si possent, opem ferrent. || *Ad publica carmina*

13 Si tamen e vobis aliquis tam multa requiret,
Vnde dolenda canam: multa dolenda tuli.
14 Non haec ingenio, non haec componimus arte.
Materia est propriis ingeniosa malis.
15 Et quota Fortunae pars est in carmine nostrae?
Felix, qui patitur, quae numerare valet!
16 Quot frutices silvae, quot flavas Tibris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet:
17 Tot mala pertulimus: quorum medicina quiesque
Nulla, nisi in studio, Pieridumque mora est.
18 Quis tibi, Naso, modus lacrimosi carminis? inquis.
Idem, Fortunae qui modus huius erit.
19 Quod querar, illa mihi pleno de fonte ministrat:
Nec mea sunt, fati verba sed ista mei.
20 At mihi si cara patriam cum coniuge reddas;
Sint vultus hilares, simque quod ante fui.
21 Lenior invicti si sit mihi Caesaris ira;
Carmina laetitiae iam tibi plena dabo.
22 Nec tamen ut lusit, rursus mea litera ludet:
Sit semel illa meo luxuriata malo.
23 Quod probet ipse, canam: poenae modo parte levata
Barbariem, rigidos effugiamque Getas.

Ad versus meos de Tristibus, quos amicis legendos mitto.

13 *Multa dolenda tuli.* Qui multa etiam tristia pertuli.

15 *Et quota pars.* Et rara, vel nulla pars. || *Nostrae Fortunae.* Nostri infortunii. Quasi dicat: Pauca scripsimus eorum quae passi fuimus. || *Felix qui patitur.* Felicem se innuit futurum fuisse, si posset mala propria numerare. Sed quia sunt innumerabilia, ideo se infelicem putat.

18 *Idem Fortunae qui modus.* Desinam lacrimosa scribere, cum desinet caussa lacrimarum mearum.

19 *Illa ministrat.* Illa fortuna mea suggerit. | *Sed ista.* Subaudi, *est.* Est autem ordo: Nec verba mea ista sunt, scilicet quae queruntur, sed fortuna mea est, quae queritur.

21 *Iam tibi plena dabo.* Per *dabo*, indicat facilitatem suam in carmine, inimitabilem.

22 *Vt lusit.* Vt olim scripsit. Intelligit autem tres libros de Arte amandi.

23 *Quod probet ipse.* Quod ipse Caesar laudet.

24 Interea nostri quid agant, nisi triste, libelli?
Tibia funeribus convenit ista meis.
25 At poteras, inquis, melius mala ferre silendo;
Et tacitus casus dissimulare tuos.
26 Exigis, ut nulli gemitus tormenta sequantur;
Acceptoque gravi vulnere flere vetas.
27 Ipse Perilleo Phalaris permisit in aere
Edere mugitus, et bovis ore queri.
28 Cum Priami lacrimis offensus non sit Achilles;
Tu fletus inhibes, durior hoste, meos.
29 Cum faceret Nioben orbam Latoïa proles,
Non tamen et siccas iussit habere genas.
30 Est aliquid, fatale malum per verba levare:
Hoc querulam Procnen Halcyonenque facit.

24 *Ista tibia.* Iste sonus funestus: id est, hoc triste scribendi genus. Solebant autem maiores ad funera tibiam efferre.

26 *Exigis ut nulli.* Petis, inquit, ut qui torquetur, non gemat; quod impossibile esse colligit.

27 *Ipse Perilleo.* De Perilli aeneo tauro diximus supra.

28 *Non sit offensus.* Non sit laesus: immo eius lacrimis victus, illico Hectorem reddidit || *Inhibes fletus.* Vetas me flere. Argumentum a maiore ad minus. || *Durior hoste.* Durior Achille Priami hoste.

29 *Cum faceret Nioben orbam.* Niobe Tantali filia fuit soror Pelopis, et Amphionis uxor, quae septem filios et totidem filias peperit, summo decore praestantes. Tali prole superbiens admodum gloriabatur, se Latonae praeferens numero filiorum. Itaque ira motam fabulae Latonam ferunt, Apollinique ut Niobes filios, Dianae, ut filias arcu interficerent mandasse. *Cum faceret orbam.* Quum Nioben liberis privaret. || *Latoïa proles.* Apollo et Diana. || *Genas siccas.* Minime lacrimis madefactas.

30 *Levare fatalem malum.* Imminuere fatum malo illatum. || *Per verba.* Per questus et lamentationes || *Hoc facit.* Haec caussa facit, ut Progne querulo cantu dolorem levet: quae fuit filia Pandionis regis Atheniensium || *Halcyonenque.* Ceyx filius Luciferi habuit coniugem Halcyonem, a qua quum prohibitus ivisset ad consulendum Apollinem super statu regni sui, naufragio periit. Cuius corpus quum ad uxorem Halcyonem delatum fuisset, illa se praecipitavit in pelagus. Et conversi sunt ambo in aves marinas, quae Halycones vocentur.

31 Hoc erat, in gelido quare Pocantius antro
Voce fatigaret Lemnia saxa sua.
32 Strangulat inclusus dolor, atque exaestuat intus:
Cogitur et vires multiplicare suas.
33 Da veniam potius; vel totos tolle libellos;
Si, mihi quod prodest, hoc tibi, lector, obest.
34 Sed neque obesse potest: ulli nec scripta fuerunt
Nostra, nisi auctori perniciosa suo.
35 At mala sunt fateor. Quis te mala sumere cogit?
Aut quis deceptum ponere sumta vetat?
36 Ipse nec emendo: sed ut hic deducta legantur.
Non sunt illa suo barbariora loco.
37 Nec me Roma suis debet conferre poëtis.
Inter Sauromatas ingeniosus ero.
38 Denique nulla mihi captatur gloria, quaeque
Ingenio stimulos subdere Fama solet.
39 Nolumus assiduis animum tabescere curis,
Quae tamen irrumpunt, quoque vetantur, eunt.

31 *Poeantius.* Philoctetes Poeantis filius. || *Sua voce.* Suis questibus.

32 *Strangulat.* Suffocat. Quo ostendit dolorem compressum graviter hominem conficere. || *Cogitur multiplicare.* Cogitur augere ipse dolor.

33 *Da veniam potius.* Potius mihi tristia scribenti ignoscas hanc ob caussam, quam damnes. || *Vel tolle.* Vel remove, nec lege. || *Totos libellos.* Haec de Tristibus volumina. || *Si mihi quod prodest.* Si quod mihi conducit; hoc est, tristia scribere, et fletu dolorem levare.

34 *Sub auctori.* Mihi Ovidio, qui poenas fero propter scripta amatoria.

35 *Deceptum.* Quod crediderit ea esse bona, quum mala sint. || *Ponere.* Deponere.

36 *Ipse nec emendo.* Haec ego non corrigo. || *Sed ut hic legantur.* Sed mando ut ea legantur tanquam composita inter barbaros Scythas, et inde Romam missa. || *Deducta.* Aut composita (deduci enim carmina dicuntur, ut antea diximus), aut certe istinc Romam missa.

38 *Nulla mihi captatur gloria.* Non scribo haec gloriae comparandae gratia || *Subdere stimulos ingenio.* Stimulare ingenium promissione nominis celebritate.

39 *Nolumus assiduis.* Scribo, inquit, ne verser in assiduis curis, cogitando mala quibus conficior. || *Tabescere.* Angi. || *Quae tamne*

40 Cur scribam, docui; cur mittam, quaeritis, istos?
Vobiscum cupiam quolibet esse modo.

ELEGIA II.

Argumentum. Ad uxorem scribens, dicit se corpore bene valere, quamvis mente langueat; ostenditque dolorem eumdem esse, qui primo fuit, cum relegatus sit ab Augusto. Postea commemorat incommoda, quibus sine fine conficitur; et quandoquidem levis sit exsilii caussa, et magna Caesaris clementia, pro marito roget, hortatur: nec ullam sibi spem relictam, quam Augusti clementiam.

1 Ecquid, ut e Ponto nova venit epistola, palles;
Et tibi sollicita solvitur illa manu? (rum
2 Pone metum; valeo: corpusque, quod ante labo-
Impatiens nobis invalidumque fuit,
3 Sufficit, atque ipso vexatum induruit usu.
An magis infirmo non vacat esse mihi?
4 Mens tamen aegra iacet, nec tempore robora sumsit;
Affectusque animi, qui fuit ante, manet:
5 Quaeque mora spatioque suo coitura putavi
Vulnera, non aliter, quam modo facta, dolent.
6 Scilicet exiguis prodest annosa vetustas,
Grandibus accedunt tempore damna malis.

irrumpunt. Tamen usque recurrunt; quamvis coner scribendo curas levare, non tamen possum. || *Quoque vetantur eunt.* Me adeunt, cum id fieri nollem.

40 *Cur scribam docui.* Caussam assignavi, cur tristia componam. || *Cur mittam istos.* Cur libellos istos ad vos mittam. || *Quolibet modo.* Versibus, quandoquidem non licet corpore.

1 *Sollicita manu.* Hypallage: ipsa sollicita et anxia.

3 *Sufficit.* Durat, sustinet. || *Induruit.* Occalluit, ut sensum mali paenae amiserit. || *An magis.* An ideo firmum mihi corpus, quia unde infirmum sit, amplius nihil est?

6 *Exiguis.* Parvis malis || *Prodest.* Quia tempore minuuntur. || *Tempore.* Diuturnitate temporis. || *Grandibus accedunt.* Magna incommoda ab annis incrementum accipiunt, et gravius animum discruciant.

7 Paene decem totis aluit Poeantius annis
Pestiferum tumido vulnus ab angue datum.
8 Telephus aeterna consumtus tabe perisset,
Si non, quae nocuit, dextra tulisset opem.
9 Et mea, si facinus nullum commisimus, opto
Vulnera qui fecit, facta levare velit;
10 Contentusque mei iam tandem parte laboris,
Exiguum pleno de mare demat aquae.
11 Detrahat ut multum, multum restabit acerbi:
Parsque meae poenae totius instar erit.
12 Litora quot conchas, quot amoena rosaria flores,
Quotve soporiferum grana papaver habet;
13 Silva feras quot alit, quot piscibus unda natatur;
Quot tenerum pennis aëra pulsat avis;
14 Tot premor adversis: quae si comprendere coner,
Icariae numerum dicere coner aquae.
15 Vtque viae casus, ut amara pericula ponti,
Vt taceam strictas in mea fata manus;
16 Barbara me tellus, orbisque novissima magni
Sustinet; et saevo cinctus ab hoste locus. (est,
17 Hinc ego traiicerer, neque enim mea culpa cruenta
Esset, quae debet, si tibi cura mei.

7 *Poeantius*. Philoctetes: de quo paulo ante diximus. Probat autem exemplis Ovidius, quod dixit verum esse.|| *Vulnus pestiferum*. Sagittam Herculis intellige, hydrae veneno infectam.

8 *Telephus*. De Telepho nota omnibus est fabula.

10 *Exiguum pleno*. Alibi dixit se non fluctibus, sed toto Oceano fuisse obrutum, miseriarum suarum multitudinem et magnitudinem volens exprimere.

11 *Totius instar erit*. Ostendit tantam esse malorum magnitudinem, ut etiam si quid detrahatur, nihil sibi imminutum videatur.

12 *Papaver soporiferum*. Papaveris sativi tria sunt genera. *Candidum*, cuius semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur: alterum est *nigrum*: tertium genus *Tyram* vocant. || *Quotve grana*. Et quot semina.

13 *Quot tenerum pennis*. Et quot pennis avis per aërem volat.

15 *Strictas in mea*. De nece sibi a comitibus in itinere intentata, haec accipe.

17 *Traiicerer*. Alio in locum

18 Ille Deus, bene quo Romana potentia nixa est,
Saepe suo victor lenis in hoste fuit.
19 Quid dubitas? quid tuta times? accede, rogaque.
Caesare nil ingens mitius orbis habet. (quunt?
20 Me miserum! quid agam, si proxima quaeque relin-
Subtrahis effracto tu quoque colla iugo?
21 Quo ferar; unde petam lapsis solatia rebus?
Anchora iam nostram non tenet ulla ratem.
22 Viderit: ipse sacram, quamvis invisus, ad aram
Confugiam: nullas submovet ara manus.
23 Alloquor en absens praesentia numina supplex:
Si fas est homini cum Iove posse loqui.
24 Arbiter imperii, quo certum est sospite cunctos
Ausoniae curam gentis habere Deos:
25 O decus, o patriae per te florentis imago;
O vir non ipso, quem regis, orbe minor;
26 Sic habites terras, sic te desideret aether!
Sic ad pacta tibi sidera tardus eas!

clementiorem mitterer ab Augusto.|| *Cruenta*. Est capitalis, quod quemquam occiderim.

18 *Ille Deus*. Ille Augustus. || *Est bene nixa*. Est bene sustentata.

21 *Vlla anchora*. Vllum munimentum, aut auxilium.|| *Nostram ratem non tenet*. Eleganter docet Poëta per similitudinem, se, ut navem sine anchora, omni periculo, expositum, nihil spei habere, nisi in praesidio Deorum, et Augusti inprimis.

22 *Viderit*. Caesar Augustus ipse providerit, posteaquam a ceteris destituor. || *Nullas manus*. Nullas supplicis preces: admittit quemvis supplicem.

23 *Alloquor en absens*. Augustum precatur Poëta, ut quandoquidem in exsilium tam asperum misit, velit eum transferre in locum aliquem mitiorem.|| *Praesentia numina*. Praesentem Augustum.|| *Cum Iove*. Cum Diis, cum Augusto.

24 *Arbiter*. Moderator, et imperator orbis et urbis. *Arbiter*, inquit Festus, dicitur iudex, quod totius rei habeat arbitrium ac facultatem. || *Quo sospite cunctos*. Signum favoris Deorum erga Italiam, sospitas Caesaris, et vita diuturna.

25 *Non ipso, quem regis*. Tanti faciende, quanti totus orbis: par orbi.

26 *Sic habites terram*. Petiturus mitius exsilium ab hoc Deo, prius ei vitam longam, deinde sedem caelestem precatur. || *Ad sidera pacta tibi*. Ad caelum tibi

27 Parce, precor; minimamque tuo de fulmine partem
Deme: satis poenae, quod superabit, erit.
28 Ira quidem moderata tua est; vitamque dedisti:
Nec mihi ius civis, nec mihi nomen abest.
29 Nec mea concessa est aliis fortuna: nec exsul
Edicti verbis nominor ipse tui.
30 Omniaque haec timui, quia me meruisse videbam:
Sed tua peccato lenior ira meo est.
31 Arva relegatum iussisti visere Ponti,
Et Scythicum profuga findere puppe fretum.
32 Iussus ad Euxini deformia litora veni
Aequoris: haec gelido terra sub axe iacet.
33 Nec me tam cruciat nunquam sine frigore caelum,
Glebaque canenti semper obusta gelu;
34 Nesciaque est vocis quod barbara lingua Latinae;
Graiaque quod Getico victa loquela sono;
35 Quam quod finitimo cinctus premor undique Marte;
Vixque brevis tutum murus ab hoste facit.
36 Pax tamen interdum, pacis fiducia nunquam est.
Sic nunc hic patitur, nunc timet arma, locus.

promissum. || *Tardus eas.* Sero a nobis discedas, et moriaris.

27 *De tuo fulmine.* De tua ira et poena. || *Quod superabit. Superare*, superesse, restare.

28 *Ius civis.* Ius quo utitur civis Romanus. || *Nec nomen.* Quia civis Romanus appellor.

29 *Nec mea.* Nec mihi fortunas meas ademit Augustus; quod exsulibus fieri solebat. || *Nec exsul.* Sed relegatus.

32 *Litora.* Litus proprie maris est, ripa fluminis. Interdum generaliter appellatur litus, quicquid iuxta aquam est. || *Deformia*, squalida, deserta, inculta. || *Gelido sub axe.* Septentrionali.

33 *Canenti gelu. Canentia* frigora alibi appellavit, quod quasi canitiem terrae inducant. || *Obusta.* Quia et frigus urere dicitur.

34 *Graiaque quod Getico.* Propter colonos e Graecia eo deductos.

35 *Brevis murus.* Id est, humilis, non altus.

36 *Pax tamen interdum est.* Interdum praelia cessant: non enim hostes semper pugnant. || *Pacis fiducia nunquam.* Nunquam certa est pax.

37 Hinc ego dum muter, vel me Zanclaea Charybdis
Devoret, atque suis ad Styga mittat aquis:
38 Vel rapidae flammis urar patienter in Aetnae:
Vel freta Leucadii mittar in alta Dei.
39 Quod petitur, poena est: neque enim miser esse recuso;
Sed precor, ut possim tutius esse miser.

ELEGIA III.

ARGVMENTVM. Queritur Ovidius, quod cum Bacchi festum celebretur, sibi una cum ceteris poëtis Romae esse non liceat, ut antea solebat; miraturque illum sibi uni ex eius cultoribus non opem tulisse. Demum illum, studiique consortes poëtas precatur, ut a Caesare pro se reditum impetrent.

1 Illa dies haec est, qua te celebrare poëtae,
Si modo non fallunt tempora, Bacche, solent:
2 Festaque odoratis innectunt tempora sertis,
Et dicunt laudes ad tua vina tuas.

37 *Zanclaea.* Sic poëtae appellant *Charybdim*, ab urbe Siciliae Zancle, ita dicta a specie falcis. Siquidem (autore Thucydide) falcem Siculi *Zanclam* appellant; nam loca ea curva fuisse docet etiam Strabo. || *Ad Styga.* Ad profundum. Dicitur enim Charybdis naves in profundum trahere.

38 *In Aetnae.* In Aetna monte, quae olim Cyclopes tulit, nunc vero assiduis ignibus flagrat, minus supplicii fore etiam ostendit || *Vel freta Leucadii.* Aliud etiam supplicium Scythicis malis minus commemorat, hoc est, ut in mare Leucadium ex alto vertice demittatur. || *Dei.* Apollinis, qui *Leucadius* dictus est cum in Leucade coleretur.

1 *Qua te celebrare poëtae.* Bacchi festum celebrabatur XV. Calend. Apriles a poëtis; concitantur enim et ipsi ut sacerdotes Bacchi: atque ideo et hedera coronantur. Eius sacra Iulius Caesar primus Romam transtulit.

2 *Innectunt tempora.* Magnus olim sertorum usus in diebus festis, sacrificiis, symposiis, quia signum laetitiae. || *Sertis odoratis.* Sertis bene olentibus. || *Ad tua vina.* Ad pocula, quae sumuntur in tuum honorem, aut ad vina a te inventa, hoc est, inter bibendum.

3 Inter quos, memini, dum me mea fata sinebant,
Non invisa tibi pars ego saepe fui;
4 Quem nunc suppositum stellis Cynosuridos Vrsae
Iuncta tenet crudis Sarmatis ora Getis.
5 Quique prius mollem, vacuamque laboribus, egi
In studiis vitam, Pieridumque choro;
6 Nunc procul a patria Geticis circumsonor armis,
Multa prius pelago, multaque passus humo.
7 Sive mihi casus, sive hoc dedit ira Deorum;
Nubila nascenti seu mihi Parca fuit:
8 Tu tamen e sacris hederae cultoribus unum
Numine debueras sustinuisse tuo.
9 An dominae fati quidquid cecinere Sorores,
Omne sub arbitrio desinit esse Dei?
10 Ipse quoque aetherias meritis invectus es arces;
Qua non exiguo facta labore via est.
11 Nec patria est habitata tibi: sed ad usque nivosum
Strymona venisti, Marticolamque Geten:

3 *Dum me mea fata sinebant.* Dum non eram relegatus ab Augusto.

4 *Cynosuridos Vrsae.* Vrsa Minor *Cynosura* appellata est, ut Maior *Helice*, *Plaustrum*, et *Septentrio*.|| *Iuncta crudis Getis.* Iuncta torvis et crudelibus Getis.

7 *Sive casus.* Sive quaedam fortuna: Hoc est, seu casu vel ira Deorum, vel fato tot mala mihi obtigerunt. || *Fuit nubila.* Fuit obscura et irata.

8 *Sustinuisse.* Sustentasse, protexisse, defendisse.

9 *An dominae fati.* Parcas, dominas fati appellat, quoniam hae tres sorores dicuntur fatis praesse. Fato autem omnia fieri credebant Stoici, ut in libro *de Fato* docet Cicero.||*Sorores* Tres Parcae: *Lachesis*, *Clotho*, et *Atropos*. || *Sub arbitrio Dei.* Sub Dei voluntate. Nam fata ne ab ipsis quidem immutari posse existimabant. Vnde illud: *Fato stat Iuppiter ipse*.

10 *Ipse quoque aetherias.* Probat Bacchi exemplo, fata non esse sub Dei arbitrio, siquidem ille post maximos labores caelum ascendit.

11 *Nec patria* Thebas intellige. || *Strymona.* Strymon fluvius est, qui confinio Thraciae et Macedoniae ex Aemo decurrit. Ibi per aestum maxime grues morantur: unde Maro eas *Strymonias* appellavit.||*Marticolamque Geten.* Martis, id est, belli cupidos Thracas intelligit.

12 Persidaque, et lato spatiantem flumine Gangen;
Et quascunque bibit decolor Indus aquas.
13 Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcae
Stamina bis genito bis cecinere tibi.
14 Me quoque, si fas est exemplis ire Deorum,
Ferrea sors vitae difficilisque premit.
15 Illo nec levius cecidi, quem magna locutum
Reppulit a Thebis Iupiter igne suo.
16 Vt tamen audisti percussum fulmine vatem,
Admonitu matris condoluisse potes.
17 Et potes, adspiciens circum tua sacra poëtas,
Nescio quis nostri, dicere, cultor abest.
18 Fer, bone Liber, opem: sic altam degravet ulmum
Vitis, et incluso plena sit uva mero.
19 Sic tibi cum Bacchis Satyrorum gnava iuventus
Adsit, et attonito non taceare sono.

12 *Persidaque et lato spatiantem.* Persis tota altissimis vallatur montibus, initium capiens a portis Caspiis, qua iter in austrum, atque usque ad mare protenditur, quod ab ea Persicum est appellatum. || *Gangen* Ganges Indiae fluvius est, maximus omnium fluminum, quae in tribus continentibus memorantur. || *Decolor Indus.* Indiae populus niger, et mali coloris, ob nimium Solis ardorem.

13 *Nentes fatalia.* Fata nentes hominibus, seu nendo fata canentes. || *Bis genito.* Bis genitum appellat Bacchum, quoniam primum ex ventre Semeles, deinde ex femore Iovis in lucem venit: hinc *bimater* dictus.

14 *Me quoque.* Hoc dicit: Quemadmodum subiectus fuisti fatis, o Bacche, ut orbem peragrares, sic illa mihi hanc sortem dedere. || *Ferrea.* Dura, immitis, aspera.

15 *Quem magna locutum.* Capaneum designat, de quo abunde superius diximus. Porro *Magna loqui*, est superba loqui, sese iactare, verbis gloriari, sese efferre.

16 *Vatem.* Me tuum poëtam. || *Admonitu matris.* Ad Semelem Bacchi matrem referas, quae Iovis fulmine conflagravit: quemadmodum Poëta Augusti ictu prostratus est.

18 *Sic altam degravet.* Sic sit uvae copia maxima in tuis vitibus ulmum complexis: quod *maritare* appellant. || *Mero incluso.* Vino intus latenti. Hoc ideo dicit, quoniam Bacchus vini usum mortalibus tradidit.

19 *Sic tibi cum Bacchis.* Tradunt Bacchum in exercitu, mulie-

20 Ossa bipenniferi sic sint mala pressa Lycurgi;
Impia nec poena Pentheos umbra vacet.
21 Sic micet aeternum, vicinaque sidera vincat
Coniugis in caelo Cressa Corona tuae.
22 Huc ades, et casus releves, pulcherrime, nostros,
Vnum de numero me, memor, esse tuo.
23 Sunt Dis inter se commercia; flectere tenta
Caesareum numen numine, Bacche, tuo.
24 Vos quoque, consortes studii, pia turba, poëtae,
Haec eadem sumto quisque rogate mero.
25 Atque aliquis vestrûm, Nasonis nomine dicto,
Deponat lacrimis pocula mixta suis:
26 Admonitusque mei, cum circumspexerit omnes,
Dicat, Vbi est nostri pars modo Naso chori?
27 Idque ita; si vestrum merui candore favorem,
Nullaque iudicio litera laesa meo est:

rum copiam circumduxisse, armatam hastis pampinis involutis: Silenum quoque paedagogum ac nutritorem, qui ei plurimum ad virtutem et gloriam resque bellicas profuit: Satyrosque etiam, quorum opera in saltationibus ac tragoediis oblectabatur: eorum enim risu ac ioco vitam omnem felicem traducebat. || *Attonito non taceare sono.* Et sacrificiis celebreris, in quibus hominum clamore et strepitu cymbalorum ac tympanorum omnia resonabant.

20 *Ossa bipenniferi.* Sic male cubent. Insignes inter eos in quos animadvertit Bacchus, ferunt Graecum Penthea, et Lycurgum Thracem. Ovidius enim scribit Lycurgum Thracum regem fuisse, qui Bacchum Deum esse negabat, ob quod dum conaretur securi vites incidere, crura sibi amputavit. Vnde *bipennifer* appellatur. || *Vmbra Pentheos.* Penthei anima.

21 *Cressa corona.* Ariadnen a Theseo in Naxo insula destitutam Bacchus uxorem duxit.

22 *Pulcherrime.* Quia ipse Bacchus et Apollo semper iuvenes, imberbes, et virginea facie. || *Esse unum de tuo numero.* Me unum esse de tuis poëtis.

24 *Pia turba.* Quia sacri poëtae, utpote sacerdotes Musarum. || *Sumto mero.* Vbi libaveris pocula.

27 *Candore.* Mea integritate. || *Nullaque iudicio.* Si nullius vestrum carmen notavi unquam: aut, si in quemquam vestrum mordacem versum nunquam distrinxi.

28 Si, veterum digne veneror cum scripta virorum,
Proxima non illis esse minora reor.
29 Sic igitur dextro faciatis Apolline carmen.
Quod licet, inter vos nomen habete meum.

ELEGIA IV.

ARGVMENTVM. Epistolam ab Euxino litore Romam venisse, coramque laudare amici fidem, inducit Ovidius. Eum postremo precatur, ut se constanter defendat.

1 Litore ab Euxino Nasonis epistola veni,
Lassaque facta mari, lassaque facta via.
2 Qui mihi flens dixit, Tu, cui licet, adspice Romam
Heu quanto melior sors tua sorte mea!
3 Flens quoque me scripsit: nec qua signabar, ad os est
Ante, sed ad madidas gemma relata genas.
4 Tristitiae caussam si quis cognoscere quaerit;
Ostendi solem postulat ille sibi,
5 Nec frondem in silvis, nec aperto mollia prato
Gramina, nec pleno flumine cernit aquas:

28 *Proxima non illis.* Si arbitror proxima vestra carmina antiquis non esse inferiora. *Proxima* autem, aut vicina, aut nuper a vobis edita.

29 *Dextro Apolline.* Propitio Apolline. || *Nomen habete meum.* Solo nomine sim vobiscum, quandoquidem corpore non possum propter Augustum. Vel, mei memores estote.

2 *Qui flens* Qui Ovidius plorans. || *Cui licet.* Cui epistolae fas est: non enim es exsul, ut ego sum.

3 *Sed ad madidas gemma.* Intelligo annulum signatorium, cuius gemmae aliquod signum insculptum. Sed quid est, quod gemma illa ad os referebatur? Humectanda erat, quo aridae chartae facilius imprimeretur. Sed cur hic ad madidas genas? Quia manu sibi lacrimas abstergebat; inde et gemmam madefaciebat. Aut simpliciter, non linguae humore, ut fieri mos est, sed lacrimis gemmam tinxi.

4 *Ostendi solem postulat ille sibi.* Quasi dicat: caecus est, si tristitiae caussam non videt.

6 Quid Priamus doleat, mirabitur, Hectore rapto:
Quidve Philoctetes ictus ab angue gemat.
7 Di facerent utinam, talis status esset in illo,
Vt non tristitiae caussa dolenda foret.
8 Fert tamen, ut debet, casus patienter amaros:
More nec indomiti fraena recusat equi.
9 Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram,
Conscius in culpa non scelus esse sua.
10 Saepe refert, sit quanta Dei clementia; cuius
Se quoque in exemplis annumerare solet.
11 Nam quod opes teneat patrias, quod nomina civis;
Denique quod vivat, munus habere Dei.
12 Te tamen, o si quid credis mihi carior, ille,
Omnibus, in toto pectore semper habet:
13 Teque Menoetiaden, te qui comitavit Oresten,
Te vocat Aegiden, Euryalumque suum:
14 Nec patriam magis ille suam desiderat, et quae
Plurima cum patria sentit abesse sua;

6 *Mirabitur*. Afficietur admiratione, qui Priamum Hectoris mortem lugentem videt, et eius luctus caussam quaerit. Quibus verbis designat, non aliter hunc facere, quam eum, qui tristitiae suae caussam videt, et quaerit. || *Ictus ab angue*. Vel sagitta, veneno hydrae illita, percussus: vel revera a serpente ictus.

7 *In illo*. In Ovidio.

8 *Fert tamen*. Virtutis est, ut secundam fortunam moderate, ita adversam ferre patienter.

9 *Numinis*. Augusti. || *Conscius in culpa*. Haec unica caussa est spei, quam habet, aut condonandae, aut minuendae poenae.

10 *Saepe refert*. Saepe narrat Ovidius. || *Solet se annumerare*. Solet se unum ex his profiteri, in quos clemens fuit Augustus.

12 *Te tamen*. Ordo est: tamen, o amice, carior illi Nasoni omnibus amicis: si quid credis mihi, Ovidius semper habet te in pectore; et neminem perinde diligit.

13 *Menoetiaden*. Amicissimum: ut Patroclus, Menoetii filius, Achilli fuit. || *Te qui comitavit*. Te etiam eo amore prosequitur, quo Pilades, Oresten. || *Aegiden*. Theseum, Pirithoi amicum, Aegei filium. || *Euryalumque suum*. Nisi et Euriali amor notus est carmine Virgiliano.

14 *Et quae plurima*. Vxorem, fortunas, et alia id genus.

15 Quam vultus, oculosque tuos, o dulcior illo
Melle, quod in ceris Attica ponit apis!
16 Saepe etiam moerens tempus reminiscitur illud,
Quod non praeventum morte fuisse dolet.
17 Cumque alii fugerent subitae contagia cladis,
Nec vellent ictae limen adire domus;
18 Te sibi cum paucis meminit mansisse fidelem:
Si paucos aliquis tresve duosve vocat.
19 Quamvis attonitus, sensit tamen omnia; nec te
Se minus adversis indoluisse suis.
20 Verba solet, vultumque tuum, gemitusque referre,
Et, te flente, suos immaduisse sinus:
21 Quam sibi praestiteris, qua consolatus amicum
Sis ope: solandus cum simul ipse fores.
22 Pro quibus affirmat fore se memoremque piumque:
Sive diem videat, sive tegatur humo.
23 Per caput ipse suum solitus iurare tuumque,
Quod scio non illi vilius esse suo.
24 Plena tot ac tantis referetur gratia factis;
Nec sinet ille tuos litus arare boves.
25 Fac modo constanter profugum tueare: quod ille,
Qui bene te novit, non rogat; ipsa rogo.

15 *Attica apis.* Himettus mons est Atticae regionis, qui floribus semper vestitur. Hic (ut Stabo scribit) mel gignit optimum, quod cuncta bonitate superat.

16 *Tempus illud.* Quo una viximus.

17 *Contagia.* Consternationem. || *Subitae cladis.* Subiti exsilii. || *Ictae domus.* Domus Ovidii, Augusti ira percussae.

19 *Sensit tamen.* Tamen amicos omnes cognovit. || *Se.* Ipso Ovidio.

20 *Immaduisse.* Valde maduisse, quum scilicet in meo complexu haereres, et ubertim flens, lacrimis tuis eos perfunderes.

21 *Quam.* Subaudi, opem. Grata meritorum recordatio. || *Fores solandus.* Quia non minus ipso Ovidio doluisti.

22 *Sive diem videat.* Sive vivat.

24 *Nec sinet ille tuos.* Nec permittet te frustra apud illum collocasse beneficium. Ille enim *litus arat*, qui operam perdit, et frustra laborat.

25 *Ipsa rogo.* Ipsa epistola peto.

ELEGIA V.

Argumentum. Seipsum hortatur Ovidius ad celebrandum uxoris natalem, pro qua bene precatur, diemque laudat, qui eam elegantissimis moribus in lucem edidit. Et quamvis digna esset feliciori fortuna, eam tamen hortatur ut omnia aequo animo ferat; siquidem eius virtus, non nisi in adversis perspici possit. Denique Deos precatur, ut, si nolint sibi parcere, saltem uxori innocenti ignoscant.

1 Annuus assuetum dominae natalis honorem
Exigit: ite manus ad pia sacra meae.
2 Sic quondam festum Laërtius egerit heros
Forsan in extremo coniugis orbe diem.
3 Lingua favens adsit, longorum oblita malorum:
Quae, puto, dedidicit iam bona verba loqui.
4 Quaeque semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumatur fatis discolor alba meis.
5 Araque gramineo viridis de cespite fiat;
Et velet tepidos nexa corona focos.
6 Da mihi tura, puer, pingues facientia flammas,
Quodque pio fusum stridat in igne merum.
7 Optime natalis, quamvis procul absumus, opto
Candidus huc venias, dissimilisque meo.

1 *Ite manus.* Sacrificium facite.

2 *Laërtius heros.* Vlixes Laërtis filius. || *Diem.* Natalem uxoris Penelopes.

3 *Lingua favens.* Bonis verbis intenta. Quid autem sit *linguis favere*, diximus supra. || *Bona verba.* Verba laeta, et bene precantia, quibus antiqui die natalitio utebantur. || *Dedidicit.* Propter desuetudinem latine loquendi.

4 *Semel.* Meo tantum natali. Ordo est: Et vestis alba decolor meis fatis, quae semel sumitur mihi toto anno, sumatur. || *Discolor.* Contrarii, et quasi mali coloris. Fata mea, atra, infelicia.

5 *Araque gramineo.* Genio natalem celebrantes, aram erigebant, quam floreis sertis ornabant. Feminae vero Iunoni sacrificabant.

6 *Da mihi tura puer.* Tura, aliique etiam odores, eodem die urebantur.

7 *Candidus.* Felix.

17 Consilio, commune sacrum cum fiat in ara
Fratribus, alterna qui periere manu,
18 Ipsa sibi discors, tanquam mandetur ab illis,
Scinditur in partes atra favilla duas.
19 Hoc, memini, quondam fieri non posse loquebar:
Et me Battiades iudice falsus erat.
20 Omnia nunc credo: cum tu non stultus ab Arcto
Terga vapor dederis, Ausoniamque petas.
21 Haec igitur lux est: quae si non orta fuisset,
Nulla fuit misero festa videnda mihi.
22 Edidit haec mores illis Heroisin aequos,
Queis erat Eëtion Icariusque pater.
23 Nata pudicitia est, mores, probitasque, fidesque:
At non sunt ista gaudia nata die.
24 Sed labor, et curae, fortunaque moribus impar;
Iustaque de viduo paene querela toro.

17 *Consilio.* Sensus est: Cum certo consilio fiat commune sacrum fratribus, qui mutuis vulneribus perierunt, etc. || *In ara.* In rogo. Hoc autem exemplo ostendit, sensum esse igni in his sacris. || *Fratribus.* Eteocli et Polinici: bella nota sunt Diodori et Papinii monumentis; mutuis enim ictibus cecidere.

18 *Ipsa sibi discors.* Quum Polynicis cadaver impositum fuisset Eteoclis rogo, subito flamma discessit. || *Tanquam mandetur.* Tanquam flammae iniungatur, ut ita separetur.

19 *Battiades.* Callimachus poëta, qui hoc scripserat: scilicet, de fumo in duas partes eunte, in sacris Eteoclis et Polinicis.

20 *Ab Arcto.* Id est, a Septentrione. || *Terga dederis.* Fugeris Italiam versus, ubi erat poëtae uxor.

21 *Haec lux.* Hic dies natalitius. || *Nulla festa.* Nulla dies festa. || *Fuit videnda.* Quia si hoc die non nata fuisset uxor, illum non celebrarem. Et per hoc nullum prorsus festum in hac terra viderem.

22 *Illis Heroisin.* Illis claris et illustribus feminis, quas ipse poëta *heroidas* appellat. || *Eëtion.* Ad Andromachen Hectoris referatur, quae Eëtionis filia fuit. || *Icariusque pater.* Icarius pater fuit Penelopes.

23 *Nata pudicitia est, At non sunt ista.* Diem laudat, ut uxoris laudes aggerendo, ostendat sola gaudia ei defuisse. || *Paene iusta.* Quasi aequa. Nam quasi iuste queritur, quod mea caussa vidua sit.

25 Scilicet adversis probitas exercita rebus
Tristi materiam tempore laudis habet.
26 Si nihil infesti durus vidisset Vlixes;
Penelope felix, sed sine laude, foret.
27 Victor Echionias si vir penetrasset in arces,
Forsitan Evadnen vix sua nosset humus.
28 Cum Pelia tot sint genitae: cur nobilis una est?
Nupta fuit misero nempe quod una viro.
29 Effice, ut Iliacas tangat prior alter arenas:
Laodamia, nihil, cur referatur, erit.
30 Et tua, quod mallem, pietas ignota maneret,
Implessent venti si mea vela sui.
31 Dì tamen, et Caesar Dis accessure, sed olim,
Aequarint Pylios cum tua fata dies;
32 Non mihi, qui poenam fateor meruisse, sed illi
Parcite, quae nullo digna dolore dolet.

25 *Exercita.* Probata, quia probitas elucet rebus adversis, et iis famam acquirit. Hic autem refellit ea omnia, quae infelicitatis loco annumeraverat.

26 *Sine laude foret.* Sine laude pudicitiae, quam ipso absente, totis XX. annis conservavit, et reditum eius patienter expectavit.

27 *Victor.* Capaneum designat, de quo diximus. || *In arces Echionias.* In arces Thebanas. *Echion* enim fuit unus ex sociis Cadmi, qui cum eo Thebas condidit. || *Evadnen.* Vxorem Capanei: cuius mors nota est

28 *Cum Pelia tot sint genitae.* Pelias filius fuit Neptuni ex Tyro nympha filia Salmonei regis, ut scribit Homerus. Refert enim hanc consuevisse circa ripas Enipei fluminis delectari. Ex ea Neptunus genuit Peliam et Neleum. Peliae Thessaliae regis filiae fuerunt Asteropaea, Autonoë, Alcestis || *Cur nobilis una est?* Alcestem intelligit: quae se morti obtulit pro marito Admeto. || *Misero viro.* Infelici marito Admeto.

29 *Alter.* Quam Protesilaus: qui cum primus e navi in litus Troianum descendisset, primus de Graecis est interfectus: quicum nupta erat Laodamia. || *Laodamia nihil, cur.* Ordo est: nihil erit cur Laodamia referatur, id est, narretur in mariti amplexu periisse.

30 *Implessent venti.* Hoc est, si res meae secundae essent. Est autem a navigantibus sumta translatio.

32 *Sed illi parcite.* Sed uxori ignoscite.

ELEGIA VI.

ARGUMENTUM. Queritur Ovidius se ab amico deseri; illumque hortatur, ut in amicitia constanter persistat, quam antea coluerat.

1 Tu quoque, nostrarum quondam fiducia rerum,
Qui mihi confugium, qui mihi portus eras;
2 Tu quoque suscepti caussam dimittis amici,
Officiique pium tam cito ponis onus?
3 Sarcina sum, fateor; quam si tu tempore duro
Depositurus eras, non subeunda fuit.
4 Fluctibus in mediis navem, Palinure, relinquis?
Ne fuge; neve tua sit minor arte fides.
5 Numquid Achilleos inter fera praelia fidi
Deseruit levitas Automedontis equos?
6 Quem semel excepit, numquid Podalirius aegro
Promissam medicae non tulit artis opem?

2 *Officiique pium.* Munera amici sunt, tueri, et omni cura, opera, diligentia, gratia, quantum denique et quibus rebus possis, adiuvare.

3 *Sarcina sum.* Sum, inquit, tibi oneri et molestiae.

4 *Palinure.* Amice similis Palinuro, qui amicum deserit; ut ille navem in medio cursu destituit, ut docet Maro.|| *Ne fuge.* A me, deserendo caussam meam.|| *Neve fides sit minor tua.* Id est, non minus sit officium, quam fides erga me tua. Vel, tam esto fidus, quam es peritus: nec velis minus quam possis. Queritur ergo fide sola sibi ab amico servata, officium deesse, quum utramque rem amicus ab amico expectare debeat.

5 *Deseruit levitas.* Ipse Automedon levis fuisset, si in medio praelio currum Achillis, quem regebat, deseruisset.

6 *Quem semel excepit.* Curandum scilicet.|| *Podalirius.* Aesculapius filios reliquit Machonem, et Podalirium, qui arti paternae dediti, quum ad Troiam cum Agamemnone navigassent, plurimum Graecis in eo bello curandis summo studio vulneribus opitulati sunt, magnam ob id gloriam adepti.

7 Turpius eiitur, quam non admittitur hospes.
Quae patuit, dextrae firma sit ara meae.
8 Nil, nisi me solum, primo tutatus es; at nunc
Me pariter serva, iudiciumque tuum.
9 Si modo non aliqua est in me nova culpa; tuamque
Mutarunt subito crimina nostra fidem.
10 Spiritus hic, Scythica quem non bene ducimus aura,
Quod cupio, membris exeat ante meis;
11 Quam tua delicto stringantur pectora nostro,
Et videar merito vilior esse tibi.
12 Non adeo toti fatis urgemur iniquis,
Vt mea sit longis mens quoque mota malis.
13 Finge tamen motam: quoties Agamemnone natum
Dixisse in Pyladen verba proterva putas?
14 Nec procul a vero est, quod vel pulsarit amicum:
Mansit in officiis non minus ille suis.
15 Hoc est cum miseris solum commune beatis,
Ambobus tribui quod solet obsequium.

7 *Turpius eiicitur.* Probat non subeundum onus fuisse amicitiae, si illud depositurus erat: idque hospitis exemplo, cui turpius esse dicit, illum semel acceptum domo eiicere, quam si omnino nunquam accepisset. || *Ara.* Praesidium. Id est, tu ipse, ad quem confugi, firmus et constans sis.

8 *Nil nisi me solum.* Nihil mihi aliud praestitisti initio, nisi quod me contra obtrectatorum linguas defendisti. || *Tuum iudicium.* Tuam opinionem quam de me habebas.

9 *In me nova culpa.* Hoc ita a te peto, si nullo novo peccato me obstrinxi. || *Tuamque mutarunt.* Quae nova culpa coëgerit te a fide et officio desciscere. Nam amicitia cum improbis, odio digna et dissuenda est.

11 *Stringantur.* Vulnerentur, feriantur: Vel, perstringantur, seu leviter irritentur, laedantur. || *Merito.* Iuste, si te laesero. || *Vilior.* Quam solebam: vel, quam nunc.

12 *Non adeo toti.* Non sic oppressi sumus aerumnis, ut mente amplius non constemus; et stultum aut insanum aliquid perpetremus. || *Vt mea sit longis.* Vt aliquid adversum te committam, mentis perturbatione; attonitus videlicet malorum diuturnitate, et gravitate.

13 *Motam.* Mentem esse agitatam. || *Agamemnone natum.* Oresten. || *Verba proterva.* Convicia et contumelias in illum iactasse, ut insani solent.

14 *Ille.* Pilades.

15 *Hoc est cum miseris.* Hoc

16 Ceditur et caecis, et quos praetexta verendos,
Virgaque cum verbis imperiosa facit.
17 Si mihi non parcis, fortunae parcere debes.
Non habet in nobis ullius ira locum.
18 Elige nostrorum minimum minimumque laborum:
Isto, quo reris, grandius illud erit.
19 Quam multa madidae celebrantur arundine fossae,
Florida quam multas Hybla tuetur apes;
20 Quam multae gracili terrena sub horrea ferre
Limite formicae grana reperta solent;
21 Tam me circumstant densorum turba malorum.
Crede mihi; vero est nostra querela minor.
22 His, qui contentus non est; in litus arenas,
In segetem spicas, in mare fundat aquas.

dicit: Beati cum miseris hoc habent solum commune, quod utrisque obsequium praestari solet: quasi dicat, mihi misero obsequi debes: quandoquidem obsequimur ita miseris, ut etiam beatis || *Ambobus*. Et beatis et miseris. Illis propter auctoritatem, et spem beneficiorum; his propter humanitatem in illos, et misericordiam.

16 *Ceditur et caecis*. Solemus etiam obsequi et cedere de via, caecis transeuntibus.|| *Et quos praetexta*. Tertium genus hominum designat, quibus etiam obsequimur, et cedimus; hoc est, magistratus, et consules: quos designat per *praetextam* et *virgarum fasces*, qui a lictoribus praeferebantur. || *Imperiosa*. Plena imperii; vel, ostentatrix imperii. || *Virgaque*. Vide num Virga lictoris potius intelligenda sit hoc loco, qua ille obvios e via submovebat, cum fasces nihil iubere aut imperare soleant, sed insigne tantum magistratus sint.

17 *Si mihi non parcis*. Si te mei tanquam amici non miseret. || *Fortunae parcere debes*. Debes misereri fortunae meae infelicis. || *Non habet*. Solet enim usu venire, ut quos iniuriae invisos faciunt, gratiosos miseriae reddant.

18 *Isto quo reris*. Isto malo quod mihi tu obiicis.||*Illud*. Scilicet minimus de parte nostrorum laborum.

19 *Hybla florida*. *Hybla*, Vrbs seu mons fuit Siciliae, cuius ager floribus abundabat. Ibi autem erat optimi mellis copia.

20 *Gracili limite*. Angusto calle.

21 *Est minor vero*. Minor est ipsa veritate.

22 *His*. Scilicet, excusationibus quas adduxi. || *In litus arenas*. Qui me plura mala posse existimat, aut vellet habere his quae patior, ille

23 Intempestivos igitur compesce timores;
Vela nec in medio desere nostra mari.

ELEGIA VII.

ARGVMENTVM. Amico quaerenti quid agat in Scythia, respondet breviter Ovidius, se esse miserum. Postmodum Tomitanae regionis incolarum mores describit. Deinde dicit, studiis poëticis animum detineri, ac pasci, et se carminibus mala sua oblivisci.

1 Quam legis, ex illa tibi venit epistola terra,
Latus ubi aequoreis additur Ister aquis.
2 Si tibi contingit cum dulci vita salute;
Candida Fortunae pars manet una meae.
3 Scilicet, ut semper, quid agam, carissime, quaeris«
Quamvis hoc vel me scire tacente potes. (rum:
4 Sum miser: haec brevis est nostrorum summa malo-
Quisquis et offenso Caesare vivet, erit.
5 Turba Tomitanae quae sit regionis, et inter
Quos habitem mores; discere cura tibi est?
6 Mixta sit haec quamvis inter Graiosque Getasque;
A male pacatis plus trahit ora Getis.

maximo cumulo malorum meorum, maiorem etiam addit, et cupit quasi impossibilia.

23 *Intempestivos timores*. Dubia immatura. || *Igitur*. Quando premor tot malis. || *Vela nec in medio*. Hoc est, ne velis minus facere quam potes: ne similis videare gubernatori navis, qui cum possit et sciat servare sive regere navem, in medio cursu illam deserit.

1 *Latus Ister*. Spaciosus ille fluvius, de quo superius abunde diximus.

2 *Vita cum dulci*. Vita cum ipsa incolumitate: hoc est, si vivis, et vales. || *Candida*. Felix, prospera. || *Fortunae*. Sensus est: Si tu salvus et incolumis es, ego in fortuna mea aliqua fruar laetitia. Vel, ero aliqua ex parte beatus in ista mea miseria.

4 *Erit* Scilicet, miser.

6 *Inter Graiosque*. Graecorum enim colonia fuit Tomus, ut diximus supra. || *Plus trahit*. Similior est Getis, quam Graecis.

7 Sarmaticae maior Geticaeque frequentia gentis
Per medias in equis itque reditque vias.
8 In quibus est nemo, qui non coryton, et arcum,
Telaque vipereo lurida felle gerat.
9 Vox fera, trux vultus, verissima Martis imago:
Non coma, non ulla barba resecta manu.
10 Dextera non segnis fixo dare vulnera cultro,
Quem vinctum lateri barbarus omnis habet.
11 Vivit in his eheu! tenerorum oblitus amorum;
Hos videt, hos vates audit, amice, tuus!
12 Atque utinam vivat, sed non moriatur in illis!
Absit ab invisis et tamen umbra locis!
13 Carmina quod pleno saltari nostra theatro,
Versibus et plaudi scribis, amice, meis;
14 Nil equidem feci, ut scis hoc ipse, theatris:
Musa nec in plausus ambitiosa mea est. (stri
15 Nec tamen ingratum est, quodcumque oblivia no-
Impedit, et profugi nomen in ora refert.

7 *Sarmaticae maior.* Rationem assignat eius rei quam dixit, eam scilicet regionem habere plus barbariei, quam Graecitatis.

8 *Coryton.* Corytos theca arcus solius dicitur: sicut pharetra sagittarum. Hic vero *Coryton* pro pharetra posuit. || *Felle vipereo.* Felle serpentis; eo enim sagittas inficiunt Getae, ut docuimus. || *Lurida tela.* Tela supra modum pallida fellis aspergine.

10 *Fixo cultro.* Pro infixo. Cultri nomine aliquod genus sicae, aut pugionis intelligendum fortasse. || *Vinctum lateri.* Alligatum lateri.

12 *Absit ab invisis.* Hoc puto velle: Quod si etiam moriar in his locis, hoc tamen opto, ut saltem umbra mea hinc absit.

13 *Pleno theatro.* Magna hominum frequentia, qui recitationi meorum carminum intersunt in theatro.

14 *Nil feci theatris.* Nulla mihi re in theatro auram paravi. || *In plausus.* Vt recitationi meorum carminum plaudatur; quod fieri solebat, quum opus recitatum placuisset. || *Musa nec ambitiosa.* Non sum tam sitiens honoris. Carmine meo, plausum quaerere non soleo.

15 *Nec tamen ingratum.* Homini ingenuo displicere non debet, memoriam sui vigere apud alios: est enim illa quasi altera vita, et potest durare quam diutissime, quum haec, quam in corpore degimus, angustis finibus circumscribatur. || *In ora refert.* Quamquam

16 Quamvis interdum, quae me laesisse recordor,
Carmina devoveo, Pieridasque meas:
17 Cum bene devovi; nequeo tamen esse sine illis:
Vulneribusque meis tela cruenta sequor. (det
18 Quaeque modo Euboicis lacerata est fluctibus, au-
Graia Caphaream currere puppis aquam.
19 Nec tamen, ut lauder, vigilo, curamque futuri
Nominis, utilius quod latuisset, ago.
20 Detineo studiis animum, falloque dolores:
Experior curis et dare verba meis.
21 Quid potius faciam desertis solus in oris,
Quamve malis aliam quaerere coner opem?
22 Sive locum specto; locus est inamabilis; et quo
Esse nihil toto tristius orbe potest:
23 Sive homines; vix sunt homines hoc nomine digni:
Quamque lupi, saevae plus feritatis habent.
24 Non metuunt leges; sed cedit viribus aequum;
Victaque pugnaci iura sub ense iacent.
25 Pellibus et laxis arcent male frigora braccis;
Oraque sunt longis horrida tecta comis.

exsulis nomen per omnium ora volitare facit.

17 *Vulneribusque meis.* Ego acceptis vulneribus, nihilominus telis sanguine meo ante cruentatis me obiicio et offero, dum versus scribere non desisto.

18 *Fluctibus Euboicis.* Undis maris Aegei, quod Euboicam insulam alluit. || *Caphaream aquam.* Aqua eiusdem maris Aegaei. Quasi dicat: Audet iterum navigare per illud mare, in quo semel naufragium fecit. Est autem *Caphareus* mons Euboicae insulae, Hellespontum versus. Alludit autem Poëta ad naufragium illud, quod Graeci Troia redeuntes, circa Caphareum fecerunt, insultante illis Nauplio, propter caedem Palamedis.

22 *Locus inamabilis.* Inamoenus et horridus.

23 *Sive homines.* Subaudi, specto.

24 *Sed cedit viribus aequum.* Nullum ius armis est potentius: et quisquis viribus praestat, is aequiora semper et facere et dicere existimatur.

25 *Pellibus.* Rhenonibus et braccis. Ceterum ex loco notabis obiter, non solum subligacula, bracas dici, sed et laxiores vestes, longioresque: talibus enim frigora arce-

26 In paucis remanent Graiae vestigia linguae:
Haec quoque iam Getico barbara facta sono.
27 Vnus in hoc populo nemo est, qui forte Latine
Quaelibet e medio reddere verba queat.
28 Ille ego Romanus vates, ignoscite, Musae,
Sarmatico cogor plurima more loqui.
29 En pudet, et fateor; iam desuetudine longa
Vix subeunt ipsi verba Latina mihi.
30 Nec dubito, quin sint et in hoc non pauca libello
Barbara: non hominis culpa, sed ista loci.
31 Ne tamen Ausoniae perdam commercia linguae,
Et fiat patrio vox mea muta sono;
32 Ipse loquor mecum, desuetaque verba retracto;
Et studii repeto signa sinistra mei.
33 Sic animum tempusque traho: meque ipse reduco
A contemplatu, submoveoque, mali.
34 Carminibus quaero miserarum oblivia rerum,
Praemia si studio consequor ista, sat est.

ri solent, non iis, quas proprie braccas dici volunt.

27 *Qui forte Latine*. Qui possit esse interpres inter Latinum et Tomitanum. || *E medio reddere verba*. Vulgata, communi sermone trita, quotidiana.

31 *Ausoniae perdam commercia linguae*. Ne usum linguae Latinae perdam. || *Vox mea*. Mea verba. || *Sono*. Latino meo sermone. || *Et fiat*. Et ut retineam pronuntiationem, quae patriae propria est.

32 *Desueta verba*. Verba iamdiu a me intermissa.

33 *Sic animum tempusque traho*. Eo modo animus quiescit, et fallitur, et tempus ita producitur. || *Reduco*. Removeo tantisper a molestiis.

34 *Praemia si studio*. Satis magnum praemium me arbitror consecutum, si tranquillitatem animi subinde carminibus faciendis adipiscar.

ELEGIA VIII.

Argumentum. Inimicum sibi insultantem monet Poëta, ut, memor fortunae variae, minime laetetur ipsius exilio et ruina; quandoquidem possit contingere, ut in patriam redeat, illumque videat graviori quadam caussa fugatum.

1 Non adeo cecidi, quamvis abiectus, ut infra
Te quoque sim; inferius quo nihil esse potest.
2 Quae tibi res animos in me facit, improbe? curve
Casibus insultas, quos potes ipse pati?
3 Nec mala te reddunt mitem placidumve iacenti
Nostra, quibus possint illacrimare ferae?
4 Nec metuis dubio Fortunae stantis in orbe
Numen, et exosae verba superba Deae?
5 Exiget ah! dignas ultrix Rhamnusia poenas!
Imposito calcas quid mea fata pede?
6 Vidi ego, naufragiumque, viros et in aequore mergi;
Et, Nunquam, dixi, iustior unda fuit.
7 Vilia qui quondam miseris alimenta negarat,
Nunc mendicato pascitur ipse cibo.
8 Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco.

1 *Cecidi.* Prostratus sum. || *Inferius.* Vilius, et magis abiectum.

4 *In orbe dubio.* In orbe ubi omnia incerta sunt. || *Fortunae numen.* Fortuna enim non modo caeca existimata fuit, sed etiam vaga, inconstans, incerta, et varia.

5 *Vltrix Rhamnusia.* Rhamnusia, quam Graeci *Nemesin* vocant, Dea indignationis credebatur. Indignabatur enim contra superbos et elatos. || *Imposito calcas.* Quid me abiectum et exsulem usque adeo despicis, tanquam vile lutum, quod pedibus ingredientium perealcatur?

6 *Et, Nunquam, dixi.* Quasi dicat: Nunquam malo alieno gavisus fui.

7 *Vilia qui quondam.* Vidi etiam, inquit, divitem redactum ad id inopiae, ut mendicaret.

8 *Passibus ambiguis.* Incerto gressu. Fortuna enim incerta est. || *Tenaxque.* Et firma.

9 Sed modo laeta manet, vultus modo sumit acer-
Et tantum constans in levitate sua est. (bos;
10 Nos quoque floruimus, sed flos erat ille caducus;
Flammaque de stipula nostra brevisque fuit.
11 Neve tamen tota capias fera gaudia mente;
Non est placandi spes mihi nulla Dei.
12 Vel quia peccavi citra scelus; utque pudore
Non caret, invidia sic mea culpa caret:
13 Vel quia nil ingens ad finem solis ab ortu,
Illo, cui paret, mitius orbis habet.
14 Scilicet, ut non est per vim superabilis ulli,
Molle cor ad timidas sic habet ille preces.
15 Exemploque Deûm, quibus accessurus et ipse est,
(Cum poenae venia plura roganda petam.)
16 Si numeres anno Soles et nubila toto,
Invenies nitidum saepius isse diem.
17 Ergo, ne nostra nimium laetere ruina,
Restitui quondam me quoque posse puta.

10 *Nos quoque floruimus.* Virtute, nobilitate, honoribus. || *Flammaque de stipula.* Alia comparatione felicitatis suae brevitatem ante oculos ponit.

11 *Non est nulla.* Est aliqua. || *Dei.* Caesaris.

12 *Vel quia peccavi.* Rationem assignat quare speret Caesarem leniri posse. || *Citra scelus.* Sine scelere; sed errore et imprudentia. || *Vtque pudore Non caret.* Et ut meum crimen non caret ignominia. Non enim ipse quidquam pudendum designarat; sed pudendum et turpe viderat.

13 *Vel quia nil ingens.* Ordo est: Vel quia ingens orbis habet nil mitius. || *Illo.* Scilicet Caesare. || *Cui paret.* Cui ipse orbis subiectus est.

14 *Molle cor.* Cor facile et placabile. || *Ad preces timidas.* Ad humiles preces.

15 *Exemplo Deûm.* Deorum exemplo, qui solent veniam mortalibus concedere. Aut, qui magis prosint, quam obsint. || *Et ipse.* Etiam ipse Augustus. || *Est accessurus.* Est perventurus in numerum Deorum. || *Cum venia poenae.* Vt mihi ignoscat. || *Plura roganda.* Plura quam ab eo petiturus sum: hoc est, petam ab eo ut mihi ignoscat, et alia quaedam.

16. *Si numeres anno Soles.* Ostendit, Deos plus de mortalibus bene mereri.

18 Posse puta fieri, lenito Principe, vultus
Vt videas media tristis in Vrbe meos:
19 Vtque ego te videam caussa graviore fugatum.
Haec sunt a primis proxima vota mihi.

ELEGIA IX.

ARGVMENTVM. Laudat amici fidem, fateturque se eius beneficio vitam ducere, simulque gratias agit. Postremo dicit se libenter eius beneficia nota omnibus facturum fuisse, si ille suis se scriptis nominari pateretur.

1 O tua si sinceres in nostris nomina poni
Carminibus; positus quam mihi saepe fores!
2 Te solum meriti canerem memor; inque libellis
Crevisset sine te pagina nulla meis.
3 Quid tibi deberem, tota sciretur in Vrbe:
Exsul in amissa si tamen Vrbe legor.
4 Te praesens mitem, te nosset serior aetas:
Scripta vetustatem si modo nostra ferent.
5 Nec tibi cessaret doctus benedicere lector:
Hic tibi servato vate maneret honor.
6 Caesaris est primum munus, quod ducimus auras:
Gratia post magnos est tibi habenda Deos.

19 *Vtque ego te videam*. Subaudi, et puta posse fieri. || *Fugatum*. In exsilium pulsum, ob maius delictum quam sit meum. || *Haec vota*. Scilicet, ut videam te graviore caussa fugatum. || *Sunt proxima*. Sunt secunda. || *A meis primis*. Post prima mea vota

2 *Te canerem solum*. Non hoc praecise accipiendum, quasi neminem praeterea cantanturus esset; sed prae omnibus et effusius hunc. || *Crevisset sine te*. Omnibus paginis te celebrassem.

3 *Exsul legor*. Per Metonimiam. Si populus Romanus dignatur exsulis scripta legere.

4 *Ferent vetustatem nostra scripta*. Sint ad posteros perventura.

5 *Servato vate*. Me Ovidio a te conservato. || *Maneret honos*. Hunc tibi honorem conciliarem.

6 *Quod ducimus auras*. Quod vivimus. || *Post magnos Deos*. Post

7 Ille dedit vitam; tu, quam dedit ille, tueris:
Et facis accepto munere posse frui.
8 Cumque perhorruerit casus pars maxima nostros,
Pars etiam credi pertimuisse velit,
9 Naufragiumque meum tumulo spectarit ab alto,
Nec dederit nauti per freta saeva manum;
10 Seminecem Stygia revocasti solus ab unda. (est.
Hoc quoque, quod memores possumus esse, tuum
11 Dî tibi se tribuant cum Caesare semper amicos:
Non potuit votum plenius esse meum.
12 Haec meus argutis, si tu paterere, libellis
Poneret in multa luce videnda labor. (te
13 Se quoque nunc, quamvis est iussa quiescere, quin
Nominet invitum, vix mea Musa tenet.
14 Vtque canem pavidae nactum vestigia cervae
Luctantem frustra copula dura tenet;
15 Vtque fores nondum reserati carceris acer
Nunc pede, nunc ipsa fronte, lacessit equus;
16 Sic mea, lege data vincta atque inclusa, Thalia
Per titulum vetiti nominis ire cupit.

Iovem et Augustum. Vel, Deos appellat Augustum et eius liberos.

7 *Tueris.* De cura vitae illius in exsilio, et sumptibus suppeditatis hoc possumus interpretari. || *Accepto munere.* Accepta vita.

8 *Perhorruerit nostros casus.* Exsilium meum. || *Pars etiam credi.* Quum etiam quidam non veri amici simularent timere, quum tamen nihil timerent.

10 *Seminecem.* Nimiopere afflictus, ne penitus interirem effecisti. Solus post Augustum servasti me. || *Tuum est.* Quia si non viveremus, non possemus esse memores.

11 *Plenius esse.* Quam precari, ut Dii cum Caesare tibi sint amici et propitii.

12 *Haec.* Beneficia. || *Argutis.* Eruditis, nec vulgariter scriptis.

13 *Vix se tenet.* Vix se cohibet.

14 *Dura copula tenet.* Copula hic pro eo fune accipitur, quo canes a venatoribus alligati ducuntur: vulgo *lassum* appellant. Cingulum vero circum collum, *melium* appellat Varro in *Re rustica* lib. II.

15 *Nondum reserati carceris.* Nondum aperti termini, unde equi incipiunt currere.

16 *Vincta.* Ligata: imperato scilicet sibi silentio. || *Vetiti.* Abs te

17 Ne tamen officio memoris laedaris amici,
Parebo iussis, parce timere, tuis.
18 At non parerem, nisi si meminisse putares.
Hoc quod non prohibet vox tua; gratus ero.
19 Dumque, quod o breve sit! lumen solare videbo;
Serviet officio spiritus iste tuo.

ELEGIA X.

ARGVMENTVM. Tres annos se in Ponto egisse scribit Poëta; eos tamen sibi decem videri: idque loci asperitate, et difficultatibus, quas deinde subiungit.

1 Vt sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister:
Facta est Euxini dura ter unda maris.
2 At mihi iam videor patria procul esse tot annis,
Dardana quot Graio Troia sub hoste fuit.
3 Stare putes; adeo procedunt tempora tarde:
Et peragit lentis passibus annus iter.
4 Nec mihi solstitium quidquam de noctibus aufert:
Efficit angustos nec mihi bruma dies.

vetiti, qui non pateris nomen tuum in carminibus meis poni.

17 *Nec tamen officio.* Grave est laedi ab amico, et per officium accipere detrimentum.

18 *Nisi meminisse.* Me non recordari tui. || *Non prohibet vox.* Gratam animi recordationem non vetas.

19 *Lumen solare.* Lucem solis; id est, vitam.

1 *Ter frigore constitit.* Ter frigore concrevit. Quibus verbis tertiam hiemem, hoc est, tertium annum designat.

2 *Dardana quot Graio.* Decem annos designat, quibus Graeci Troiam oppugnarunt.

3 *Stare putes.* Credas tempora non labi.

4 *Nec mihi solstitium.* Solstitium dicitur, quasi solis statio, quum sol ultra non progreditur, sed retrocedere incipit. Sunt autem duo solstitia: alterum aestivum, de quo hic intelligit Ovidius; id est, octavo Calendas Iulii: alterum hiemale, octavo Calendas Ianuarii, sole in Capricornum transitum faciente. || *Quidquam de noctibus aufert.* Quamvis enim noctes eo tempore sint breviores, longiores tamen Ovi-

5 Scilicet in nobis rerum natura novata est;
Cumque meis curis omnia longa facit.
6 Num peragunt solitos communia tempora motus,
Suntque magis vitae tempora dura meae?
7 Quem tenet Euxini mendax cognomine litus,
Et Scythici vere terra sinistra freti.
8 Innumerae circa gentes fera bella minantur;
Quae sibi non rapto vivere turpe putant.
9 Nil extra tutum est: tumulus defenditur aegre
Moenibus exiguis, ingenioque loci.
10 Cum minime credas, ut aves, densissimus hostis
Advolat, et praedam vix bene visus agit.
11 Saepe intra muros clausis venientia portis
Per medias legimus noxia tela vias.
12 Est igitur rarus, qui rus colere audeat: isque
Hac arat infelix, hac tenet arma manu.
13 Sub galea pastor iunctis pice cantat avenis;
Proque lupo pavidae bella verentur oves.
14 Vix ope castelli defendimur: et tamen intus
Mixta facit Graiis barbara turba metum.
15 Quippe simul nobis habitat discrimine nullo
Barbarus; et tecti plus quoque parte tenet.

dio videbantur. Quod his accidit, qui gravi aliqua cura conficiuntur. || *Bruma*. Solstitium hiemale. || *Angustos dies*. Breves dies. Eo enim tempore et noctes sunt longae, et dies breves.

5 *Novata est*. Quia omnia mihi videntur mutata, et se aliter quam prius habere.

7 *Quem tenet Euxini*. Incommoda commemorat, ut probet, tempora ita sibi videri propter vitae infelicitatem. || *Quem*. Scilicet me. || *Mendax cognomine*. Quia potius est inhospitalis. Quid *Euxinus* significet, diximus supra. || *Vere terra sinistra*. Vere terra ut in sinistra parte sita, sic etiam infelix.

8 *Quae sibi*. Herodotus, in recensendis Thracum moribus, docet, eos e bello atque rapto vivere pulcherrimum ducere.

9. *Ingeniòque loci*. Situ et natura loci || *Legimus*. Colligimus.

14 *Barbara turba*. Getae, qui una cum Graecis Tomon habitant.

15 *Quippe simul nobiscum*. Dolet non modo, quod secum Barbarus in eadem domo; sed quod e-

16 Quos ut non timeas, possis odisse videndo
Pellibus et longa tempora tecta coma.
17 Hos quoque, qui geniti Graia creduntur ab urbe,
Pro patrio cultu Persica bracca tegit.
18 Exercent illi sociae commercia linguae.
Per gestum res est significanda mihi.
19 Barbarus hic ego sum; quia non intelligor ulli:
Et rident stolidi verba Latina Getae.
20 Meque palam de me tuto mala saepe loquuntur:
Forsitan obiiciunt exsiliumque mihi.
21 Vtque fit, in me aliquid, si quid dicentibus illis
Abnuerim quoties annuerimque, putant.
22 Adde, quod iniustum rigido ius dicitur ense:
Dantur et in medio vulnera saepe foro.
23 O duram Lachesin, quae tam grave sidus habenti
Fila dedit vitae non breviora meae!
24 Quod patriae vultu, vestroque caremus amici;
Quotque hic in Scythicis finibus esse queror;
25 Vtraque poena gravis; merui tamen Vrbe carere;
Non merui tali forsitan esse loco. (tam
26 Quid loquor, ah! demens? ipsam quoque perdere vi-
Caesaris offenso numine dignus eram.

tiam maiorem domus partem habitet.

16 *Quos ut non timeas.* Quos quamvis non metuas. || *Pellibus.* Rhenonibus.

17 *Bracca Persica.* Vestis illa, qua utuntur etiam Persae. || *Pro patrio cultu.* Pro habitu Graeco, qui est cultior et civilior.

18 *Illi.* Getae et Graeci. || *Per gestum.* Vt faciunt muti.

19 *Stolidi.* Stupidi, nullius iudicii, bardi.

21 *Illis dicentibus.* Illis Barbaris aliquid per risum obiicientibus. || *Abnuerim.* Capite negaverim. || *Annuerim.* Affirmaverim.

23 *O duram Lachesin.* Clotho, Atropos, Lachesis, tres Parcae, quae fatis hominum dispensandis praeesse finguntur. || *Tam grave.* Tam infelici sidere nato. || *Fila dedit.* Quae mihi vitam producit ad miseriam.

25 *Vtraque poena gravis.* Et carere scilicet amicorum consuetudine, et in Scythia vivere. || *Esse.* Vivere. || *Forsitan.* Ne absolute affirmando Caesarem offendat, et iniustitiae coarguat.

ELEGIA XI.

Argumentum. Dolet Poëta, Vxorem ab inimico iurgiis lacessitam, exsulisque uxorem vocatam; eamque hortatur, ut omnia patiatur, quando quidem Augustus se non exsulem, sed relegatum nominavit.

1 Quod te nescio quis per iurgia dixerit esse
Exsulis uxorem, litera questa tua est.
2 Indolui; non tam mea quod fortuna male audit,
Qui iam consuevi fortiter esse miser;
3 Quam quia, cui minime vellem, sim caussa pudoris:
Teque rear nostris erubuisse malis.
4 Perfer, et obdura: multo graviora tulisti,
Cum me surripuit Principis ira tibi.
5 Fallitur iste tamen, quo iudice nominor exsul.
Mollior est culpam poena secuta meam.
6 Maxima poena mihi est, ipsum offendisse: priusque
Venisset mallem funeris hora mihi.
7 Quassa tamen nostra est, non fracta, nec obruta puppis:
Vtque caret portu; sic tamen exstat aquis.
8 Nec vitam, nec opes, nec ius mihi civis ademit;
Quae meruit vitio perdere cuncta meo.

1 *Per iurgia.* Inter iurgia. || *Nescio quis.* Sic per contemptum quandoque loqui solemus, quum indignum aestimamus eum, ut nominemus.

2 *Consuevi.* Quanquam ista contumelia in uxorem iacta etiam ad maritum derivabatur; tamen quia usu longo iam didicerat miser esse, minus ea sentiebat.

4 *Multo graviora.* Amittere potuisti virum, nec mortua es; tolera etiam verbum mordax propter virum.

5 *Mollior.* Placidior, mitior.

6 *Ipsum.* Me offendisse Caesarem. || *Offendisse.* Laesisse. || *Prius.* Prius quam ego Caesarem offendi. Haec enim sententia Poëtae est.

7 *Quassa tamen.* Hoc exsilium est mihi instar procellae, quo agitor, non submergor. Summersus fuissem, si me interemisset. || *Vtque caret portu. Portum*, intelligit reductionem.

8 *Ademit.* Sed concessit mihi illa. || *Vitio meo.* Meo errore.

9 Sed quia peccato facinus non adfuit illi,
Nil nisi me patriis iussit abesse focis.
10 Vtque aliis, numerum quorum comprendere non est,
Caesareum numen, sic mihi, mite fuit.
11 Ipse relegati, non exsulis, utitur in me
Nomine: tuta suo iudice caussa mea est.
12 Iure igitur laudes, Caesar, pro parte virili
Carmina nostra tuas qualiacunque canunt.
13 Iure Deos, ut adhuc caeli tibi limina claudant,
Teque velint sine se, comprecor, esse Deum.
14 Optat idem populus. Sed ut in mare flumina vastum,
Sic solet exiguae currere rivus aquae.
15 At tu fortunam, cuius vocor exsul ab ore,
Nomine mendaci parce gravare meam.

9 *Nil iussit.* Nulla me alia poena affecit. || *Patriis abesse focis.* Iussit solum vertere. *Focus* pro domo.

10 *Vtque aliis.* Subaudi, fuit mite, et placidum. || *Non.* Valet idem quod, Non licet, non potest.

11 *Tuta est.* Non potest perire. || *Suo iudice.* Augusto iudice. Is enim iudicavit me non exsulem, sed relegatum: quae poena mollior erat.

12 *Pro parte virili.* Quantum in ipsis est; quantae sunt eorum vires.

13 *Teque velint.* Id est, velint esse Deum non apud ipsos in caelo, sed nobiscum.

14 *Sed ut in mare flumina.* Hoc dicit: Ita meae, ut populi preces ad Deos perveniunt, quemadmodum et parva flumina mare ita ingrediuntur, ut magna.

15 *At tu fortunam.* Nunc vertit sermonem ad inimicum, per Apostrophen. || *Nomine mendaci.* Falso: non enim sum exsul, sed relegatus, quod minus est infame.

ELEGIA XII.

ARGVMENTVM. Amico hortanti ut aliquid scriberet, respondet Poëta, caussasque assignat, cur id sibi facere non liceat. Demum ostendit, se non posse teneri, quin semper aliquid componat; composita vero igni tradat.

1 Scribis ut oblectem studio lacrimabile tempus,
Ne pereant turpi pectora nostra situ. (laetum
2 Difficile est, quod, amice, mones: quia carmina
Sunt opus, et pacem mentis habere volunt.
3 Nostra per adversas agitur Fortuna procellas:
Sorte nec ulla mea tristior esse potest.
4 Exigis, ut Priamus natorum funere ludat,
Et Niobe festos ducat ut orba choros.
5 Luctibus, an studio videor debere teneri,
Solus in extremos iussus abire Getas?
6 Des licet hic valido pectus mihi robore fultum,
Fama refert Anyti quale fuisse reo;

1 *Vt oblectem studio.* Vt studio mulceam. || *Lacrimabile tempus.* Tempus hoc mei exsilii. || *Turpi situ.* Turpi ignavia. Quia ignavia et desidia, quibus ingenia velut putorem et situm contrahunt, ignominia et dedecore non carent.

3 *Per adversas agitur Fortuna.* Nihil frequentius Ovidio, quam conditionem suam comparare cum procellis, tempestatibus, etc.

4 *Festos choros.* Chorus multorum vocibus constat, ut docet Seneca et Macrobius. Est enim multitudo cantorum, ad musicum concentum conficiendum parata.

6 *Rei Anyti. Socratis*, quem *Anytus* accusavit. Tres enim fuere Socratis accusatores, *Melitus*, *Anytus*, et *Licon*. Melitus quidem ob poëtas ei infestus; Anytus ob artifices, atque reipublicae gubernatores; Licon denique gratia rhetorum. Accusatio autem habuit se ferme in hunc modum: Socrates iniuste agit, iuventutem depravans, ac Deos quos civitas putat, ipse non putans, sed alia quaedam nova daemonia. Plato docet eum tanta fuisse sapientia et fortitudine, ut noluerit pro se aut caussam dicere, aut quemquam precari.

7 Fracta cadet tantae sapientia mole ruinae.
Plus valet humanis viribus ira Dei.
8 Ille senex, dictus sapiens ab Apolline, nullum
Scribere in hoc casu sustinuisset opus.
9 Vt patriae veniant, veniant oblivia vestri;
Omnis ut admissi sensus abesse queat;
10 At timor officio fungi vetat ipse quieto.
Cinctus ab innumero me tenet hoste locus.
11 Adde, quod ingenium longa rubigine laesum
Torpet, et est multo, quam fuit ante, minus.
12 Fertilis, assiduo si non renovetur aratro,
Nil, nisi cum spinis gramen, habebit ager.
13 Tempore qui longo steterit, male curret, et inter
Carceribus missos ultimus ibit equos.
14 Vertitur in teneram cariem, rimisque dehiscit,
Si qua diu solitis cymba vacavit aquis.
15 Me quoque despero, fuerim cum parvus et ante,
Illi, qui fueram, posse redire parem.
16 Contudit ingenium patientia longa laborum:
Et pars antiqui magna vigoris abest. (bella est
17 Saepe tamen nobis, ut nunc quoque, sumta ta-
Inque suos volui cogere verba pedes:

7 *Fracta cadet tantae.* Non posset contra niti; sed tantae moli calamitatis succumberet

8 *Ille senex.* Ille Socrates.

9 *Vt veniant.* Quamvis veniant.

10 *At timor.* Timorem hostilem significat, quam rem statim declarat.

11 *Longa rubigine.* Longa componendi desuetudine. A ferro desumpta Metaphora.

12 *Fertilis, assiduo.* Inductio, quae docet, cessante usu res corrumpi; et per illum in vivacitate, vigoreque suo continuo conservari.

14 *Vacavit aquis.* Si in ripam subducta, diu haesit in arenis.

15 *Parvus et ante.* Cum nec ante magno fuerim ingenio, quando florebam: puto nunc me illi nec par habere. Dempsit calamitas.

16 *Contudit ingenium* Ingenium fregit. || *Patientia longa laborum.* Diu enim mala passus sum.

17 *Et nunc quoque sumta.* Nihilominus imperare mihi non potui quin scriberem.

18 Carmina scripta mihi sunt nulla, aut qualia cernis;
Digna sui domini tempore, digna loco.
19 Denique non parvas animo dat gloria vires ;
Et fecunda facit pectora laudis amor.
20 Nominis et famae quondam fulgore trahebar,
Dum tulit antennas aura secunda meas.
21 Non adeo est bene nunc, ut sit mihi gloria curae :
Si liceat, nulli cognitus esse velim.
22 An, quia cesserunt primo bene carmina, suades
Scribere, successus ut sequar ipse meos ?
23 Pace, novem, vestra liceat dixisse, Sorores ;
Vos estis nostrae maxima caussa fugae.
24 Vtque dedit iustas tauri fabricator aëni,
Sic ego do poenas artibus ipse meis.
25 Nil mihi debuerat cum versibus amplius esse ;
Sed fugerem merito naufragus omne fretum.
26 At, puto, si demens studium fatale retentem,
Hic mihi praebebit carminis arma locus. (rem,
27 Non liber hic ullus, non qui mihi commodet au-
Verbaque significent quid mea norit, adest.
28 Omnia barbariae loca sunt, vocisque ferinae,
Omnia sunt Getici plena timore soni.

21 *Non adeo est bene nunc.* Non tam prospere sunt in praesens res meas. || *Vt sit mihi gloria:* Vt sim gloriae cupidus, quia id tantum felices decet. || *Nulli cognitus.* Ob infamiam exsilii.

22 *An quia cesserunt.* Cum bene tibi processerint tua carmina prius, quare non pergis scribere, quamvis in exsilio? || *Successus.* Quia mihi male successit propter carmina.

23 *Novem Sorores.* Musae. || *Nostrae fugae.* Nostri exsilii.

24 *Tauri fabricator aëni.* Perilaus: de quo iam dictum est.

25 *Nil mihi debuerat.* Prudentis enim non est ad id redire, unde detrimentum acceperit.

26 *At puto.* Ironicè. || *Studium fatale.* Si regrediar ad studium meum, quod mihi fato quodam nocuit, inveniam arma carmini idonea. || *Retentem.* Repetam. || *Arma carminis.* Libros denotat, et ea quae subiungit.

29 Ipse mihi videor iam dedidicisse Latine:
Iam didici Getice Sarmaticeque loqui.
30 Nec tamen, ut verum fatear tibi, nostra teneri
A componendo carmine Musa potest.
31 Scribimus, et scriptos absumimus igne libellos.
Exitus est studii parva favilla mei.
32 Nec possum, et cupio non ullos ducere versus.
Ponitur idcirco noster in igne labor.
33 Nec nisi pars casu flammis erepta, dolove
Ad vos ingenii pervenit ulla mei.
34 Sic utinam, quae nil metuentem tale magistrum
Perdidit, in cineres Ars mea versa foret!

ELEGIA XIII.

ARGVMENTVM. Amicum hortatur, ut quandoquidem amoris multa olim pignora sibi dederit, nunc verbis et literis ne parcat. Quod si emendarit, dicit nihil ab eius amicitia amplius desiderandum esse.

1 Hanc tuus e Getico mittit tibi Naso salutem:
Mittere rem si quis, qua caret ipse, potest.
2 Aeger enim traxi contagia corpore mentis,
Libera tormento pars mihi ne qua vacet.
3 Perque dies multos lateris cruciatibus uror,
Et quod non modico frigore laesit hiems.
4 Si tamen ipse vales, aliqua nos parte valemus:
Quippe mea est humeris fulta ruina tuis.

31 *Parva favilla.* Parvus ignis, et cinis est fructus studii mei.

32 *Idcirco.* Hanc ob caussam: quia cupio versus facere, nec possum.

33 *Pars ingenii mei.* Metonimia: efficiens pro re effecta.

34 *Magistrum.* Me Ovidium.

E Getico. Subaudi, litore. || *Qua caret ipse.* Salutem ipsam denotat.

2 *Aeger.* Tristis. || *Traxi contagia mentis corpore.* Id est, ipsum corpus prae nimio mentis dolore coepit male valere. || *Tormento.* Cruciatu.

3 *Lateris cruciatibus.* Dolore: h. e. pleuritide vexor.

5 Qui mihi cum dederis ingentia pignora, cumque
Per numeros omnes hoc tueare caput;
6 Quod tua me raro solatur epistola, peccas:
Remque piam praestas, et mihi verba negas.
7 Hoc precor emenda; quod si correxeris unum,
Nullus in egregio corpore naevus erit.
8 Pluribus accusem; fieri nisi possit, ut ad me
Litera non veniat; missa sit illa tamen.
9 Dî faciant, ut sit temeraria nostra querela;
Teque putem falso non meminisse mei. (bur
10 Quod precor, esse liquet. Neque enim mutabile ro-
Credere me fas est pectoris esse tui.
11 Cana prius gelido desint absinthia Ponto,
Et careat dulci Trinacris Hybla thymo;
12 Immemorem quam te quisquam convincat amici.
Non ita sunt fati stamina nigra mei.

5 *Ingentia pignora*. Magnas significationes amoris. || *Per numeros omnes*. Per omnes modos. || *Hoc caput*. Me.

6 *Remque piam praestas*. Officio satisfacis, dum me tueris, meamque caussam agis; et interim dum raro scribis, verba mihi negas, absentem non alloqueris crebrius, quod non magni laboris foret. || *Verba*. Literas tuas.

7 *Hoc*. Ne neges mihi verba. || *Nullus naevus*. Naevus macula est, quae in homine nascitur. Hic vero per translationem pro macula amicitiae ponitur. Quasi dicat, nihil abs te requiram amplius, si hanc veluti ex formoso corpore labem aut maculam unicam sustuleris.

8 *Pluribus accusem*. Pluribus verbis officium tuum accusarem. || *Fieri nisi posset*. Nisi posset accidere. || *Litera*. Epistola tua.

10 *Quod precor*. Vt falso de te querar. || *Robur tui pectoris*. Mentis tuae constantiam in me amando, credere nequeo esse labefactatam.

11 *Absinthia cana*. Absinthii (auctore Plinio) genera sunt plura, inter quae est Ponticum, a Ponto appellatum, ubi pecora pinguescunt: et ob id sine felle reperiuntur. Neque aliquod praestantius, multumque Italico amarius. *Cana* autem ideo appellant, quoniam eius folia sunt cana, ut vulgo videre licet. || *Ponto gelido*. Ponticae regioni frigidae. Est enim in Septentrione. || *Hybla Trinacris*. Hybla civitas Siciliae. Trinacris autem Sicilia dicta est ab eius forma.

12 *Non sunt ita*. Non sunt ita

13 Tu tamen, ut falsae possis quoque pellere culpae
Crimina, quod non es, ne videare, cave:
14 Vtque solebamus consumere longa loquendo
Tempora, sermonem deficiente die;
15 Sic ferat ac referat tacitas nunc litera voces;
Et peragant linguae charta manusque vices;
16 Quod fore ne nimium videar diffidere, sitque
Versibus hic paucis admonuisse satis;
17 Accipe, quo semper finitur epistola verbo,
Atque meis distent ut tua fata; Vale.

ELEGIA XIV.

ARGVMENTVM. Vxori immortalitatem pollicetur Poëta; dicitque multas fore, quae, quamvis eam miseram esse existiment, illi tamen invideant, et eam felicem appellent: simulque ostendit, nihil a se maius praestari potuisse. Quod cum ita sit, eam hortatur ut in fide permaneat, ne a quoquam iure accusari possit: exemplisque etiam probat, eiusmodi fidem erga maritos nullo unquam aevo taceri solitam.

1 Quanta tibi dederint nostri monumenta libelli,
O mihi me coniux carior, ipsa vides.
2 Detrahat auctori multum Fortuna licebit;
Tu tamen ingenio clara ferere meo:
3 Dumque legar, mecum pariter tua fama legetur:
Nec potes in moestos omnis abire rogos.

infelicia, aut obscura, ut sit immemor amici.

13 *Crimina falsae culpae.* Vt falso dicaris amici immemor.

14 *Consumere longa.* In multas horas sermones caedere. || *Deficiente die.* In noctem usque.

15 *Peragant.* Munus linguae obeant, quod epistola solet efficere.

17 *Vt.* i. e. Vtinam.

2 *Detrahat.* Imminuat mihi. || *Tu tamen ingenio.* Versus ex ingenio meo profecti te illustrabunt.

3 *Non potes abire in moestos rogos.* Non potest fama tua penitus deleri, quemadmodum corpus absumitur rogo.

4 Cumque viri casu possis miseranda videri;
Invenies aliquas, quae, quod es, esse velint:
5 Quae te, nostrorum cum sis in parte malorum,
Felicem dicant, invideantque tibi.
6 Non ego divitias dando tibi plura dedissem.
Nil feret ad manes divitis umbra suos.
7 Perpetui fructum donavi nominis: idque
Quo dare nil potui munere maius, habes.
8 Adde, quod, ut rerum sola es tutela mearum,
Ad te non parvi venit honoris onus.
9 Quod nunquam vox est de te mea muta, tuique
Iudiciis debes esse superba viri.
10 Quae ne quis possit temeraria dicere, persta:
Et pariter serva meque piamque fidem.
11 Nam tua, dum stetimus, turpi sine crimine mansit,
Et laudem probitas irreprehensa tulit.
12 Par eadem nostra nunc est sibi facta ruina.
Conspicuum virtus hic tua ponat opus. (est;
13 Esse bonam facile est, ubi, quod vetet esse, remotum
Et nihil, officio, nupta, quod obstet, habet.

5 *Nostrorum malorum.* Meae calamitatis. || *In parte.* Cum mecum dolenter feras exsilium meum.

6 *Plura.* Quam dedi. Intelligit autem famae immortalitatem. || *Vmbra divitis.* Anima locupletis. Ex quo ostendit, pluris faciendam esse immortalitatem, quam divitias.

7 *Perpetui fructum.* Non intermorietur nomen tuum, propter aeternitatem scriptorum meorum.

8 *Es sola tutela.* Sola es gubernatrix. || *Mearum rerum.* Mearum fortunarum. || *Onus non parvi honoris.* Quasi dicat: Quamvis sit onus et labor res meas tueri, tamen erit magno honori.

9 *Nunquam est muta.* Semper loquitur in laudem tuam. || *Superba.* Nobilis: vel re vera plena fastus.

10 *Quae.* Scilicet, iudicia. || *Temeraria.* Falsa, et temere facta. || *Persta.* Persevera in amore coniugali.

11 *Dum stetimus.* Dum in Vrbe viximus et floruimus.

12 *Par eadem nostra.* In nostra ruina parem te ostendisti. Vel, parem eius demonstrandae occasionem habes. || *Conspicuum.* Quasi quandam statuam nunc tibi virtute tua erige, conspicuam omnibus. || *Virtus.* Tua fides coniugalis. || *Ponat.* Statuat in hac difficultate et ruina.

13 *Bonam.* Feminam et uxo-

14 Cum Deus intonuit, non se subducere nimbo,
Id demum pietas, id socialis amor.
15 Rara quidem virtus, quam non Fortuna gubernet;
Quae maneat stabili, cum fugit illa, pede.
16 Si qua tamen pretii sibi merces ipsa petiti,
Inque parum laetis ardua rebus adest;
17 Vt tempus numeres, per saecula nulla tacetur,
Et loca mirantur, qua patet orbis iter.
18 Adspicis, ut longo maneat laudabilis aevo
Nomen inexstinctum, Penelopea fides?
19 Cernis, ut Admeti cantetur, ut Hectoris uxor,
Ausaque in accensos Iphias ire rogos?

rem: sed virtus in arduis cernitur. || *Vbi*. Quando. || *Quod vetet esse*. Illud quod prohibet esse bonam uxorem. Quare dicit: Nihil prohibet te, quo minus sis mihi fida. || *Est remotum*. Est ademptum. Facile, inquit, nupta potest esse bona, quando ei id removetur, quod eam bona esse prohibet. || *Et nupta*. Et quando uxor.

14 *Cum Deus intonuit*. Quum adversi aliquid marito accidit.

15 *Quam*. Quasi dicat: Rari sunt, qui non sequantur fortunam potius quam virtutem. Ex quo designat esse difficile uxori in fide permanere, et fortunam mariti adversam non deserere. Solet enim usu venire, ut quo se fortuna, eo et favor hominum inclinet. || *Quae maneat*. Et virtus quae permaneat immutabilis, et rara. || *Cum fugit*. Quum fortuna aliquem deserit.

16 *Si qua tamen*. Subaudi, est virtus: hoc est, si quis bonus invenitur, quem non gubernet fortuna, sed virtus ipsa. Quia vix reperitur aliquis qui gratis velit esse probus. || *Pretii sibi merces ipsa petiti*. Ipsa virtus est pretium sui meriti: quia vir bonus non ducitur fortuna, nec aliud praemium quaerit, quam virtutem. Virtus enim per se appetitur. Quibus verbis denotat, optimam uxorem non debere mariti fortunam sequi, sed semper constanter in fide persistere; etiam in rebus illi adversis. || *In parum laetis*. In rebus adversis. || *Ardua*. Celsa, erecta, non ad fortunam inclinata.

17 *Tacetur*. Siletur virtus ipsa. Ea enim semper vivit, vigetque. || *Mirantur*. Eam virtutem admiratione prosequuntur. || *Qua patet*. Quocunque potest penetrare in toto orbe.

18 *Nomen*. Immortalem famam. || *Penelopea*. Fides Penelopes erga Vlixem.

19 *Admeti uxor*. Alcestis. Haec pro coniuge, qui rex erat Thessaliae, mortem sponte oppetiit, et ab Hercule ex inferis reducta est. ||

20 Vt vivat fama coniux Phylaceïa, cuius
Iliacam celeri vir pede pressit humum?
21 Nil opus est leto pro me, sed amore fideque.
Non ex difficili fama petenda tibi est.
22 Nec te credideris, quia non facis, ista moneri.
Vela damus, quamvis remige puppis eat.
23 Qui monet, ut facias, quod iam facis; ille monendo
Laudat, et hortatu comprobat acta suo.

Vt Hectoris. Andromache intellige, Etionis Thebarum in Cilicia regis filiam. || *Iphias.* Evadne, Iphiae filia.

20 *Phylaceïa.* Laodamia sic dicta a Phylace Phtioticae regionis Thessaliae urbe, quae sub eius mariti Protesilai imperio fuit, ut docet Strabo lib. IX. Vel a Protesilai avo Phylace, Iphicli patre.

21 *Nil opus est leto.* Quod ad exempla referendum: Alcestidis scilicet, quae pro marito Admeto mori sustinuit, ut est apud Euripidem: Evadnes, quae et ipsa rogum mariti conscendit, eodemque se cremari passa est: et Laodamiae, de cuius obitu et morte supra annotavimus, || *Non ex.* Nam ut moriaris pro aliquo, est petere nomen sibi ex difficili. Facilius enim est amare et fidem servare, quam mortem pro alio oppetere.

22 *Vela damus.* Quasi dicat: Haec amore magis impulsus ad te scribenda putavi, quam quod abitrarer te praeceptis et monitis egere.

23 *Laudat.* Te laude prosequitur. || *Et hortatu.* Et hortando laudat quidquid agis.

FINIS TRISTIVM.

P. OVIDII NASONIS

EPISTOLARVM

EX PONTO

LIBRI QVATVOR.

P. OVIDII NASONIS

EPISTOLARVM EX PONTO

LIBER PRIMVS.

EPISTOLA I.

BRVTO.

ARGVMENTVM. Ad Brutum Romanum scribens Ovidius e Tomitana urbe, et Pontica regione, ubi exsulabat, a qua opus *ex Ponto* appellavit; primo rogat, ut librum suum excipiat; deinde quid in eo contineatur, exponit.

1 Naso Tomitanae iam non novus incola terrae
Hoc tibi de Getico litore mittit opus.
2 Si vacat, hospitio peregrinos, Brute, libellos
Excipe, dumque aliquo, quolibet abde loco.
3 Publica non audent inter monumenta venire,
Ne suus hoc illis clauserit auctor iter.

1 *Naso.* Nasonum familiam a nasi magnitudine ita appellatam fuisse crediderim || *Tomitanae terrae.* Tomi civitatis, quae fuit in ora Pontica. || *Iam non novus incola.* Prope enim quadriennium ibi exegerat. || *Hoc opus.* Hunc de Ponto librum. || *De Getico litore.* De litore maris Euxini, quod Getae accolunt.

2 *Si vacat.* Si tempus vel locus est. || *Peregrinos libellos.* Hoc opus de Ponto, quod e peregrina regione Romam misi: non a peregrino, sed a familiari et noto scriptum. || *Quolibet abde loco.* Abscondas, inquit, eos ubivis, dummodo in aliquo loco arcano recondas, ne in publicum prodeant.

3 *Inter publica monumenta.* In-

4 Ah quoties dixi, certe nil turpe docetis!
Ite: patet castis versibus ille locus.
5 Non tamen accedunt: sed, ut adspicis ipse, latere
Sub Lare privato tutius esse putant.
6 Quaeris, ubi hos possis nullo componere laeso?
Qua steterant Artes, pars vacat illa tibi.
7 Quid veniant, novitate roges fortasse sub ipsa.
Accipe, quodcunque est, dummodo non sit amor.
8 Invenies quamvis non est miserabilis index,
Non minus hoc illo triste, quod ante dedi.
9 Rebus idem, titulo differt: et epistola cui sit
Non occultato nomine missa docet.
10 Nec vos hoc vultis, sed nec prohibere potestis:
Musaque ad invitos officiosa venit.

ter publica aliorum opera et scripta. || *Ne suus auctor.* Ne Ovidius ipse. Non audent, inquit, libelli in publicum prodire. || *Clauserit hoc iter.* Fecerit scribendo praecepta amatoria, ne hi quoque de Ponto libelli possint in publicum prodire. || *Illis.* Scilicet, libellis de Ponto.

4 *Castis versibus.* Versibus non lascivis. || *Ille locus.* Romana civitas, vel melius Apollinis Palatini templum et bibliotheca.

5 *Non tamen accedunt.* Nec tamen volunt in publicum venire. || *Sub Lare privato.* In domo et tutela privati hominis, ut apud te Brutum. Hic autem Ovidius *Larem*, Deum domesticum, pro domo ipsa posuit.

6 *Vbi possis componere.* Vbi possis collocare, et simul ponere. || *Hos.* Istos libellos de Ponto. || *Nullo laeso.* Nemine offenso: citra cuiusquam offensionem. || *Qua steterant artes.* Qua parte praecepta mea amatoria olim tuto servasti. || *Vacant tibi.* Vacua est tibi: vel, est locus tibi pro libellis meis.

7 *Quid veniant.* Cuius generis sint, quales veniant: hoc est, lasciva ne tractent, ut praecepta amatoria, an aliam materiam. || *Sub ipsa novitate.* Sub ipsa nova materia, et nuper edita || *Accipe, quodcunque est.* Accipe libros istos, qualemcunque materiam continentes. || *Dummodo non sit amor.* Dummodo non tractent lasciva.

8 *Non est miserabilis.* Non sit de Tristibus inscriptus. || *Non minus triste.* Non minus continens tristitiam. || *Hoc illo quod ante dedi.* Hoc ipso opere de Tristibus, quod edidi antequam hos libros de Ponto.

9 *Rebus idem.* Eadem est materia huius operis, quae est de Tristibus. || *Et epistola cui sit.* Differt etiam hoc opus ab eo de Tristibus: quoniam in hoc ad quem scripta sit epistola, titulus docet; id vero in opere de Tristibus supprimitur.

10 *Nec vos hoc vultis.* Nec vos

11 Quidquid id est, adiunge meis. Nihil impedit ortos
Exsule, servatis legibus, Vrbe frui.
12 Quod metuas non est. Antoni scripta leguntur:
Doctus et in promtu scrinia Brutus habet.
13 Nec me nominibus furiosus confero tantis.
Saeva Deos contra non tamen arma tuli.
14 Denique Caesareo, quod non desiderat ipse,
Non caret e nostris ullus honore liber.
15 Si dubitas de me; laudes admitte Deorum:
Et carmen demto nomine sume meum.
16 Adiuvat in bello pacatae ramus olivae:
Proderit auctorem pacis habere nihil?

vultis vestra nomina in hoc opere poni, propter Augusti metum. || *Ad invitos.* Ad vos amicos, qui velletis vestra nomina supprimi, ego tamen contra voluntatem vestram vos nomino. || *Officiosa.* Officii erga vos plena.

11 *Quidquid id est.* Qualecunque est hoc quod scribo in hoc opere. || *Adiunge meis.* Cum ceteris omnibus scriptis pone; vel, cum ceteris libris de Tristibus, a quibus hi nihil, nisi in his quae diximus, differunt, compara. || *Nihil impedit ortos Exsule.* Nihil refert, si ab exsule poëta sint compositi. || *Servatis legibus.* Non scribendo lasciva: id ne facerem, legibus cautum fuit. Est autem lex, ratio summa insita in natura, quae iubet ea quae facienda sunt, prohibet quae contraria.

12 *Quod metuas non est.* Nihil est quod Augustum timeas, si sumpseris hos libros de Ponto. || *Antoni scripta leguntur.* M. Antonius Triumvir librum quemdam edidit de *ebrietate.* Poëta vero probat exemplis non debere Brutum timere Augustum, eo quod hostium etiam scripta ille non prohibet in urbe legi. || *Doctus.* Brutus enim qui Iulium Caesarem occidit, vir fuit excellens omni genere laudis, et philosophiam Latinis literis prosecutus fuit. || *Habet in promtu.* Habet in facili et in aperto.

13 *Nominibus tantis.* Nominibus tantorum virorum. || *Furiosus.* Mentre captus, mihi non constans. || *Nec confero.* Nec comparo. || *Non tamen arma tuli.* Non tamen bella gessi, ut M. Antonius, et Brutus.

14 *Caesareo honore.* Laude Caesaris. || *Desiderat ipse.* Quod, scilicet ut laudetur a me, non cupit Augustus.

15 *Si dubitas de me.* Si dubitas mea caussa hos meos libellos excipere. || *Laudes admitte Deorum.* Excipe illos Augusti caussa, cuius laudes in illis continentur. || *Demto nomine.* Sine meo titulo.

16 *Adiuvat in bello.* Auxiliatur alicui oratori, et praestat, ut

17 Cum foret Aeneae cervix subiecta parenti,
Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.
18 Fert liber Aeneaden: et non iter omne patebit?
At patriae pater hic; ipsius ille fuit.
19 Ecquid ita est audax, ut limine cogat abire
Iactantem Pharia tinnula sistra manu?
20 Ante Deûm Matrem cornu tibicen adunco
Cum canit; exiguae quis stipis aera neget?
21 Scimus ab imperio fieri nil tale Dianae:
Vnde tamen vivat vaticinator habet.

est ad hostes impune. Si, inquit, oratori in bello solet prodesse olivae ramus, multo magis idem debet iuvare pacis autorem. || *Pacatae ramus*. Ramus olivae pacem significantis. || *Auctorem pacis*. Augustum, qui pacem orbi dedit. || *Habere*. Nempe, in meis libris. || *Nihil proderit*. Nihilne conferet? quasi dicat, multo magis conducet.

17 *Cum foret Aeneae*. Quum humeris patrem abstulisset Aeneas ex incendio Troiano. || *Dicitur ipsa viro*. Ipse ignis ardentis Troiae dicitur Aeneae patrem auferenti cessisse. Quibus verbis etiam a simili ostendit, Augusti caussa Brutum debere suscipere opus de Ponto, quandoquidem in eius magna parte contineantur Caesaris laudes.

18 *Aeneaden*. Augustum, ab Aenea oriundum, propter patrem Iulium Caesarem, qui genus suum ad Iulium Ascanium Aeneae filium referebat. || *At pater patriae hic*. Augustus est pater patriae. || *Ipsius ille*. Ille Anchises, non nisi Aeneae fuit pater.

19 *Vt limine cogat abire*. Vt Isidis sacerdotes sistra Aegyptia ferentes pellat e limine. || *Iactantem*. Isidis sacerdotem concutientem. || *Tinnula*. Sistra tinnitum et sonitum facientia. *Sistrum* erat instrumentum formae ovalis, et manubriatum, cum tribus vel quatuor virgulis transversalibus. || *Pharia*. Aegyptia; a Pharo, insula Aegypti.

20 *Ante Deûm matrem*. Quum matri Deorum canit tibicen inter sacrificandum. || *Adunco cornu*. Tibiam obliquam intellige, dextra parte unum, sinistra duo foramina habentem, quam Mida in Phrygia invenit, ut Plinius docet. || *Stipis*. Parvi nummi.

21 *Scimus*. Simpliciter expone: Vaticinator, Dianae nomine, exigit stipem sive pecuniam a consulentibus, sive iis quibus vaticinia reddit. Et tamen scimus ipsam Dianam nihil tale imperare, hoc est, haudquaquam iubere ut ille pecuniam ab hominibus auferat. Tamen unde se alat, non ei deest; ex benignitate videlicet oraculum consulentium. || *Imperio Dianae*. A Dianae Aricinae sacerdoti, qui rex dicebatur. || *Vnde tamen vivat vaticinator*. Tamen sacerdos Dianae, caussa Deae

22 Ipsa movent animos Superorum numina nostros;
Turpe nec est tali credulitate capi.
23 En ego pro sistro, Phrygiique foramine buxi,
Gentis Iuleae nomina sancta fero.
24 Vaticinor moneoque; locum date sacra ferenti :
Non mihi, sed magno poscitur ille Deo.
25 Nec, quia vel merui, vel sensi Principis iram,
A nobis ipsum nolle putate coli.
26 Vidi ego linigerae numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos.
27 Alter, ob huic similem privatus lumine culpam,
Clamabat media se meruisse via.

praedicendo futura, donatur victu et donis. Quibus verbis colligit ut sacerdotes coluntur, Deorum caussa, sic libros continentes Augusti laudes, minime esse ex urbe pellendos, summa veneratione.

22 *Ipsa movent animos.* Admonent mentes vatum: Vel, nos movent ad huiuscemodi religionem erga sacerdotes suos. || *Capi tali credulitate.* Credere Deos movere nostras mentes, et ideo poëtas ac eorum opera esse debere in observantia.

23 *Pro sistro, Phrygiique foramine buxi.* Pro sacerdotibus Isidis et Cybeles, quos per *sistrum et tibiam* e buxo designat. || *Gentis Iuleae.* Augusti ex gente Iulia oriundi, a Iulo Aeneae filio. || *Nomina sacra fero.* Complector in meis libellis sacrum Augusti nomen.

24 *Vaticinor.* Sum vates Apollinis et sacerdos. || *Moneoque.* Et doceo vos ita esse. Vel moneo vos, me vatum sacra nomina gentis Iuleae ferre in hoc meo de Ponto opere. || *Locum date.* Sinite me per urbem incedere. || *Ferenti sacra.* Mihi portanti nomina gentis Iuleae. || *Magno Deo.* Augusto Caesari. || *Ille.* Scilicet, locus.

25 *Nec quia vel merui.* Quamvis, inquit, in me Augustus sit iratus, non recusat tamen a nobis coli nostro carmine.

26 *Vidi ego.* Exemplis probat Deos placari, quum vident nocentes poenitere. Quibus verbis innuit, Augustum quoque fortasse ita facturum. || *Linigerae Isidis.* Isidis cuius sacerdotes lino tecti sacra Deae celebrabant. || *Sedere ante focos Isiacos.* Sedere ante altaria Isidis ei sacrificaturi, posteaquam post poenitentiam Dea placata illi veniam dedit.

27 *Alter.* Scilicet Isiacus sacerdos. || *Ob huic similem culpam.* Ob tale crimen. || *Privatus lumine.* Privatus oculis tanquam periurus. Quoties enim per Isidem iurantes fidem non servabant, putabantur a Dea oculorum visu privari.

28 Talia caelestes fieri praeconia gaudent;
Vt, sua quid valeant numina, teste probent.
29 Saepe levant poenas, ereptaque lumina reddunt;
Cum bene peccati poenituisse vident.
30 Poenitet o, si quid miserorum creditur ulli,
Poenitet, et facto torqueor ipse meo!
31 Cumque sit exsilium, magis est mihi culpa dolori:
Estque pati poenas, quam meruisse, minus.
32 Vt mihi Dî faveant, quibus est manifestior ipse;
Poena potest demi, culpa perennis erit.
33 Mors faciet certe, ne sim, cum venerit, exsul!
Ne non peccarim, mors quoque non faciet.
34 Nil igitur mirum, si mens mihi tabida facta
De nive manantis more liquescit aquae.
35 Estur ut occulta vitiata teredine navis:
Aequorei scopulos ut cavat unda salis:

28 *Talia praeconia.* Talem vocem fatentium eorum crimina, et se ita meritos. || *Quid valeant sua numina.* Quid possint Deorum vires. || *Teste.* Aliquo nocente, in quem animadverterint.

29 *Saepe levant poenas.* Saepe Dii poenas tollunt.

30 *Poenitet.* Doleo peccasse, et offendisse Augustum.

31 *Cumque sit.* Subaudi, dolori. || *Estque pati poenas.* Rationem assignat, cur magis doleat crimine, quam exsilio. Quia magis me angit peccatum meum, quam poena et exsilium. || *Quam meruisse.* Quam peccatum commisisse, quo videar dignus tali poena.

32 *Vt mihi Dî faveant.* Quamvis Dii sint mihi fautores, et mihi reditum in patriam concedant. || *Quibus est manifestior ipse.* In quibus Diis ipse Augustus magis apparet, quia a nobis videtur. Vivens enim divinos meruit honores. || *Poena.* Exsilium. || *Culpa perennis erit.* Crimen, quo Augustum laesi, nunquam poterit a me amoveri, licet possit Deus poenam tollere.

33 *Mors faciet certe.* Mors etiam poenam tollet. || *Mors quoque non faciet.* Duabus rationibus probavit se magis angi admisso crimine, quam poena: quia et Dii et mors possunt poenam tollere, crimen vero admissum nequaquam.

34 *Nil igitur mirum.* Ob praedictam caussam ostendit, mentem immodicis curis tabescere. || *Tabida.* Aegra et tristis. || *De nive manantis.* Contabescit animus meus, et dolore colliquescit, ut nix ad ardorem solis.

35 *Estur ut.* Quemadmodum consumitur. Per similitudines enim

36 Roditur ut scabra positum rubigine ferrum:
Conditus ut tineae carpitur ore liber:
37 Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent. (quent:
38 Nec prius hi mentem stimuli, quam vita, relin-
Quique dolet citius, quam dolor, ipse cadet.
39 Hoc mihi si Superi, quorum sumus omnia, cre-
Forsitan exigua dignus habebor ope; (dent;
40 Inque locum Scythico vacuum mutabor ab arcu.
Plus isto, duri, si precor, oris ero.

varias, mentem ostendit paulatim tabescere. || *Occulta teredine.* Corruptione: quaedam enim ligna aqua marina corrumpuntur, ut robur, esculus. Aut per *occultam teredinem*, teredinis corruptionem intelligit. Sunt enim vermes a terendo dicti. || *Vnda salis.* Vnda maris.

36 *Roditur ut scabra.* Alia etiam similitudo, qua dicit mentem consumi, ut ferrum rubigine. || *Positum.* Sine usu iacens. || *Liber conditus.* Liber servatus in arca aliqua. || *Carpitur.* Consumitur.

37 *Curarum morsus.* Curas *edaces* appellat Horatius.

38 *Quam vita.* Subaudi, relinquet. || *Quique dolet.* Seipsum per tertiam personam designat. Ille, inquit, qui dolet, citius occidet quam dolor ab eo discedat.

39 *Si Superi, quorum sumus.* Si Dii, in quorum sum potestate. Augustum autem latenter intelligit.

40 *In locum vacuum.* In locum carentem arcu Scythico: hoc est, in locum magis quietum, et remotum ab hac Scytharum asperitate. || *Mutabor.* Et transferar. || *Ab arcu Scythico.* Ab armis Getarum, qui peculiariter arcu utebantur, et subinde proxima loca Tomo infestabant, ut idem queritur elegia sequenti. || *Plus isto.* Rem maiorem hac, quam dixi, ut transferar. Hoc est: si precatus fuero reditum, non ut locus exsilii mutetur. || *Duri oris.* Inverecundi oris, petendo inhonesta.

EPISTOLA II.

MAXIMO.

ARGVMENTVM. In hac epistola primo captat benevolentiam a Fabii persona, eum laudando. Deinde illum attentum reddit, cum docet ea de quibus dicturus sit: hoc est, velle propria mala ingemiscere et exponere, quae multa esse narrat, hostium scilicet periculum, faciem loci, dolorem ex his rebus maximum, adeo ut cupiat mutari in aliquam aliam formam. Colligit postremo, se clementiae Caesaris confidere, ut exsilii locum mutare liceat. Petitque a Maximo, ut id solum, nec aliud tentet.

1 Maxime, qui tanti mensuram nominis imples,
Et geminas animi nobilitate genus;
2 Qui nasci ut posses, quamvis cecidere trecenti,
Non omnes Fabios abstulit una dies;
3 Forsitan haec a quo mittatur epistola quaeras;
Quique loquar tecum, certior esse velis.
4 Heu mihi! quid faciam? vereor, ne nomine lecto
Durus, et aversa cetera mente legas.
5 Viderit haec si quis; tibi me scripsisse fateri
Audebo, et propriis ingemuisse malis.

1 *Qui tanti mensuram nominis imples*. Qui nominis magnitudinem aequas, ac superas animi nobilitate. Per mensuram autem tanti nominis, *Maximi* appellationem intellige. || *Et geminas*. Et duplicas. || *Genus*. Maximorum familiam.

2 *Quamvis cecidere*. Bello Hetrusco, quod gestum est in Veientes. || *Non abstulit omnes Fabios*. Non prorsus omnes Fabios delevit. Vnus enim ex ea gente ob impuberem aetatem domi relictus, propagavit genus ad Q. Fabium, qui mora Hannibalem fregit. Quod factum a Diis fuisse dicit Ovidius, ut Fabius, ad quem scribit, nasceretur.

3 *Quique loquar tecum*. Qualis sim in scribendo, lascivusne, ut antea, an tristis et gravis: aut certe Ovidiusne, an alius.

4 *Durus*. Difficilis. || *Aversa mente*. Animo irato.

5 *Viderit haec si*. Si quis, in-

6 Viderit; audebo tibi me scripsisse fateri,
(Atque modum culpae notificare meae.)
7 Qui, cum me poena dignum graviore fuisse
Confitear; possum vix graviora pati.
8 Hostibus in mediis interque pericula versor:
Tanquam cum patria pax sit ademta mihi:
9 Qui, mortis saevo geminent ut vulnere caussas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.
10 His eques instructus perterrita moenia lustrat,
More lupi clausas circueuntis oves.
11 At semel intentus nervo levis arcus equino
Vincula semper habens irresoluta manet.
12 Tecta rigent fixis veluti vallata sagittis
Portaque vix firma submovet arma sera.
13 Adde loci faciem, nec fronde, nec arbore laeti;
Et quod iners hiemi continuatur hiems.

quit, haec quae scribo, videre et legere voluerit tecum. Aut, si quis providerit et curaverit haec apud Augustum, ne diutius verser in his malis Vt sit *videre*, pro *curare* et *providere*. || *Fateri audebo*. Audebo profiteri, me Ovidium haec scripsisse. || *Et propriis ingemuisse malis*. Quasi dicat: Audebo respondere, me haec scripsisse, ut propria mala ingemiscam. Ex quo attentum auditorem reddit, exponens ea de quibus dicturus sit.

6 *Modum meae culpae*. Modum mei supplicii, quod ex culpa sequitur. Vel modum culpae, hoc est, criminia mei qualitatem.

8 *Hostibus in mediis*. In mediis Getis, qui urbem infestant || *Tanquam cum patria*. Tanquam non solum patriam mihi ademerit Augustus, sed etiam pacem.

9 *Vt geminent caussas*. Vt duplici caussa et via letum afferant, ferro scilicet et veneno. || *Omnia spicula*. Omnia sagittarum acumina.

10 *More lupi clausas*. Ovilibus enim clausis obambulans lupus insidiari solet.

11 *Levis arcus*. Arcus mollis. Est enim exosse, quod lentum est et molle. || *Nervo equino*. E setis equinis confectus. || *Vincula irresoluta*. Nervum arcus semper tenti. Vel per *vincula* intelligit funes paratos ad ligandum captivos.

12 *Rigent*. Horrent. || *Veluti vallata*. Veluti circumdata.

13 *Loci nec fronde*. Nullis frondibus aut arboribus velati. || *Et quod iners hiems*. Et adde, quod hiems, quae nimio frigore hominem inertem reddit. || *Continuatur hiemi*. Semper est continua: quia semper est frigus.

14 Hic me pugnantem cum frigore, cumque sagittis,
Cumque meo fato, quarta fatigat hiems.
15 Fine carent lacrimae, nisi cum stupor obstitit illis:
Et similis morti pectora torpor habet.
16 Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit,
Quae posuit sensum, saxea facta, mali!
17 Vos quoque felices, quarum clamantia fratrem
Cortice velavit populus ora novo.
18 Ille ego sum, lignum qui non admittar in ullum:
Ille ego sum, frustra qui lapis esse velim.
19 Ipsa Medusa oculis veniat licet obvia nostris,
Amittat vires ipsa Medusa suas.
20 Vivimus, ut sensu nunquam careamus amaro:
Et gravior longa fit mea poena mora.

14 *Cum meo fato.* Cum meo infortunio, quod me etiam fatigat. || *Quarta hiems.* Quartus annus.

15 *Nisi cum stupor.* Nisi cum mentis torpor, et quasi quaedam alienatio a sensu, vel fatigatio, et nimia lassitudo, ac rigor. || *Torpor.* Pigritia quaedam.

16 *Felicem Nioben.* Niobe filia fuit Tantali et Taygetae, uxorque Amphionis quae filios septem, et totidem filias peperit summo decore praestantes. Vnde tali prole superbiens, se Latonae numero filiorum praetulit. Itaque iratam Latonam ferunt Apollini ut Niobes filios, Dianae ut filias arcu interficerent, mandasse. Quare et orbata viro et filiis, apud urnas eorum in lapidem versa diriguit. || *Quamvis tot funera vidit.* Quamvis viderit tot filios mortuos. || *Posuit sensum.* Sensum amisit. || *Facta saxea.* In saxum mutata. || *Mali.* Dolore mariti et filiorum.

17 *Vos quoque felices.* Heliades, id est, Solis filias, sorores Phaëthontis dicit, quae fraterna funera iuxta Eridanum deplorantes conversae dicuntur in alnos, ut voluit Maro. || *Clamantia fratrem.* Mortuum vocantia. || *Novo cortice.* Cortice novae arboris.

18 *Non admittar.* Non mutabor. || *In ullum lignum.* In ullam arborem. || *Ille ego sum frustra.* Nequidquam etiam cupio in lapidem mutari, ut Niobe.

19 *Ipsa Medusa oculis.* Phorcus ex Cetho coniuge tres habuit filias eximiae pulchritudinis, Euryalem, Sthenionem, et Medusam. || *Amittet suas vires.* Quia non mutabit me in saxa.

20 *Vivimus, ut nunquam.* Vivo, inquit, ut semper sim in dolore et luctu. || *Sensu amaro.* Sensu amaritudinis et doloris: hoc est, animus continenter affligitur. || *Longa mora.* Quia arbitror me semper futurum in his malis.

21 Sic inconsumtum Tityi semperque renascens
Non perit, ut possit saepe perire, iecur.
22 At puto, cum requies medicinaque publica curae
Somnus adest, solitis nox venit orba malis.
23 Somnia me terrent, veros imitantia casus,
Et vigilant sensus in mea damna mei.
24 Aut ego Sarmaticas videor vitare segittas:
Aut dare captivas ad fera vincla manus.
25 Aut ubi decipior melioris imagine somni,
Adspicio patriae tecta relicta meae.
26 Et modo vobiscum, quos sum veneratus, amici,
Et modo cum cara coniuge, multa loquor.
27 Sic, ubi percepta est brevis et non vera voluptas,
Peior ab admonitu fit status iste boni.
28 Sive dies igitur caput hoc miserabile cernit,
Sive pruinosi Noctis aguntur equi;

21 *Sic.* Eo modo, quo ego vivo, ut magis doleam. || *Tityi.* Tityi exemplo docet suum dolorem semper renasci. Hic amavit Latonam; propter quod Apollinis telis confixus, et hac poena damnatus apud inferos afficitur, ut eius iecur vultur exedet. || *Iecur inconsumtum.* Iecur ab avibus non exesum. || *Non perit.* Non penitus tollitur alio renascente. || *Vt possit saepe perire.* Vt possit saepius renasci et consumi.

22 *At puto.* Ostendit se non somno quidem curis vacare. || *Medicina publica curae.* Somnus enim solet esse curarum medicina. || *Orba malis.* Privata: quasi dicat, non sine malis et curis consuetis noctem duco, qua deberem quiescere.

23 *Imitantia veros casus.* Cum sint falsa, videntur tamen vera esse. || *Et vigilant sensus.* Et mei sensus, inquit, vigilant, somniando ea quae mihi damnum afferunt.

24 *Sagittas Sarmaticas.* Sarmatarum me insequentium tela. || *Aut dare captivas manus.* Aut videor captus hostibus manus ligandas praebere.

25 *Imagine somni.* Iucundioribus somniis, quibus interdum deludor *Somni* dixit per Synaeresin pro somnii. Ludunt nos somnia in utramque partem.

27 *Et non vera.* Quia sunt somnia. || *Ab admonitu.* Post recordationem patriae, amicorum, et coniugis, quae tanquam bona mihi erepta esse doleo.

28 *Caput hoc.* Seipsum designat. || *Pruinosi equi.* Equi pruinam inducentes terris.

29 Sic mea perpetuis liquefiunt pectora curis,
Ignibus admotis ut nova cera solet. (idem;
30 Saepe precor mortem, mortem quoque deprecor
Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum.
31 Cum subit Augusti quae sit clementia, credo
Mollia naufragiis litora posse dari.
32 Cum video, quam sint mea fata tenacia, frangor;
Spesque levis magno victa timore cadit.
33 Nec tamen ulterius quidquam sperove precorve,
Quam male mutato posse carere loco.
34 Aut hoc, aut nihil est, pro me tentare modeste
Gratia quod salvo vestra pudore queat.
35 Suscipe, Romanae facundia, Maxime, linguae,
Difficilis caussae mite patrocinium.
36 Est mala; confiteor: sed te bona fiet agente.
Lenia pro misera fac modo verba fuga.

29 *Vt nova cera.* Quemadmodum cera nova: ea enim facilius liquescit.

30 *Mortem quoque deprecor.* Mortem quoque precando depello. || *Ne mea Sarmaticum.* Caussa cur mortem deprecatur, est ne pereat in Sarmatia.

31 *Mollia litora.* Animum quietum et reconciliatum: hoc est, reditum in patriam de exsilio. || *Naufragiis.* Meis periculis, hoc est, mihi exsuli.

32 *Mea fata tenacia.* Mea infortunia immutabilia et perseverantia. || *Frangor.* Debilitor, et spem pono. || *Spesque levis.* Et parva ac instabilis spes reditus. || *Magno timore.* Valde timendo ne reducar. || *Cadit.* Deponitur, abiicitur.

33 *Loco male mutato.* Loco exsilii ubi sum, mutato cum alio loco malo, sed tamen minus turbulento.

34 *Aut hoc.* Aut potes tentare, ut exsilii locus mutetur.|| *Aut nihil est.* Aut praeter loci mutationem nihil est quod petas. Quibus verbis amico consulit, ne aliud petat, quam loci mutationem, si cupit pudoris rationem habere. || *Gratia vestra.* Tuus et amicorum erga me amor. || *Salvo pudore.* Habita pudoris ratione. Quasi dicat, de reditu nullum verbum facies, ni forte velis haberi inverecundus.

35 *Suscipe Romanae.* Ordo est: o Maxime, facundia linguae Romanae, (*appositive dictum*), suscipe mite patrocinium difficilis caussae.|| *Mite patrocinum.* Placidam, ac facilem et honestam defensionem.

36 *Est mala.* Est infirma caussa mea, et debilis. || *Te agente.* Te

37 Nescit enim Caesar, quamvis Deus omnia norit,
Vltimus hic qua sit conditione locus.
38 Magna tenent illud rerum molimina numen:
Haec est caelesti pectore cura minor.
39 Nec vacat, in qua sint positi regione Tomitae,
Quaerere, finitimo vix loca nota Getae.
40 Aut quid Sauromatae faciant, quid Iäzyges acres,
Cultaque Oresteae Taurica terra Deae:
41 Quaeque aliae gentes, ubi frigore constit Ister,
Dura meant celeri terga per amnis equo. (rant,
42 Maxima pars hominum nec te, pulcherrima, cu-
Roma; nec Ausonii militis arma timent.

orante. || *Fiet bona.* Fiet iusta. || *Lenia verba.* Verba mollia, et Caesarem lenientia. || *Pro misera fuga.* Pro misero exsilio. || *Fac verba.* Loquere.

38 *Magna molimina.* Magna pondera reipublicae. Hoc est, detinetur Augustus maioribus oneribus, adeo ut prae illorum magnitudine non possit his locis et meis malis cognoscendis vacare. || *Illud numen.* Augustum Caesarem dicit. || *Haec cura.* Haec sollicitudo mei exsilii.

39 *Nec vacat.* Non est tempus Augusto. || *Finitimo vix loca nota Getae.* Appositionis figura est. Non vacat, inquit, Augusto, quaerere ubi sint Tomitae, quorum etiam loca vix sunt Getis ipsis finitimis nota, propter ignobilitatem loci, nedum ipsi Augusto longissime distanti.

40 *Aut quid Sauromatae.* De Sauromatis et Iazygibus populis diximus abunde in inarrationibus in libris *de Tristibus.* || *Iazyges*, qui hodie Transylvani. || *Taurica.* Tauricam Chersonesum intelligit, ubi Iphigenia Agamemnonis filia, Orestis soror colebatur: cui et naufragos immolabant, et quoscunque Graecos illuc delatos. || *Deae Oresteae.* Deae Iphigeniae Orestis sororis.

41 *Quaeque aliae gentes.* Vt sunt Iazyges, Getae, Basternae, Daci, et Alani Tauris contermini. Est autem ordo: Et non vacat Augusto quaerere quid aliae gentes faciant, quae meant, id est, vadunt celeri equo per dura terga amnis, hoc est Istri, ubi Ister constitit frigore. || *Vbi frigore constitit Ister.* Quando Ister fluvius prae nimio frigore induruit.

42 *Maxima pars hominum.* Quae gentes supra dictae sunt ita multae et bellicosae, ut Romanam potentiam non curent. Ex quo periculum suum ostendit esse maximum. ||*Nec arma Ausonii militis.* Nec arma exercitus Romani, et legionum impositarum in locis finitimis

43 Dant animos arcus illis, plenaeque pharetrae;
Quamque libet longis cursibus aptus equus;
44 Quodque sitim didicere diu tolerare famemque;
Quodque sequens nullas hostis habebit aquas.
45 Ira Dei mitis non me misisset in istam,
Si satis haec illi nota fuisset, humum. (ste,
46 Nec me, nec quemquam Romanum gaudet ab ho-
Meque minus, vitam cui dedit ipse, premi.
47 Noluit, ut poterat, minimo me perdere nutu.
Nil opus est ullis in mea fata Getis. (rit actum:
48 Sed neque, cur morerer, quidquam mihi compe-
Nec minus infestus, quam fuit, esse potest.
49 Tum quoque nil fecit, nisi quod facere ipse coëgi,
Paene etiam merito parcior ira meo.
50 Dî faciant igitur, quorum mitissimus ipse est,
Alma nihil maius Caesare terra ferat.
51 Vtque diu sub eo sit publica sarcina rerum;
Perque manus huius tradita gentis eat.

43 *Dant illis animos arcus.* Caussas adducit, quibus non timetur miles Romanus a Scythis.|| *Quam licet.* Quantum licet. Subaudi, dat animos.

44 *Quodque sequens.* Alia caussa etiam dat Scythis animos, quod propter aquarum penuriam non timent, ut eos hostes insequantur.

45 *Ira Dei mitis.* Ira Augusti.

47 *Vllis Getis.* Quasi dicat: Non misit me Augustus Tomon, ut a Scythis interficerer.

48 *Quidquam actum cur morerer.* Aliquam rem gestam, ob quam morte dignus essem. || *Infestus.* Iratus.

49 *Nil fecit.* Nil in me molitus est. || *Nisi facere quod ipse coëgi.* Nisi quod ego illum compuli, scribendo carmina et praecepta amatoria. || *Ira.* Augusti indignatio. || *Meo merito.* Meo crimine, quo Augustum laesi. || *Parcior* Mollior.

50 *Quorum.* Subaudi, Deorum. Augustus enim vivens divinos meruit honores.

51 *Vtque diu.* Et ut olim, inquit, terra fuit sub imperio Caesaris, sic etiam in posterum semper subiecta sit. || *Perque manus.* Ordo est: Et tradita, scilicet terra, eat per manus gentis huius Augusti. Per manus autem res traditur, quum ea aliis atque aliis exhibenda permittitur.

52 At tu tam placido, quam nos quoque sensimus il-
ludice pro lacrimis ora resolve meis. (lum,
53 Non petito ut bene sit, sed uti male tutius; utque
Exsilium saevo distet ab hoste meum.
54 Quamque dedere mihi praesentia numina vitam,
Non adimat stricto squalidus ense Getes.
55 Denique, si moriar, subeant pacatius arvum
Ossa, nec a Scythica nostra premantur humo.
56 Nec male compositos, ut scilicet exsule dignum,
Bistonii cineres ungula pulset equi.
57 Et ne, si superest aliquid post funera sensus,
Terreat hic manes Sarmatis umbra meos.
58 Caesaris haec animum poterant audita movere,
Maxime; movissent si tamen ante tuum.

52 *At tu*. Nunc vertit sermonem ad Maximum. || *Tam placido iudice*. Augusto tam miti iudice. || *Quam nos quoque sensimus*. Quantum nos etiam ipsum cognovimus in caussa nostra: quum enim potuisset interficere, salvum me esse maluit. || *Pro meis lacrimis*. Pro dolore meo, et lacrimosa mea conditione. || *Ora resolve*. Ora aperi, pro me Augustum orando.

53 *Non petito*. Caussam suam honestam esse colligit. ||*Sed uti male tutius*. Sed pete ut exsulem in loco magis tuto. Quod apertius ex sequenti carmine indicat. || *Ab hoste saevo*. A saevis Getis.

54 *Praesentia numina*. Dii propitii; vel, praesentem Augustum, et vivum, accipe.|| *Stricto ense*. Nudo ense. || *Squalidus Getes*. Getes immundus, horridus, et impexus.

55 *Subeant arvum*. Vt tumuler. || *Ab humo Scythica*. A terra Scythiae. Illud sciendum, apud veteres Romanos solita fuisse condi cadavera, non cremari.

56 *Male compositos*. Male sepultos et tectos. || *Vt scilicet exsule dignum*. Quemadmodum meretur homo exsul, cineres habere male compositos, et qui ab equis premantur ||*Bistonii equi*. Equi Getarum Thraciam incolentium. Est autem *Bistonium* stagnum in Thracia.

57 *Si superest aliquid sensus*. Si superest anima. || *Post funera*. Post mortem.|| *Meos manes*. Meam animam. || *Sarmatis umbra*. Anima feri Sarmatae.

58 *Haec audita*. Haec incommoda et mala intellecta || *Movere*. Flectere ad misericordiam Caesaris mentem. || *Movissent si tamen*. Si tamen, o Maxime, ea flexissent antea mentem tuam.

59 Vox, precor, Augustas pro me tua molliat aures,
Auxilio trepidis quae solet esse reis:
60 Assuetaque tibi doctae dulcedine linguae
Aequandi Superis pectora flecte viri.
61 Non tibi Theromedon, crudusve rogabitur Atreus;
Quique suis homines pabula fecit equis:
62 Sed piger ad poenas Princeps, ad praemia velox:
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.
63 Qui vincit semper, victis ut parcere posset;
Clausit et aeterna civica bella sera.
64 Multa metu poenae, poena qui pauca coërcet;
Et iacit invita fulmina rara manu.

59 *Molliat aures*. Placidas reddat aures, et ad misericordiam flectat. || *Trepidis reis*. Pavidis reis propter accusationem; illos enim soles in iudiciis defendere.

60 *Assueta dulcedine*. Assueta et solita suavitate. || *Viri aequandi Superis*. Augusti comparandi Diis immortalibus.

61 *Non tibi Theromedon*. Intellige de Theromedonte illo crudelissimo, de quo alibi Ovidius ita inquit: *Theromedonteos ut qui sensere leones*. Ille enim stabula habuit leonum, quos corporibus humanis alebat. || *Crudusque rogabitur Atreus*. Et non rogabis pro me crudelem quendam, ut fuit Atreus. || *Quique suis homines*. Diomedem intelligit, qui habuit equorum praesepia, in quibus ob feritatem, ferreis cathenis equi viribus praevalidis vinciebantur: cibis vero alebantur non his quos terra fert, sed hospitum eo divertentium carnibus.

62 *Sed piger*. Sed Augustus tardus ad puniendum nocentes, rogandus erit. Est enim magna eius in reos supplices misericordia. || *Ad praemia velox*. Promptus ad danda praemia.

63 *Qui vincit semper*. Laus a fortitudine. || *Victis ut parcere possit*. Laudat Augustum a clementia. || *Clausit*. Quod Augustus pugnaverit magis ut parceret, quam saeviret, docuit clauso Iani templo, quo pax ubique parta designatur. Vel hoc dicit: ut Caesar ostendat nolle amplius in quempiam saevire, ex eo dignoscitur, quod Iani templum clausit, in signum pacis omnibus concessae. || *Bella civica*. Bella civilia. || *Aeterna sera*. Perpetuis claustris.

64 *Multa metu poenae*. Subauditur *coërcet*. Hic autem Augustum laudat a prudentiae parte. Multa, inquit, scelera Augustus fieri prohibet metu poenae, quum tamen in paucos animadvertat. || *Pauca*. Pauca hominum crimina. || *Rara fulmina*. Raras poenas et supplicia. || *Invita manu*. Recusanti.

65 Ergo tam placidas orator missus ad aures,
Vt propior patriae sit fuga nostra, roga.
66 Ille ego sum, qui te colui; quem festa solebat
Inter convivas mensa videre tuos.
67 Ille ego, qui dixi vestros Hymenaeon ad ignes;
Et cecini fausto carmina digna toro.
68 Cuius te solitum memini laudare libellos,
Exceptis, domino qui nocuere suo.
69 Cui tua nonnunquam miranti scripta legebas.
Ille ego, de vestra cui data nupta domo.
70 Hanc probata, et primo dilectam semper ab aevo
Est inter comites Marcia censa suas;
71 Inque suis habuit matertera Caesaris ante:
Quarum iudicio si qua probata, proba est.

65 *Ad aures tam placidas.* Ad aures Augusti tam *mites.*

66 *Quem festa solebat.* Qui solemnes epulas tecum saepe inivi. Amicitiae simbolum, communis mensa.

67 *Hymenaeon.* Carmen nuptiale. Deum autem nuptiarum posuit pro ipso epithalamio. || *Ad ignes vestros.* Ad vestras taedas, quae nubentibus praeferebantur.

68 *Exceptis.* Subaudi, libellis amatoriis.

69 *Nupta.* Vxor. || *De vestra domo.* De vestra, hoc est, de Maximorum familia.

70 *Hanc.* Scilicet, uxorem meam. || *A primo aevo.* A pueritia. || *Est censa.* Quasi in censu suo iudicavit, accensuit, inter suas habuit. || *Marcia.* Philippi filia, et Maximi uxor fuit, de qua tam multa feruntur.

71 *In suis.* Subaudi, comitibus. || *Matertera Caesaris.* Ex Iulia C. Caesaris sorore, et M. Accio Balbo nata est Accia Augusti mater, quae post mariti Octavii mortem Martio Philippo nupsit, qui ab Anco Martio genus traxit. Et ex eodem Philippo, et Acciae sorore, ac matertera Augusti defuncta, antequam Acciam duceret Philippus, Martiam natam volunt, dicente Ovidio in *Fastis.* Credendum est ergo Ovidium hic significare suam uxorem tertiam de domo Fabiorum, puellam admodum, primo sororem Actiae, et Augusti materteram, et Martiae matrem coluisse, deinde eius filiam Martiam. || *Ipsa sua melior fama.* Ipsa, inquit, Claudia melior quam erat eius fama, non eguisset divino auxilio, si eam Martia et Caesaris matertera laudassent. Quasi dicat, uxor mea pudicissima est, quandoquidem utitur consuetudine talium matronarum. || *Divina ope.* Auxilio Cybeles, ut suspicionem violatae castitatis poneret.

72 Ipsa sua melior fama, laudantibus istis,
Claudia divina non eguisset ope.
73 Nos quoque praeteritos sine labe peregimus annos.
Proxima pars vitae transilienda meae. (est.
74 Sed de me ut sileam, coniux mea sarcina vestra
Non potes hanc salva dissimulare fide.
75 Confugit haec ad vos: vestras amplectitur aras.
Iure venit cultos ad sibi quisque Deos.
76 Flensque rogat, precibus lenito Caesare vestris,
Busta sui fiant ut propiora viri.

EPISTOLA III.

RVFINO.

ARGVMENTVM Ex Rufini literis magnam se cepisse voluptatem et spem fatetur Poëta: nec tamen eas quamvis eloquentes, tantam vim habuisse docet, ut dolorem potuerint amovere. Caussam deinde assignat. Tum refellit eorum exempla, quos ipse dixerat forti animo tulisse exsilium, ea ratione quod illi tam longe a patria non exsulabant. Fatetur tamen postremo, si posset eius animus leniri, ipsius praecepta et literas elegantissimas id facturas fuisse: quas loco magni muneris se accepisse dicit.

1 Hanc tibi Naso tuus mittit, Rufine, salutem;
Qui miser est, ulli si suus esse potest.

73 *Sine labe.* Sine crimine et infamia. || *Transilienda.* Est silentio praetereunda: quia paulo ante notatus fui infamia, et relegatus propter praecepta amatoria.

74 *Sed de me ut.* Si non vis mea caussa Augustum rogare, saltem uxor mea vos moveat. || *Est vestr sarcina.* Erat enim ex Maximorum familia. || *Salva fide.* Habita fidei et pietatis ratione.

75 *Haec.* Scilicet, uxor mea. || *Vestras aras.* Vestra auxilia, vos precando tanquam suos Deos.

76 *Vt busta.* Vt corpus quasi mortuum. || *Fiant.* Fiant magis ei vicina.

1 *Qui miser est.* Ordo talis:

2 Reddita confusae nuper solatia menti
Auxilium nostris spemque tulere malis.
3 Vtque Machaoniis Poeantius artibus heros
Lenito medicam vulnere sensit opem:
4 Sic ego mente iacens, et acerbo saucius ictu,
Admonitu coepi fortior esse tuo.
5 Et iam deficiens sic ad tua verba revixi,
Vt solet infuso vena redire mero.
6 Non tamen exhibuit tantas facundia vires,
Vt mea sint dictis pectora sana tuis.
7 Vt multum nostrae demas de gurgite curae;
Non minus exhausto, quod superabit, erit.
8 Tempore ducetur longo fortasse cicatrix.
Horrent admotas vulnera cruda manus.

Si ille qui est miser, potest esse suus ulli: aut, si ille qui est miser, ulli potest esse suus: hoc est, si quis infelix potest dicere alicui, se esse suum, ut ipse qui ita dixerat, Hanc tibi Naso tuus, etc. Voces autem *tuus*, *suus*, familiaritatem, amicitiam, necessitudinemque notant.

2 *Solatia nuper reddita.* Consolationes nuper in literis tuis adhibitae. || *Menti confusae.* Animo meo perturbato. || *Auxilium.* Lenimen. || *Spemque.* Et spem reditus in patriam.

3 *Heros Poeantius.* Philoctetes, Poeantis filius, cuius vulneris foetor cum a Graecis sustineri non posset, in Lemno relictus est: ubi ad pristinam sanitatem mediciuis restitutus ad Troiam deductus est. ||*Artibus Machaoniis.* Artibus medicinalibus, a Medico Machaone filio Aesculapii dictis, a quo ars *Machaonia* cognominatur; et medici *Machaones.* || *Lenito vulnere.* Mitigato vulnere, quod Herculis sagittae intulerant.

4 *Mente iacens.* Consternatus. ||*Acerbo ictu.* Aspera percussione, hoc est, exsilio.|| *Saucius.* Prostratus || *Admonitu tuo.* Tuis literis.

6 *Nec tamen.* Quasi dicat: quamvis multum profuerit consolatio tua, tamen tua facundia non potuit mihi omnem dolorem tollere. || *Sint sana.* Sint sine dolore.

7 *Non minus.* Non minus doloris restabit, quam ademeris.

8 *Ducetur.* Obducetur, claudetur. || *Cicatrix.* Vulneris vestigium. Fortasse, inquit, dolor meus minuetur longo temporis intervallo. || *Vulnera cruda.* Vulnera recentia. Hoc dicit, recens dolor nullas admittit consolationes.

9 Non est in medico semper, relevetur ut aeger.
Interdum docta plus valet arte malum.
10 Cernis, ut e molli sanguis pulmone remissus
Ad Stygias certo limite ducat aquas.
11 Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas;
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
12 Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.
13 Cura quoque interdum nulla medicabilis arte;
Aut, ut sit, longa est extenuanda mora.
14 Cum bene firmarunt animum praecepta iacentem,
Sumtaque sunt nobis pectoris arma tui;
15 Rursus amor patriae, ratione valentior omni,
Quod tua texuerunt scripta, retexit opus.

9 *Docta arte.* Peritia medendi. || *Malum.* Aegritudo.

10 *E molli pulmone* || *Mollem* probe vocat. Vulnerato enim pulmone, homo perimitur; nam spongiosus est, ideoque spiritus capax. || *Sanguis.* Sanguis eiectus illato vulnere. || *Ad Stygias aquas.* Ad Charontem portitorem, hoc est, ad inferos.|| *Certo limite.* Via non ambigua, quia moritur. Ex quo docet, caussam suam esse perditam, et deploratam.

11 *Epidaurius.* Aesculapius qui in Epidauro civitate colebatur. || *Sacras.* Propter herbarum efficientiam. || *Vulnera cordis.* Cor enim laesum mortem illico affert, unde non immerito hoc in loco dixit Ovidius, cordis vulnera nulla ope sanari posse.

12 *Nodosam podagram.* Podagram, nodos et articulos digitorum infestantem. || *Nescit tollere.* Nescit curare. || *Nec formidatis.* Nec etiam medicina rabidis hominibus medetur: quod per *formidatas aquas* designat. Formidant enim aquam et potum omnem ii, qui *hydrophobia* ex morsu canis rabidi orta laborant. Celsus tamen curationem docet adversus canis rabidi morsum lib. V.

13 *Cura.* Dolor aliquis mentis, ut meus || *Aut ut sit.* Subaudi, medicabilis. || *Longa mora.* Longo tempore. Sicut ergo morbi quidam nullis medicamentis; ita quaedam aegritudines, nullis admonitionibus, aut solatiis depelluntur.

14 *Praecepta.* Rationes quibus usus es in literis tuis. || *Pectoris arma* Consilia e pectore tuo profecta, quibus me obarmo, contra maerorum morsus

15 *Rursus amor patriae.* Ea commemorat, propter quae dicit se non posse dolorem ponere, quamvis consolationes suae fuerint efficacissimae || *Ratione valentior omni.*

16 Sive pium vis hoc, sive hoc muliebre vocari;
Confiteor misero molle cor esse mihi.
17 Non dubia est Ithaci prudentia: sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.
18 Nescio qua natale solum dulcedine captos
Ducit, et immemores non sinit esse sui.
19 Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
20 Cum bene sit clausae cavea Pandione natae;
Nititur in silvas illa redire suas.
21 Assuetos tauri saltus, assueta leones,
Nec feritas illos impedit, antra petunt.
22 Tu tamen exsilii morsus e pectore nostro
Fomentis speras cedere posse tuis.
23 Effice, vos ipsi ne tam mihi sitis amandi,
Talibus ut levius sit caruisse malum.

Qui plus potest omni ratione. || *Quod tua.* Quod tu ad me scripsisti. || *Retexit.* Destruit. Vel, revocat me ad moerorem, unde me epistola tua avocarat: vel, obliterat monita tua.

16 *Ithaci.* Vlyssis. || *Sed tamen optat.* Sed tamen reditum in patriam desiderat, unde ipse apud Homerum ita dicebat: Ithaca omnium clarissima occasum versus, aspera quidem, sed optima, iuventutis altrix: qua ego nihil unquam amoenius vidi. || *Sui.* Ipsius soli natalis.

19 *Quid melius Roma?* Exemplis probat, omnes patriam ceteris locis anteferre solitos esse. || *Scythico quid frigore peius?* Nomine frigoris, omnia illius barbarae regionis incommoda complectitur. || *Huc.* In Scythiam. || *Ex illa urbe.* Ex Romana civitate.

20 *Pandione natae.* Progne et Philomena, quarum altera mutata fuit in lusciniam, altera in hirundinem. Fuerunt autem filiae Pandionis regis Athenarum, Erichthonio ac Cecropis iunioris filia geniti, quem Metionidae regno deturbarunt.

21 *Assuetos saltus.* Sylvas et pascua consueta petunt.

22 *Exsiilii morsus.* Dolores exsilii mei. || *Cedere.* Amoveri seu abire. || *Fomentis tuis.* Remediis tuis et consolationibus.

23 *Ne vos ipsi.* Ne vos amici. || *Tam sitis amandi.* Quantum, subaudi, a me amamini. || *Talibus.* Amicis talibus quales vos estis; quia si vos non amavero, exsilii mala leviora videbuntur. Ex quo designat magnam partem doloris exsilium afferre, quod a caris, et dilectis abest sodalibus.

24 At, puto, qua fueram genitus, tellure carenti,
In tamen humano contigit esse loco.
25 Orbis in extremi iaceo desertus arenis:
Fert ubi perpetuas obruta terra nives.
26 Non ager hic pomum, non dulces educat uvas:
Non salices ripa, robora monte virent.
27 Neve fretum terra laudes magis; aequora semper
Ventorum rabie, solibus orba, tument.
28 Quocunque adspicias, campi cultore carentes,
Vastaque, quae nemo vindicet, arva iacent.
29 Hostis adest dextra laevaque a parte timendus;
Vicinoque metu terret utrumque latus.
30 Altera Bistonias pars est sensura sarissas,
Altera Sarmatica spicula missa manu.
31 I nunc, et veterum nobis exempla virorum,
Qui forti casum mente tulere, refer.
32 Et grave magnanimi robur mirare Rutilî,
Non usi reditus conditione dati.

24 *At puto qua.* Ponit obiectionem. || *Tellure.* Romana civitate.

25 *Extremi orbis* Extremi septentrionis et terrarum. || *In arenis.* In Getico litore. || *Perpetuas nives.* Continua frigora.

26 *Non ager hic pomum.* Non nascuntur in Scythia pomiferae arbores, non uvae, non salices, non robora. || *Robora monte virent.* Subaudi, non. *Robur* autem arbor est, quae in montibus nascitur.

27 *Neve fretum.* Et ne credas mare Ponticum melius esse hac terra, in qua exsulo. || *Rubie ventorum.* Impetu et furore ventorum. || *Solibus orba.* Privata beneficio radiorum solarium. || *Tument.* Tempestatibus fere semper agitantur.

28 *Campi cultore carentes.* Subaudi, iacent. || *Quae nemo vindicet.* Quae nemo sibi apropriet.

32 *Magnanimi Rutilî.* P. Rutilius doctus et philosophiae deditus, vir fuit summae innocentiae. Is quaestor Asiam ab iniuriis publicanorum liberavit: sed invidia equestris ordinis, qui tunc iudicia exercebat, repetundarum damnatus, in exsilium missus est. Quum postea ei ob Syllanam victoriam in patriam redire liceret, maluit in exsilio esse, quam aliquid contra leges fecisse videri. || *Non usi conditione dati reditus.* Noluit (ut diximus) Syllano tempore redire.

33 Smyrna virum tenuit, non Pontus et hostica tellus;
Paene minus nullo Smyrna petenda loco.
34 Non doluit patria Cynicus procul esse Sinopeus:
Legit enim sedes, Attica terra, tuas.
35 Arma Neoclides qui Persica contudit armis,
Argolica primam sensit in urbe fugam.
36 Pulsus Aristides patria Lacedaemona fugit:
Inter quas dubium, quae prior esset, erat.
37 Caede puer facta Patroclus Opunta reliquit,
Thessalicamque adiit hospes Achillis humum.
38 Exsul ab Haemonia Pirenida cessit ad undam,
Quo duce trabs Colchas sacra cucurrit aquas.

33 *Virum*. Rutilium. || *Non Pontus*. Non regio Pontica ||*Smyrna*. *Smyrna* urbs fuit Ioniae, ita ab Amazone *Smyrna* appellata, quae Ephesum tenuit. Ea urbs est una ex iis, quae sibi Homeri natales vindicarunt. || *Minus est petenda poena*. Minus est requirenda, seu eligenda, ut sit supplicium alicui || *Nullo loco*. Nulla alia urbe. Smyrna, inquit, cum sit urbs praeclarissima, minorem afferet dolorem in ea exsulanti, quam aliae urbes. Quasi dicat:si quis exsul locum gratum quaerit, eam urbem prae ceteris eligat.

34 *Non doluit*. Diogenem intelligit, qui Sinopeus fuit, Icesii mensarii filius: quem fugisse aiunt, cum eius pater publice mensam haberet, ac falso pecuniam signaret. Inde Athenas veniens, Antisthenem secutus est. || *Cynicus Sinopeus*. Diogenes ex Sinope, urbe Paphlagoniae, in litore maris Pontici sita.

35 *Arma Neoclides*. Themistocles Atheniensis Neoclis filius fuit, qui universae Graeciae magnae saluti fuit bello Persico.||*Primam fugam*. Hoc dicit, quia saepius fugit: sed primo Argos pervenit, ut dictum est.

36 *Aristides*. Aristides Lysimachi filius, Atheniensis, aequalis fere Themistocli, et qui cum eo de principatu contendit || *Pulsus patria*. Athenis. || *Lacedaemona fugit*. Lacedaemon urbs fuit Laconiae; poniturque tam pro regione, quam pro urbe. || *Quae prior esset*. Quae esset clarior, patriane, an sedes ubi exsulabant.

37 *Caede puer*. Patroclus Menoetii filius, et Actoris nepos, cum in Opunte oppido Locridis luderet astragalis, cum Aphidamantis filio Clisonymo (vel ut alii volunt Eane), iratus ob surreptos astragalos eum interemit, et in Thessaliam confugit ad Peleum || *Opunta reliquit*. Ex Opuntia urbe Locridis natum esse Patroclum, testatur etiam Homerus. || *Thessalicam humum*. Vrbem Thessaliae Phthiam, patriam Achillis.

38 *Exsul*. Mos fuit apud anti-

39 Liquit Agenorides Sidonia moenia Cadmus,
Poneret ut muros in meliore loco.
40 Venit ad Adrastum Tydeus Calydone fugatus;
Et Teucrum, Veneri grata, recepit humus.
41 Quid referam veteres Romanae gentis, apud quos
Exsulibus tellus ultima Tibur erat?
42 Persequar ut cunctos; nulli datus omnibus aevis
Tam procul a patria est, horridiorve locus.
43 (Quo magis ignoscat sapientia vestra dolenti,
Qui facit ex dictis non ita multa tuis.)
44 Nec tamen inficior, si possint nostra coire
Vulnera, praeceptis posse coire tuis.

quos, ut reus homicidii exsularet. In regum tamen legibus lectum est noxios homicidii arietis damno poenam luere. | *Ab Haemonia*. A Thessaliae oppido Iolcho Iasonis patria. *Haemonia* enim Thessalia cognominata fuit. || *Ad undam Pirenida*. Ad Corinthiam urbem. || *Quo duce*. Subaudi, Iasone. || *Trabs sacra*. Argo navis Palladi sacrata || *Colchas aquas*. Per aquam Colchidis regionis. Intelligit autem mare Ponticum quod Colchos alluit.

39 *Liquit Agenorides*. Agenor rex Phoeniciae iussit Cadmo ut quaereret sororem Europam, lege impia, ut non reverteretur, nisi ea inventa: qua diu frustra quaesita, exsul Cadmus in Boeotiam venit, ubi Thebas aedificasse dicitur. || *Sidonia moenia*. Vrbem Phoeniciae Sidona, a piscium ubertate sic dictam: nam piscem Phoenices *Sidon* vocant. || *Vt poneret muros*. Vt urbem Thebanam conderet. || *In meliore loco*. In ipsa Boeotia.

40 *Venit ad Adrastum Tydeus*. Tydeus Oenei, cum in Calydone Alcathoum Lycotheumque nepotes occidisset, ex Aetolia Argos aufugit: cui Adrastus benigne suscepto, quodam responso motus, filiam Deiphylen uxorem dedit || *Calydone*. Ex Calydone urbe Aetoliae. || *Et Teucrum*. Post finem belli Troiani Teucer morte Aiacis fratris invisus patri Telamoni cum non reciperetur in regnum, Cyprum concessit, atque ibi urbem nomine antiquo patriae Salamina condidit. || *Humus grata Veneri*. Cyprus insula in qua Venus colebatur.

41 *Tybur erat*. *Tybur* oppidum in Latio. Nondum enim Romani propagaverant imperii fines.

42 *Persequar ut cunctos*. Vt exsulum omnium exempla commemorem. || *Nulli*. Praeterquam mihi soli infelici Ovidio.

43 *Ex tuis dictis*. Ex rationibus adductis.

44 *Inficior*. Nego. || *Nostra vulnera*. Dolor meus. || *Coire*. Claudi et sanari. Peratat enim in metaphora || *Tuis praeceptis*. Tuis rationibus.

45 Sed vereor, ne me frustra servare labores;
Neu iuver admota perditus aeger ope. (bis;
46 Nec loquor haec; quia sit maior prudentia no-
Sed sim, quam medico, notior ipse mihi.
47 Vt tamen hoc ita sit, munus, tua, grande, vo-
Ad me pervenit, consuliturque boni. (luntas

EPISTOLA IV.

UXORI.

ARGVMENTVM. Ad uxorem scribens Poëta, canum se et languidum factum esse designat. Huiusque rei caussas duas esse colligit: senectutem scilicet, et dolorem, quo assidue conficitur. Deinde facta collatione Iasonis expeditionis qui in ea loca pervenit, et sui exsilii; docet suum malum maius fuisse illius opere et peregrinatione. Postremo optat ut possit in patriam redire, fruique dulcissimae coniugis amplexu et colloquio, Caesaribusque sacrificare.

1 Iam mihi deterior canis adspergitur aetas,
Iamque meos vultus ruga senilis arat:
2 Iam vigor, et quasso languent in corpore vires;
Nec, iuveni lusus qui placuere, placent.

45 *Neu frustra labores.* Vereor ne actum agas, quia non obtinebis ullis rationibus, ut dolorem ponam. || *Neu aeger perditus.* Nec aeger iam desperata salute. Seipsum autem designat. || *Admota ope.* Allatis consolationibus tuis. || *Iuver.* Nec aeger ipse perditus sive desperatus, iuver ope et cura tua admota.

47 *Vt tamen hoc ita sit.* Quamvis tamen id ita sit, ut me non possis sanare. || *Tua voluntas.* Tuus erga me animus et amor. || *Grande munus.* Loco magni muneris.|| *Consuliturque boni.* Bonum et aequum iudicavi, ac in bonam partem (ut aiunt) accepi. Est enim proverbialis locutio.

1 *Deterior aetas.* Aetas deterior esse incipit post quinquagesimum annum. || *Aspergitur.* Incipit canescere. || *Arat.* Ducit, sulcat.

2 *In quasso corpore.* In corpore malis agitato. || *Languent.* Debilitantur. || *Nec lusus.* Non me delectant senem, quae delectarunt iuvenem: et sunt cuiusque aetatis alia studia, alii mores.

3 Nec, si me subito videas, agnoscere possis :
Aetatis facta est tanta ruina meae. (est,
4 Confiteor facere haec annos: sed et altera caussa
Anxietas animi, continuusque labor.
5 Nam mea per longos si quis mala digerat annos,
Crede mihi, Pylio Nestore maior ero.
6 Cernis ut in duris, et quid bove firmius? arvis
Fortia taurorum corpora frangat opus.
7 Quae nunquam vacuo solita est cessare novali,
Fructibus assiduis lassa senescit humus.
8 Occidet, ad Circi si quis certamina semper,
Non intermissis cursibus, ibit equus.
9 Firma sit illa licet, solvetur in aequore navis,
Quae nunquam liquidis sicca carebit aquis.
10 Me quoque debilitat series immensa malorum,
Ante meum tempus cogit et esse senem.

4 *Facere haec.* Praestare ut non possis me cognoscere. || *Anxietas animi.* Animi dolor. || *Continuusque labor.* Et assiduus ac quotidianus corporis cruciatus, sollicitudines, angores.

5 *Digerat.* Ordinet, disponat, computet. || *Pylio Nestore.* Nestore ex Pylo urbe Laconiae. Nestor autem a poëtis tertiam hominum aetatem vixisse fertur, id est, tercentum annos. Plinius tamen scribit eum pervenisse ad XCIX annum; triginta videlicet annis, pro una aetate computatis.

6 *Cernis ut in duris.* Exemplis non modo se labore debilitari, sed et reliqua homine fortiora colligit. || *Opus* Arandi labor.

7 *Vacuo novali.* Agro sine semine. Sunt autem *novalia*, arva tunc primum proscissa. At iuxta alios, *novalis* est terra proscissa, quae anno cessat. || *Assiduis fructibus.* Assiduis segetibus et opere.

8 *Ad certamina Circi.* Ad pugnam ludorum Circensium, in quibus aliquando et pueri nobiles equis ludicrum Troiae inire solebant, autore Cornelio Tacito. || *Occidet ad Circi.* Primum exemplum inductionis, qua probat, assiduitate operis et usu res atteri, et confici, fuit bos arator: alterum novale. Sequitur tertium, equus Circensis. || *Certamina.* In genere de omnibus equestribus certaminibus, quae in Circo fieri solebant, intelligendum.

9 *Quae nunquam sicca.* Id est, quae semper humida || *Sicca carebit aquis* Quae antea aquam non attigit, sed nova, nunquam carebit aquis liquidis, nunquam a navigatione desistet.

10 *Me quoque debilitat* Me etiam ut cetera debilem reddit. ||

11 Otia corpus alunt; animus quoque pascitur illis.
Immodicus contra carpit utrumque labor.
12 Adspice, in has partes quod venerit Aesone natus,
Quam laudem a sera posteritate ferat.
13 At labor illius nostro leviorque minorque:
Si modo non verum nomina magna premunt.
14 Ille est in Pontum, Pelia mittente, profectus,
Qui vix Thessaliae fine timendus erat.
15 Caesaris ira mihi nocuit; quem Solis ab ortu
Solis ad occasus utraque terra tremit.
16 Iunctior Haemonia est Ponto, quam Roma, sinistro:
Et brevius, quam nos, ille peregit iter.
17 Ille habuit comites primos telluris Achivae:
At nostram cuncti destituere fugam.
18 Nos fragili vastum ligno sulcavimus aequor:
Quae tulit Aesoniden, firma carina fuit.

Ante meum tempus. Ante meos annos. || *Cogit et esse senex.* Similem seni, id est, canum, rugosum, marcidum.

11 *Otia.* Quietem et tranquillitatem mentis intellige. || *Carpit.* Consumit. || *Vtrumque.* Et corpus et animum.

12 *Adspice.* Quia posset uxor dicere, Ovidium sibi in illis locis gloriam et immortalitatem, quemadmodum fecit Iason, comparare posse: ideo obiectioni respondet, confertque eius mala cum suis. || *In has partes.* In Pontum, cum Colchos peteret cum Argonautis, ad rapiendum aureum vellus, iussu Peliae Neptuni filii. || *Aesone.* Iason Aesonis filius.

13 *Si modo non.* Si modo, inquit, gesta alicuius clari viri non praeponantur factis hominis vilis et abiecti. Quasi dicat, si modo non voluerit aliquis labores Iasonis meis praeponere: propterea quod maioris est auctoritatis, quam ego.

14 *Fine Thessaliae.* In finibus Thessaliae, cuius ille rex erat

15 *Vtraque terra.* Terra et orienti et occasui subiacens.

16 *Haemonia.* Thessalia, unde solvit Iason. || *Ponto.* Colchidi, quae Ponto adiacet. || *Quam Roma.* Quam Vrbs, unde ad Tromitanam civitatem Istro propinquam perveni.

17 *Primos.* Primarios homines: Castorem scilicet, et Pollucem, Herculem, aliosque. || *Cuncti.* Amici omnes.

18 *Fragili ligno.* Fragili rate. || *Sulcavimus.* Navigavimus. || *Quae tulit Aesoniden.* Argo navim designat, quae in Pelio Thessaliae monte fabricata fuit ex pinu, seu ex quercu.

19 Nec Tiphys mihi rector erat: nec Agenore natus
Quas sequerer, docuit, quas fugeremque vias.
20 Illum tutata est cum Pallade regia Iuno:
Defendere meum numina nulla caput.
21 Illum furtivae iuvere Cupidinis artes;
Quas a me vellem non didicisset Amor.
22 Ille domum rediit: nos his moriemur in arvis,
Persliterit laesi si gravis ira Dei.
23 Durius est igitur nostrum, fidissima coniux,
Illo, quod subiit Aesone natus, onus.
24 Te quoque, quam iuvenem discedens Vrbe reliqui,
Credibile est nostris insenuisse malis.
25 O ego, Dì faciant, talem te cernere possim,
Caraque mutatis oscula ferre genis;
26 Amplectique meis corpus non pingue lacertis,
Et, Gracile hoc fecit, dicere, cura mei:
27 Et narrare meos flenti flens ipse labores;
Sperato nunquam colloquioque frui:
28 Turaque Caesaribus cum coniuge Caesare digna,
Dìs veris, memori debita ferre manu!

19 *Tiphys*. Iste fuit Argonautarum gubernator, Hagniae filius. || *Agenore natus*. Phineus, Agenori filius, qui Iasoni viam quam sequeretur indicavit, et quo pacto petras Cyaneas transiret, ostendit.

20 *Illum tutata est cum Pallade*. Iason semper habuit Deas fautrices, Iunonem, scilicet, et Palladem.

21 *Illum furtivae*. Iason, inquit, habuit Medeam; quae eius amore capta, illi ad rapiendum aureum vellus opera, arte, et consilio profuit. || *Quas*. Artes, scilicet, amatorias: scripsi enim praecepta de Arte amandi

22 *Ille domum rediit*. Iason in Thessaliam rediit, peracta expeditione Colchica || *In his arvis*. In Getico litore. || *Si perstiterit*. Si perseveraverit. || *Dei laesi*. Augusti a me offensi.

23 *Durius est nostrum*. Conclusio. Ergo mea conditio, Iasonis conditione multo est infelicior.

24 *Nostris malis*. Dolore meorum malorum.

25 *Talem*. Hoc est, animum. || *Mutatis comis*. Capillis canitie aspersis.

26 *Fecit hoc gracile*. Fecit hoc corpus tenue et macilentum.

28 *Caesaribus cum coniuge*. Per Caesares, Augustum et eius filios;

29 Memnonis hanc utinam, lenito Principe, mater
Quamprimum roseo provocet ore diem!

EPISTOLA V.

MAXIMO.

ARGVMENTVM. Ad Maximum scribens Poëta, illum admonet, ne miretur, si carmen minus elegans et incultum offenderit: siquidem tot malis et situ ingenium oppressum, non potest eo calore insurgere, quo prius. Deinde docet, cur, quamvis sibi carmina nocuerint, tamen adhuc scribat. Postremo consilium exponit, cur non conetur facere optimum carmen, et illud polire.

1 Ille tuos quondam non ultimus inter amicos,
Vt sua verba legas, Maxime, Naso rogat.
2 In quibus ingenium desiste requirere nostrum,
Nescius exsilii ne videare mei.
3 Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus:
Vt capiant vitium, ni moveantur, aquae.
4 Et mihi, si quis erat, ducendi carminis usus
Deficit; estque minor factus inerte situ. (credis;
5 Haec quoque, quae legitis, si quid mihi, Maxime,
Scribimus invita vixque coacta manu.

per coniugem vero, Liviam Augusti uxorem intellige.

29 *Mater Memnonis.* Aurora Tithoni uxor, materque Memnonis. || *Quam primum provocet diem.* Quam primum diem inducat.

1 *Vt sua verba.* Quamvis exsulis, et habentis Caesarem iratum.

2. *Ne videare nescius* Vt videaris intelligere mala exsilii, in quibus versor. || *Mei exsilii.* Malorum, quae exsilii caussa patior.

3. *Corrumpant.* Nam ut nimio otio et veterno corpora languida redduntur; sic ea exercitatione conservantur. || *Vt capiant vitium.* Vt corrumpantur.

4. *Ducendi carminis. Ducere carmen* eleganter dicitur pro *facere, componere.* || *Inerte situ.* Ignava quadam desidia.

5 *Vix scribimus.* Quia difficile est manum meam impellere ad haec scribenda, et vix illam possum cogere.

6 Non libet in tales animum contendere curas,
Nec venit ad duros Musa vocata Getas.
7 Vt tamen ipse vides, luctor deducere versum.
Sed non fit fato mollior ille meo. (no,
8 Cum relego, scripsisse pudet; quia plurima cer-
Me quoque, qui feci, iudice digna lini. (ior.
9 Nec tamen emendo: labor hic quam scribere ma-
Mensque pati durum sustinet aegra nihil.
10 Scilicet incipiam lima mordacius uti,
Et sub iudicium singula verba vocem? (brum
11 Torquet enim Fortuna parum, nisi Nilus in He-
Confluat? et frondes Alpibus addat Athos?
12 Parcendum est animo miserabile vulnus habenti.
Subducant oneri colla perusta boves.

6 *In tales curas*. In tales componendi carminis sollicitudines. || *Animum contendere*. Libet quidem applicare animum ad tales curas: sed non eundem contendere, id est, in talibus curis accurate et cum diligentia versari.|| *Ad duros Getas*. In regionem Geticam duram et immitem. || *Musa vocata*. Musa a me more poëtico invocata.

7 *Luctor* Conor. || *Sed non fit mollior*. Sed versus meus non fit facilior.|| *Meo fato*. Mea infelicitate. Quasi dicat: versum facio fortunae meae haud dissimilem, hoc est, durum: nam res meae durae sunt.

8 *Digna lini*. Digna deleri.

10 *Scilicet incipiam*. || Debeo, inquit, mordacius uti lima in corrigendo carmine, et laborare circa unumquodque verbum. || *Et sub iudicium*. Vt singula verba censurae subiiciantur.

11 *Fortuna*. Fortuna adversa.|| *Parum torquet*. Parum me angit. || *Nisi Nilus in Hebrum Confluat*. Nisi aquam aquae, hoc est, curam curae addas. Est autem *Nilus* flumen ingens: *Hebrus* quoque flumen est Thraciae || *Et frondes Alpibus addat Athos*. Et frondes etiam addant nemora nemoribus. Sunt autem Alpes montes, qui togatam Galliam dividunt a comata. Athos vero mons est inter Macedoniam et Thraciam, a Xerxe perfossus. Ceterum haec duo Disticha ironice sunt accipienda.

12 *Parcendum est animo*. Ignoscendum est menti meae afflictae, si non facio optima carmina. || *Miserabile vulnus*. Dolorem miseratione dignum, propter exsilium. || *Subducant oneri*. Subtrahant ponderi. || *Colla perusta*. Colla labore consumpta, et ita attrita, ut perusta videantur.

13 At, puto, fructus adest, iustissima caussa labo-
Et sata cum multo foenore reddit ager. (rum:
14 Tempus ad hoc nobis, repetas licet omnia, nullum
Profuit, atque utinam non nocuisset! opus.
15 Cur igitur scribam miraris? miror et ipse;
Et mecum quaero saepe, quid inde feram.
16 An populus vere sanos negat esse poëtas;
Sumque fides huius maxima vocis ego?
17 Qui, sterili toties cum sim deceptus ab arvo,
Damnosa persto condere semen humo.
18 Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum;
Tempus et assueta ponere in arte iuvat.
19 Saucius eiurat pugnam gladiator, et idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.
20 Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus undis;
Et ducit remos, qua modo navit aqua.

13 *At puto* Aliam caussam exponit, cur non faciat optimum carmen: quia scilicet nihil illi conducit id agere. || *Fructus*. Vtilitas. || *Iustissima caussa laborum*. Laboramus enim circa studia, aut gloriae cupiditate, aut fructu ipso, aut ut utrumque consequamur. || *Et sata cum multo foenore*. Sicut ager fertilis, si eum colas, semen creditum multiplicatum reddit: ita ingenium bonum, si cura, meditatio, studium accesserint, longe evadet foecundius.

14 *Ad hoc*. Vsque ad hoc tempus componendo semper carmina. || *Opus*. Libros de Arte amandi designat.

15 *Quid inde feram*. Quid a carminibus utilitatis et fructus percipiam.

16 *Negat esse sanos*. Negat esse sanae mentis. Insani enim poëtae appellantur. || *Sum maxima fides*. Sum maximum, quod poëtae sint insani, exemplum: quod quum carminis caussa relegatus sim, adhuc carmen scribo. || *Huius vocis*. Huius sermonis, quod poëtae insanire dicuntur.

17 *Ab arvo sterili*. A studiis poëticis, quae nullum mihi fructum attulere. || *Condere semen*. Semen obruere: hoc est, carmen componere.

14 *Scilicet est cupidus*. Aliam etiam caussam assignat, cur carmen scribat: Quam enim quisque norit artem, in ea se exercet. || *Ponere tempus*. Tempus locare.

19 *Saucius eiurat pugnam gladiator*. Fatetur se gladiatorum et nautarum exemplis carmen repetere, quamvis id illi nocuerit. || *Antiqui vulneris*. Vulneris alio tempore accepti.

20 *Qua modo navit*. Qua paulo

21 Sic ego constanter studium non utile carpo;
Et repeto, nollem quas coluisse, Deas.
22 Quid potius faciam? non sum, qui segnia ducam
Otia. Mors nobis tempus habetur iners.
23 Nec iuvat in lucem nimio marcescere vino:
Nec tenet incertas alea blanda manus.
24 Cum dedimus somno, quas corpus postulat, horas,
Quo ponam vigilans tempora longa modo?
25 Moris an oblitus patrii contendere discam
Sarmaticos arcus, et trahar arte loci?
26 Hoc quoque me studium prohibent assumere vires:
Mensque magis gracili corpore nostra valet. (est
27 Cum bene quaesieris, quid agam; magis utile nil
Artibus his, quae nil utilitatis habent.
28 Consequor ex illis casus oblivia nostri.
Hanc satis est messem si mea reddit humus.
29 Gloria vos acuat, vos, ut recitata probentur
Carmina, Pieriis invigilate choris.

ante natando evasit naufragium.

21 *Studium non utile.* Artem poëticam.

22 *Quid potius faciam?* Quid potius facere debeo, quam Musas repetere? || *Qui ducam segnia otia.* Qui otiosam et segnem vitam agam. || *Tempus iners.* Tempus sine ulla exercitatione. || *Habetur mors* Aestimatur mors quaedam.

23 *In lucem.* Hoc est, tota nocte. || *Marcescere.* Languescere. || *Manus incertas.* Manus ignaras victoriae aut iacturae. || *Alea blanda.* Blandus ludus.

24 *Quo modo.* Quo alio pacto, quam in studiis poëticis. || *Ponam longa tempora.* Dispensabo tempora quae mihi longissima videntur.

25 *Moris patrii.* Disciplinae Romanae. || *Et trahar arte loci.* Et vivam his artibus, quibus vivitur Tomi.

26 *Hoc studium.* Hanc iaculandi artem. || *Magis valet gracili corpore.* Magis viget, quam tenue et macilentum corpus meum.

27 *Artibus his.* His studiis poëticis. || *Quae nil utilitatis habent.* Quae nil conducunt.

28 *Consequor ex illis.* Caussam tacitae obiectioni respondens assignat, cur cum studia poëtica sint minus fructuosa, illa tamen sequatur. || *Nostri casus.* Mei exsilii et calamitatis. || *Hanc messem.* Hanc utilitatem, ut mala obliviscar, dum studiis poëticis operam do. || *Si mea humus.* Si meum ingenium.

29 *Gloria vos.* Vos, quibus res

30 Quod venit ex facili, satis est componere nobis.
Et nimis intenti caussa laboris abest.
31 Cur ego sollicitâ poliam mea carmina cura?
An verear, ne non approbet illa Getes?
32 Forsitan audacter faciam, sed glorior, Istrum
Ingenio nullum maius habere meo.
33 Hoc, ubi vivendum, satis est si consequor arvo,
Inter inhumanos esse poëta Getas.
34 Quo mihi diversum fama contendere in orbem?
Quem Fortuna dedit, Roma sit ille locus.
35 Hoc mea contenta est infelix Musa theatro.
Sic merui; magni sic voluere Dei.
36 Nec reor hinc illuc nostris iter esse libellis,
Quo Boreas penna deficiente venit.

sunt secundae, gloriae caussa invigilate. || *Acuat.* Stimulet. || *Pieriis. choris.* Choris Musarum.

30 *Ex facili.* Sine difficultate, non nimis laborando in inventione. || *Laboris nimis intenti.* Laborandi nimis curiose. || *Abest.* Remota est: quia nec gloria, nec spes reditus, aut alia caussa mihi offertur, qua debeam facere optima carmina.

31 *Cur ego sollicita.* Aliam etiam caussam assignat huius rei. || *Non approbet illa.* Non laudet illa carmina.

32 *Forsitan audacter faciam.* Forsitan ero audax dicendo quod sequitur.

33 *Hoc arvo.* In hoc solo Tomitano. || *Vbi vivendum.* Quandoquidem voluit Caesar ut vivam. Quasi dicat: Satis erit mihi, haberi poëta apud Scythas; nec est curandum, an parum docte scribam. || *Inhumanos.* Feros, immites. || *Esse poëta.* Dici et haberi vates.

34 *Quo mihi.* Subaudi, prodest. || *Contendere.* Ire. || *In diversum.* In Romanam civitatem. || *Fama.* Famae caussa. Quid prodest mihi, inquit, laborare, ut fama mea Romam perveniat. || *Roma sit ille locus.* Ille locus Scythiae, quem fortuna mihi assignavit, habeatur mihi pro Roma. Quasi dicat: Sufficit mihi, si in Scythia tantum fama mea sit non vulgaris.

35 *Hoc theatro.* Si mihi ab his plauditur, sufficit. || *Sic merui.* Scilicet, esse in Scythia. ||*Magni Dei.* Caesares: vel revera, Deus et Augustus.

36 *Hinc illuc.* E Scythia Romam. || *Penna deficiente.* Iam lassus, quasi alis deficientibus: adeo multis millibus distat. Venti enim a poëtis alati finguntur.

37 Dividimur caelo; quaeque est procul urbe Qui-
Adspicit hirsutos cominus Vrsa Getas. (rini,
38 Per tantum terrae, tot aquas vix credere possim
Indicium studii transiluisse mei.
39 Finge legi, quodque est mirabile, finge placere:
Auctorem certe res iuvet ista nihil.
40 Quo tibi, si calida positus laudere Syene;
Aut ubi Taprobanen Indica cingit aqua?
41 Altius ire libet? si te distantia longe
Pleïadum laudent signa, quid inde feras?
42 Sed neque pervenio scriptis mediocribus istuc:
Famaque cum domino fugit ab Vrbe suo.

37 *Dividimur caelo.* Separamur a Roma caeli distantia. Est enim Roma in alio caeli climate, quam Scythia. || *Procul urbe. Quirini.* Longe a Romana civitate, quam Quirinus, hoc est, Romulus, condidit. || *Aspicit hirsutos Getas.* Videt Getas hispidos et barbatos ||*Cominus Vrsa.* Getae sunt sub Vrsa maiori in septentrionali plaga.

38 *Tot aquas.* Per tot maria, vix credo pervenisse libellos meos. || *Indicium mei studii.* Notitiam meae doctrinae.

39 *Finge legi.* Finge carmina mea legi a populo Romano. || *Auctorem.* || Me Ovidium. || *Nihil iuvet.* Nihil podest: quia ob eam caussam non impetrabo reditum in patriam.

40 *Quo tibi.* Haud secus, inquit, proderit tibi, ac si in his locis lauderis, quae Poëta commemorat. || *Calida Syene.* Syene oppidum fuit supra Alexandriam quinque millibus stadiorum. *Calidam* autem appellat *Syenen*, quoniam directe locata fuit sub tropico aestivo, id est, sub Cancro, in extremo torridae zonae. || *Aut ubi Taprobanen.* Taprobane insula est, quae distare dicitur ab australissimis partibus, quae sunt apud Coniacos meridiem versus, septem dierum navigatione. || *Indica aqua.* Mare Indicum.

41 *Altius ire libet.* Placet etiam per altiora et caelestia idem probare. || *Longe distantia.* Longe remota, tanquam in caelo existentia. || *Signa Pleiadum.* Loquantur Pleiades et te commendent, quid inde emolumenti ad te redibit? Pleiades sunt septem stellae ante genua Tauri, alio nomine *Vergiliae.* Fuerunt filiae Atalantis et Pleiones; quarum sex primae Diis nupserunt; ultima vero Sisypho mortali, unde reliquis minus splendet. || *Quid inde feras.* Quid ex ea laude consequeris? quasi dicat, nihil.

42 *Sed neque pervenio istuc.* Sed neque impetro reditum Romam si carmina mea magis placuerint. ||*Fugit ab Vrbe.* Ab urbe Ro-

43 Vosque, quibus perii, tunc cum mea fama sepulta
Nunc quoque de nostra morte tacere reor. (est,

EPISTOLA VI.

GRAECINO

Argumentum. Ad Graecinum scribens, dolet Poëta eum non affuisse eo tempore quo ab Augusto relegatus est: quem arbitratur magnum cepisse dolorem, ubi primum rem omnem accepit. Secundo eum rogat, ut alloquio suo et literis saltem consoletur: nec scire cupiat quam ob caussam exsularit, ne recrudescant vulnera iam occlusa. Postmodum docet non prorsus sibi ademptam esse spem reditus: fateturque simul, in Caesaris clementia plurimum sperare: quem ut sibi reconcilietur, precatur. Demum dicit omnia impossibilia potius fieri posse, quam credere se a Graecino fido et veteri amico posse destitui.

1 Ecquid ut audisti, nam te diversa tenebat
Terra, meos casus, cor tibi triste fuit?
2 Dissimules, metuasque licet, Graecine, fateri;
Si bene te novi, triste fuisse liquet.

mana discessit. || *Cum suo domino.* Cum me Ovidio exsule. Hoc dicit: Et famam nominis, et patriam pariter amisi.

43 *Tunc cum mea fama.* Tunc quum damnatus fui: eo enim tempore fama mea periit. || *Vosque, quibus perii.* Alloquitur Poëta, amicos. Neque illos tacere de se iubet: sed vereri se ait, ne id faciant, quando quidem hoc vulgare ac tritum est, scilicet, ut adversis rebus laborantem etiam amici obliviscantur. Fama enim, inquit, mea cum domino suo ab urbe fugit, sive abiit, eoque etiam vos amicos arbitror iam mei exsilii ac fugae, quae mortis instar mihi est, non amplius meminisse.

1 *Ecquid ut audisti meos casus.* Infortunium meum, hoc est, me ab Augusto relegatum. || *Diversa tenebat terra.* Nam tu non eras Romae eo tempore, sed in alia terra. || *Cor tibi triste fuit.* Dolore affectus fuisti.

2 *Licet dissimules metuasque fateri.* Quamvis fingas non ita esse, et timeas dicere te mea caussa doluisse. || *Fuisse triste.* Cor fuisse moestum.

3 Non cadit in mores feritas inamabilis istos;
Nec minus a studiis dissidet illa tuis.
4 Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescunt, asperitasque fugit.
5 Nec quisquam meliore fide complectitur illas,
Qua sinit officium, militiaeque labor. (sem;
6 Certe ego, cum primum potui sentire quid es-
Nam fuit attonito mens mihi nulla diu; (ses:
7 Hoc quoque Fortunae sensi, quod amicus abes-
Qui mihi praesidium grande futurus eras.
8 Tecum tunc aberant aegrae solatia mentis:
Magnaque pars animae consiliique mei.
9 At nunc, quod superest, fer opem, precor, emi-
Alloquioque iuva pectora nostra tuo. (nus unam:

3 *Feritas inamabilis.* Crudelitas quae amatur a nemine. || *Non cadit in istos mores.* Non cadit in talem virum, qualis es tu. || *A tuis studiis.* Ab ingenuis disciplinis, quae in te sunt. || *Dissidet.* Discrepat. || *Ista.* Subauditur, feritas.

4 *Artibus ingenuis.* Liberalibus disciplinis. || *Pectora mollescunt.* Mentes fiunt molles et humanae. || *Asperitasque fugit.* Et feritas ponitur.

5 *Meliore fide.* Meliore animo, quam tu. Aut non vacando magis ulli rei, quam ingenuis artibus; aut quia eas bene intelligis, et fideliter interpretaris. || *Illas.* Scilicet, ingenuas artes. || *Militiaeque labor.* Ex quo designat eum rei militaris studiosum, et cum per illam licet liberalibus disciplinis operam dare.

6 *Quid essem* Quo in statu essem: hoc est, relegatus ab Augusto. || *Nam fuit attonito.* Nam quum primum casum meum audivi, prae dolore consternatus, amens diu non intellexi, essemne ab Augusto relegatus, an non. || *Nulla mens.* Nulla mentis intelligentia.

7 *Hoc Fortunae.* Hoc aliud infortunium praeter relegationem, quod scilicet aberas. || *Eras futurus.* Si praesens fuisses.

8 *Tecum tunc aberant.* Hoc est, tu cum tuis solatiis procul eras. || *Solatia* Consolationes tuae. || *Mentis aegrae.* Quas meae menti tristi allaturus fueras, si affuisses. || *Magnaque pars animae.* Subaudi, aberat.

9 *Quod superest.* Quod agendum restat: quod adhuc potes, et ego abs te desidero. || *Fer unam opem.* Fer unum auxilium solando me. || *Eminus.* Procul a mea regione. || *Tuo alloquio.* Tuis verbis et literis.

10 Quae, non mendaci si quidquam credis amico,
Stulta magis dici, quam scelerata, decet.
11 Nec leve, nec tutum, peccati quae sit origo,
Scribere : tractari vulnera nostra timent.
12 Qualicunque modo mihi sint ea facta, rogare
Desine. Non agites, si qua coire velis. (dum est.
13 Quidquid id est, ut non facinus, sic culpa, vocan-
Omnis an in magnos culpa Deos, scelus est?
14 Spes igitur menti poenae, Graecine, levandae
Non est ex toto nulla relicta meae.
15 Haec Dea, cum fugerent sceleratas numina terras,
In Dîs invisa sola remansit humo. (sor ;
16 Haec facit, ut vivat vinctus quoque compede fos-
Liberaque a ferro crura futura putet.

10 *Quae.* Scilicet, pectora nostra.|| *Stulta.* Improvida. || *Quam scelerata* Quam ulli sceleri obnoxia.

11 *Nec leve, nec tutum.* Quia Augustum timeo. || *Peccati.* Culpae, cuius caussa relegatus sum.

12 *Mihi sint ea facta.* Ea vulnera sint mihi illata. || *Non agites.* Ne attrectes. || *Si qua coire velis.* Si velis vulnera cogi et obduci.

13 *Quidquid id est.* Qualecunque hoc est, cuius caussa relegatus fui. || *Vt non facinus.* Vt non est vocandum scelus. || *Sic culpa vocandum est.* Sic dici debet error et imprudentia.|| *Omnis an in magnos culpa.* At, inquit, solent Dii magni culpam omnem, hoc est, minimum quodque crimen, scelus maximum ducere. Vel blandiendo Augusto dicit, ne quidem leviter errandum esse contra dominos: una enim quaeque culpa in eos vel levicula, habetur pro magna.

14 *Poenae levandae.* Minuendi supplicii, aut certe tollendi. || *Nulla spes.* Aliqua spes. || *Ex toto* Prosus Vel ex toto, scilicet, supplicio.

15 *Haec Dea cum fugerent.* Spes, inquit, sola ex Diis terras incoluit eo tempore quo cetera numina terras reliquere. || *Sceleratas terras.* Terras quas scelerati homines habitarunt. || *In humo invisa Dîs.* In terra Diis odiosa. || *Remansit sola.* Sola restitit ipsa Spes. Quod ideo fingunt poëtae, quia neminem unquam destituit spes.

16 *Vt fossor* Vt qui fodit agros. || *Compede vinctus.* In ergastulis ligatus. Hoc dicit: Servi quoque in ergastulis operari coacti, sperando vivunt, nec se interficiunt. || *A ferro.* A ferreis compedibus.

17 Haec facit, ut, videat cum terras undique nullas,
Naufragus in mediis brachia iactet aquis.
18 Saepe aliquem sollers medicorum cura reliquit;
Nec spes huic vena deficiente cadit.
19 Carcere dicuntur clausi sperare salutem :
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
20 Haec Dea quam multos laqueo sua colla ligantes
Non est proposita passa perire nece!
21 Me quoque conantem gladio finire dolorem
Arcuit, iniecta continuitque manu. (dixit :
22 Quidque facis? lacrimis opus est, non sanguine ,
Saepe per has flecti Principis ira solet.
23 Quamvis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.
24 Qui ne difficilis mihi sit, Graecine, precare :
Confer et in votum tu quoque verba meum.

17 *Heac facit ut videat.* Spes etiam facit, ut naufragus in medio mari destitutus, quamvis nullas videat terras, speret se evasurum. || *Iactet brachia.* Natando moveat brachia.

18 *Sollers cura medicorum.* Sollicita et instructa medicorum cura. || *Reliquit aliquem.* Aliquem aegrorum tanquam periturum destituit. || *Nec spes cadit huic.* Nec tamen aegrotus spem ponit. || *Vena deficiente.* Viribus collapsis. Idenim inter signa mortis enumerat Plinius.

19 *Clausi carcere* Rei in carcerem coniecti. || *Pendens in cruce.* Cruci affixus. || *Vota facit.* Vovet aliquid Diis, si evaserit.

20 *Proposita nece* Proposito genere mortis, ut scilicet laqueo vitam finiat.

21 *Finire dolorem gladio.* Me ipsum interficere, nec amplius exsilii dolore angi || *Arcuit.* Prohibuit Spes ipsa. Aut etiam corripuit, ac reprehendit || *Continuitque.* Et detinuit.

22 *Lacrimis opus est.* Est opus fletus, ut Caesarem moveas. || *Non sanguine.* Non morte.

23 *Indebita nostris meritis* Non debita meo sceleri. || *In bonitate Dei.* In Augusti clementia.

24 *Qui ne difficilis mihi sit.* Ita est humanus et misericors Caesar, ut tamen rogari velit. Ergo roga eum pro me, etc. || *Confer et in votum.* Tu etiam Graecine alloquere Augustum, et tuas preces confer cum voto meo: quod est, ut ab eo reditum impetrem. Vel hoc dicit : Tu quoque alloquere Augustum, ut sim voti mei compos.

25 Inque Tomitana iaceam tumulatus arena,
Si te non nobis ista vovere liquet.
26 Nam prius incipiant turres vitare columbae,
Antra ferae, pecudes gramina, mergus aquas;
27 Quam male se praestet veteri Graecinus amico.
Non ita sunt fatis omnia versa meis.

EPISTOLA VII.

MESSALLINO.

ARGVMENTVM. E Ponto ad Messallinum hanc scripsit Epistolam Ovidius; docetque simul eius patris fratrisque amorem. Loquitur deinde de poena, qua eum affecit Augustus: cuius caussa se ab eo minime reiiciendum esse colligit. Ostendit postremo, se officiosum semper fuisse erga eius domum: dolendumque si quid sibi infelix et triste evenit.

1 Litera pro verbis tibi, Messalline, salutem,
Quam legis, a saevis attulit usque Getis.
2 Indicat auctorem locus? an, nisi nomine lecto,
Haec me Nasonem scribere verba latet?

25 *Inque Tomitana.* Sensus est: Et nunquam reditum in patriam impetrem, sed moriar in exsilio Tomitano, si non est mihi exploratum, te desiderare reditum meum. || *Si non liquet.* Si non est manifestum. || *Te vovere ista nobis.* Te haec nobis voto tuo optare.

26 *Nam prius incipiant.* Per columbarum, ferarum, pecudum, et mergorum exempla, docet impossibile esse, ut non ametur Graecino. || *Turres.* Alta domicilia, in quibus libenter commorantur columbae.

27 *Male se praestet.* Male se gerat. || *Veteri amico.* Per veterem amicum se designat, iam multos annos benevolentia illi coniunctum.|| *Non ita.* Non ita, inquit, fata mihi sunt contraria, ut ab amico etiam destituar. || *Versa.* Adversa; vel, mutata.

1 *Pro verbis.* Verborum loco. Nam quum adessem, te coram salutabam: nunc absente alloquor literis.

2 *Indicat auctorem locus?* Cognoscisne per locum, unde literae mittuntur, qui eas scripserit? || *An latet?* An ignoras?

3 Ecquis in extremo positus iacet orbe tuorum,
Me tamen excepto, qui precor esse tuus?
4 Dî procul a cunctis, qui te venerantur amantque,
Huius notitiam gentis abesse velint.
5 Nos satis est inter glaciem Scythicasque sagittas
Vivere: si vita est mortis habenda genus.
6 Nos premat aut bello tellus, aut frigore caelum:
Truxque Getes armis, grandine pulset hiems:
7 Nos habeat regio, nec pomo feta, nec uvis;
Et cuius nullum cesset ab hoste latus.
8 Cetera sit sospes cultorum turba tuorum;
In quibus, ut populo, pars ego parva fui.
9 Me miserum, si tu verbis offenderis istis:
Nosque negas ulla parte fuisse tuos!
10 Idque sit ut verum, mentito ignoscere debes.
Nil demit laudi gloria nostra tuae.
11 Quis se Caesaribus notus non fingit amicum?
Da veniam fasso; tu mihi Caesar eris.

3 *Ecquis tuorum.* Nunquis tuorum amicorum aut clientum? || *In extremo orbe.* In ultima septentrionis plaga. || *Iacet.* Aut habitat; aut re vera tanquam mortuus et prostratus iacet. || *Qui precor esse tuus.* Qui Ovidius cupio ut sim tuus, nec a te destituar.

4 *Dî procul a cunctis.* Faxint Dii, ne quisquam cultorum tuorum has gentes praesens noverit. || *Notitiam huius gentis.* Notitiam gentis Scythicae.

5 *Satis est nos vivere.* Sufficit nos vitam agere. || *Si genus mortis est habenda vita.* Si quaedam mortis qualitas, hoc est, exsilium meum debet appellari vita.

6 *Premat nos bello.* Me bello insequatur ex omni parte

7 *Nec pomo feta, nec uvis.* Scythiam intelligit, quae prae nimio frigore nec poma, nec vinum fert.

8 *Tuorum cultorum.* Tuorum clientum.

9 *Verbis istis.* Quibus dixi me olim fuisse in turba tuorum cultorum.

10 *Idque sit ut verum.* Quamvis, inquit, sit verum hoc, quod negas me ulla parte tuum fuisse. || *Mentito.* Quod me tuum esse scripsi. Hoc autem dicit, ne amicum offendat, timentem Augustum laedere. || *Nil demit laudi.* Nil detrahit tuae famae. || *Gloria nostra.* Si glorior me fuisse tibi amicum.

11 *Notus Caesaribus.* Cognitus Caesari Augusto, et eius liberis:

12 Nec tamen irrumpo, quo non licet ire : satisque
Atria si nobis non patuisse negas. (est,
13 Vtque tibi fuerit mecum nihil amplius; uno
Nempe salutaris, quam prius, ore minus.
14 Nec tuus est genitor nos inficiatus amicos,
Hortator studii, caussaque, faxque, mei.
15 Cui nos et lacrimas, supremum in funere munus ,
Et dedimus medio scripta canenda foro.
16 Adde quod est frater tanto tibi iunctus amore ,
Quantus in Atridis Tyndaridisque fuit.
17 Is me nec comitem nec dedignatus amicum est:
Si tamen haec illi non nocitura putas.

potentium enim amicitiam consectantur omnes. || *Fasso.* Mihi locuto, quod mentitus fui, vel quod familiaritatem tuam professus sum. || *Tu mihi Caesar eris.* Quasi dicat: Tanti faciam te, quanti Caesarem; parique honore te colam.

12 *Nec tamen irrumpo* Nec tamen illuc accedo, quo non licet: hoc est; non te adeo, nisi verecunde: te enim venerari soleo. Itaque nil faciam te invito. || *Atria.* Aedes tuas, quae mihi patebant, quum te salutatum veniebam.

13 *Vtque tibi fuerit.* Quasi dicat: Quamvis nihil amplius habueris, quam quod atria tua frequentaverim salutandi gratia. || *Minus uno ore.* Minus uno homine. || *Quam prius.* Quam antea.

14 *Nec est inficiatus nos.* Non debet te pudere amicitiae meae, quando nec patrem tuum puduit. || *Faxque.* Et lumen, splendor, aut certe ardor et incitator.

15 *Et lacrimas.* Subaudi, *dedimus*; hoc est, deflevimus carmine, seu oratione. || *Supremum.* Vltimum et postremum donum. || *In funere.* In eius morte. || *Et dedimus medio.* Et edidimus in publicum huiusmodi orationem, aut versus, eius laudes et mortem complectentes. Mos in funeribus laudandi defunctos, Romanis vetustissimus.

16 *Adde quod est frater.* Caussam aliam assignat, cur amari debeat a Messallino. || *Quantus*, Quam magnus amor. || *In Atridis.* In Agamemnone et Menelao, qui *Atridae* dicuntur, quia ab *Atraeo*, Rege Mycenarum, patruo adoptati erant. || *Tyndaridisque*, Et in Castore et Polluce, *Tyndari* filiis.

17 *Haec.* Ista, quae de eius in me amore praedico. || *Non nocitura.* Quia illi fortasse mea caussa noceret Augustus, si sciret illum fuisse mihi comitem, aut amicum.

18 Si minus, hac quoque me mendacem parte fatebor.
Clausa mihi potius tota sit ista domus.
19 Sed neque claudenda est, et nulla potentia vires
Praestandi, ne quid peccet amicus, habet. (gari;
20 Et tamen ut cuperem, culpam quoque posse ne-
Sic facinus nemo nescit abesse mihi.
21 Quod nisi delicti pars excusabilis esset;
Parva relegari poena futura fuit.
22 Ipse sed hoc vidit, qui pervidet omnia, Caesar ;
Stultitiam dici crimina posse mea. (percit;
23 Quaque ego permisi, quaque est res passa , pe-
Vsus et est modice fulminis igne sui.
24 Nec vitam, nec opes, nec ademit posse reverti :
Si sua per vestra victa sit ira preces.

18 *Si minus.* Si putas haec nocitura : hoc est, si arbitraris, hoc quod dico, fratri obesse posse. || *Hac quoque me.* Profitebor, inquit, hac in re mentitum me fuisse: quemadmodum etiam de te dixi, quod fueris mihi amicus. || *Potius.* Quam, subaudi, velim quidquam affirmare quod obsit fratri. || *Ista domus.* Fratris tui domus.

19 *Et nulla potentia vires.* Nam cum nulla potentia tanta sit, quae possit prohibere, sive facere, quo minus alicuius alterius amicus aliquando peccet: neque Augustus ita inhumanus, aut saevus erit, ut propterea fratrem tuum persequi aut odisse velit, quia ego, amicus illius, aliquando peccavi.

20 *Et tamen ut cuperem.* Et tamen, inquis, quemadmodum optarem, me nunquam commisisse hoc, cuius caussa Augustus me relegavit; sic omnes intelligunt me erroris potius quam sceleris damnandum esse. || *Culpam.* Errorem et imprudentiam. || *Facinus.* Scelus.

21 *Quod nisi delicti.* Sensus est: Si delicti mei magnitudo tanta esset, ut non posset excusari, Augustus me occidisset, et non relegasset. || *Excusabilis.* Quia imprudenter peccavi.

22 *Qui pervidet omnia.* Qui tanquam prudens omnia ante prospicit. || *Stultitiam.* Imprudentiam.

23 *Quaque ego permisi.* Et quantum ego concessi : nam me nihil defendi, aut excusavi Augusto. || *Quaque est res passa.* Pro conditione rei pepercit vitae meae. Hoc enim est, quod subdit, usum modice fulmine suo, et se quasi leviore fulmine percussum.

24 *Nec ademit posse reverti.* Nec removit mihi spem reditus.

25 At graviter cecidi. Quid enim mirabile, si quis
A Iove percussus non leve vulnus habet ?
26 Ipse suas ut iam vires inhiberet Achilles,
Missa graves ictus Pelias hasta tulit.
27 Iudicium nobis igitur cum vindicis adsit,
Non est cur tua me ianua nosse neget.
28 Culta quidem, fateor, citra, quam debuit, illa :
Sed fuit in fatis hoc quoque, credo, meis.
29 Nec tamen officium sensit magis altera nostrum.
Hic, illic, vestro sub Lare semper eram.
30 Quaeque tua est pietas: ut te non excolat ipsum ,
Ius aliquod tecum fratris amicus habet. (per,
31 Quid, quod, ut emeritis referenda est gratia sem-
Sic est fortunae promeruisse tuae ?

25 *At graviter cecidi.* Quamvis dixerim, modice usum in me supplicio Augustum; tamen id mihi videtur grave. || *Quid enim mirabile?* Per interrogationem non esse mirandum colligit, si graviter cecidit. || *A Iove.* Ab Augusto.

26 *Vt iam vires inhiberet suas.* Quamvis non magno impetu eam amitteret.||*Pelias.* Hasta Achillis fraxinea, quae in *Pelio* monte Thessaliae et a patre *Peleo* ipsi donata erat.

27 *Iudicium vindicis.* Quod me liberavit a morte. Vel certe iudicium ultoris Augusti intellige, quod ultus fuit crimen meum admissum, me relegando. || *Adsit nobis.* Faveat mihi. || *Tua ianua.* Tua domus. || *Neget nosse.* Non est cur tua me amicitia et clientela excludas Vel *neget*, dicat me non cognoscere, timens ne Augustum laedat.

28 *Citra quam debuit.* Minus quam debebam. || *Illa.* Domus tua scilicet. || *In meis fatis.* In meo infortunio, ut domum tuam minus colerem: vel, relegatus non potui ad extremum vitae domum tuam colere, quia fata mea non concessere. || *Hoc quoque.* Hoc etiam, ut domum tuam minus colerem, quam deberem: quemadmodum etiam fuit in meis fatis, ut relegarer.

29 *Altera.* Alia familia, quam vestra. || *Hic.* Domi vestrae. || *Illic.* Domi meae. (Vel *hic illic*, pro ubicumque, seu quovis loco, positum.) || *Sub vestro Lare semper.* Sub vestra domo, tutela, et imperio.

30 *Quaeque tua est pietas.* Et cuiusmodi tuus est amor erga fratrem. Ostendit autem, Messallino se amicum esse debere caussa fratris, quo cum magnam sibi fuisse amicitiam docet. || *Vt te non excolat ipsum.* Quamvis qui est amicus fratris, non sit tibi familiaris. || *Ius aliquod.* Aliquod vinculum. || *Habet tecum.* Habere debet tecum.

31 *Quid.* Subaudi, *dicam*. || *Emeritis.* Amicis iam functis offi-

32 Quod si permittis nobis suadere, quid optes :
Vt des, quam reddas, plura, precare Deos.
33 Idque facis, quantumque licet meminisse, solebas
Officii caussam pluribus esse dati.
34 Quo libet in numero me, Messalline, repone:
Sim modo pars vestrae non aliena domus.
35 Et mala Nasonem, quoniam meruisse videtur,
Si non ferre doles, at meruisse dole.

cio erga amicum, et postea quiescentibus; vel, personis valde meritis. || *Sic est tuae fortunae.* Sic ad te, qui es potens, et uteris feliciori fortuna quam ego, pertinet. || *Promeruisse.* Beneficiis conciliasse et iuvisse.

32 *Si permittis.* Si nobis concedis. || *Suadere quid optes.* Hortari te quod debeas optare a Diis, vel eligere. || *Vt des.* Messallinum dicit debere optare et Deos rogare, ut scilicet magis afficiat beneficiis alios suis, quam ille ab aliis accipiat.

33 *Idque facis.* Et id praestas plus dando, quam reddendo. || *Quantumque licet.* Et quantum potes, et subauditur, facis. || *Esse caussam officii dati pluribus.* Te esse caussam, quod plures beneficia secuti fuerint.

34 *Quo libet.* Vel in numero amicorum tuorum, vel amicorum confratris tui.

35 *Si non doles Nasonem ferre mala.* Si non tristaris me Ovidium in exsilio inquietissimo versari.|| *At meruisse dole.* Saltem dole quod meritus sum relegari ab Augusto. Quasi dicat, saltem dole quod fuerim infelix.

EPISTOLA VIII.

SEVERO.

Argumentum. Severo amico exponit se cinctum hostibus, in assiduis semper praeliis versari, miroque amicorum, coniugis, filiae, et patriae desiderio teneri; simul dolet, quod cum careat praediolo et hortis, arando, seminando, curas imminuat. Colligit tamen prae hostium multitudine, quae Tomitanam civitatem semper infestant, non posse id sibi praestari. Postremo laetatur quod e contra in Severo sint omnia secunda: monetque, ut optet locum aliquem magis propinquum dari sibi ab Augusto.

1 A tibi dilecto missam Nasone salutem
   Accipe, pars animae magna, Severe, meae.
2 Neve roga, quid agam: si persequar omnia, flebis.
   Summa satis nostri si tibi nota mali.
3 Vivimus assiduis expertes pacis in armis,
   Dura pharetrato bella movente Geta;
4 Deque tot expulsis sum miles in exsule solus:
   Tuta, nec invideo, cetera turba iacet.
5 Quoque magis nostros venia dignere libellos,
   Haec in procinctu carmina facta leges.

2 *Si persequar omnia.* Omnia mala mea exposuero. || *Flebis.* Plorabis prae dolore. || *Summa nostri mali.* Summatim mala mea tibi exponam: nam si particulariter omnia persequerer, plorares.

3 *Expertes pacis.* Sine pace. || *Geta pharetrato.* Geta populo sagittifero. Sagittis enim veneno illitis in bello Getae utebantur.

4 *Deque tot expulsis.* Et de tot civibus exsulantibus. || *Solus sum miles in exsule.* Solus sum miles pariter et exsul, bello scilicet et exsilio damnatus. || *Cetera turba.* Reliqui Romani exsules praeter me. || *Iacet.* Non armis vexatur. Vel, non exsulat ut ego.

5 *Dignere venia nostros.* Mihi ignoscas, si versus mei fuerint minus boni. || *In procinctu.* In expeditione et apparatu bellico.

6 Stat vetus urbs, ripae vicina binominis Istri,
Moenibus et positu vix adeunda loci.
7 Caspius Aegypsos, de se si credimus ipsis,
Condidit; et proprio nomine dixit opus.
8 Hanc ferus, Odrysiis inopino Marte peremtis,
Cepit, et in regem sustulit arma Getes.
9 Ille memor magni generis, virtute quod auget,
Protinus innumero milite cinctus adest.
10 Nec prius abscessit, merita quam caede nocentum
Se nimis ulciscens exstitit ipse nocens.
11 At tibi, rex aevo, detur, fortissime nostro,
Semper honorata sceptra tenere manu:

6 *Vetus urbs*. Vrbem Tomo vicinam describit, quam ab hostibus infestari dicit. || *Stat*. Vel erecta est, tanquam in montibus sita: vel, posita est. || *Istri binominis*. Istri habentis duo nomina. *Danubius* enim usque ad Axium oppidum appellatur: inde vero usque ad mare *Ister* dicitur. || *Et positu loci*. Et ipsius loci situ. In arduo, scilicet, et saxoso loco et prope inaccesso.

7 *Aegypsos*. Aegypsos e gente Caspia, quae nomen portis et mari dedit, ut est auctor Plinius.|| *De se si credimus ipsi*. Si fides praedicanti aliquid de seipso est adhibenda. || *Proprio nomine dixit*. Hoc est, Aegypsum. || *Opus*. Vrbem a se conditam.

8 *Ferus Getes*. Crudelis et immitis ille populus. || *Peremtis Odrysiis*. A Getis interfectis incolis eius oppidi, qui erant ab Odrysia Thraciae urbe oriundi. || *Inopino Marte*. Praelio non expectato: eos enim incautos Getae adorti sunt.|| *Et sustulit arma in regem*. Et distulit arma; nam capta urbe, regem fugientem insequi noluit.

9 *Ille*. Rex, scilicet. || *Magni generis*. Magnae originis et sanguinis. || *Quod auget virtute*. Quod genus propria virtute ille magis clarum facit.|| *Adest*. Cum magno exercitu ad oppidum captum evertit.

10 *Nec prius abscessit*. Nec prius discessit ab oppugnatione oppidi. || *Merita caede nocentum*. Morte quam meriti fuerant nocentes Getae, a quibus oppidum improviso captum dixerat; nam ad unum omnes interemit. || *Quam ipse nimis ulciscens se*. Quam rex plus aequo iniuriam acceptam vindicans. || *Extitit nocens*. Ita modum irae excessit ulciscendo hostes, ut nocens videretur.

11 *At tibi rex*. Nunc vertit sermonem ad regem, qui virtute oppidum Tomo finitimum recepit. || *Semper tenere sceptra*. Semper honorifice imperare.

12 Teque, quod et praestat, quid enim tibi plenius optem?
Martia cum magno Caesare Roma probet.
13 Sed memor unde abii, queror, o iucunde sodalis,
Accedant nostris saeva quod arma malis.
14 Vt careo vobis, Stygias detrusus in oras,
Quatuor autumnos Pleïas orta facit.
15 Nec tu credideris urbanae commoda vitae
Quaerere Nasonem : quaerit et illa tamen.
16 Nam modo vos animo, dulces, reminiscor, amici ;
Nunc mihi cum cara coniuge nata subit :
17 Eque domo rursus pulchrae loca vertor ad Vrbis,
Cunctaque mens oculis pervidet illa suis.
18 Nunc fora, nunc aedes, nunc marmore tecta theatra,
Nunc subit aequata porticus omnis humo.
19 Gramina nunc Campi pulchros spectantis in hortos,
Stagnaque et Euripi, Virgineusque liquor.

12 *Teque quod et praestat.* Optat etiam Ovidius ut rex ille sit carus Romanae civitati et Caesari. || *Martia.* Quia Roma studiis asperrima belli: et quia Martem generis sui auctorem iactat.

13 *Sed memor unde abii.* Quia aliquantulum digressus fuerat ab eo quod superius scripserat, a diverticulo ad rem redit.

14 *Vt careo vobis.* Postquam a vobis absum. || *Detrusus.* Quia admodum nolens eo profectus est. || *Quatuor autumnos.* Quatuor annos. || *Pleïas orta.* Oriuntur Pleiades IV. Nonas Apriles. De Pleiadibus plura diximus superius.

15 *Illa.* Scilicet commoda vitae urbanae.

16 *Nata.* Filia Perilla. || *Subit.* In mentem venit.

17 *Domo.* A meis domesticis. || *Pulchrae Vrbis.* Pulchrae Romae. || *Vertor.* Deducor, pervenio cogitatione. || *Cuncta illa.* Omnia illa loca quae statim Poëta commemorat.

18 *Nunc aedes.* Aliquando mihi subeunt domus magnificentissimae, et quae auro fulgebant. Potes hoc etiam ad aedes sacras referre, quas Romae magnificentissimas fuisse scribit Strabo. || *Nunc marmore tecta.* Vitruvius lib. V. scribit: Post scenam porticus sunt constituendae, uti cum imbres repentini interpellaverint, habeat populus quo se recipiat ex theatro. Potes etiam per theatra tecta marmore, intelligere theatrum M. Scauri, quod maximum omnium, quae unquam fuere humana manu facta. || *Nunc subit.* Modo in mentem venit. || *Aequata humo.* Pavimentis aequis.

19 *Gramina nunc Campi.* Her-

20 At, puto, sic Vrbis misero est erepta voluptas,
Quolibet ut saltem rure frui liceat.
21 Non meus amissos animus desiderat agros,
Ruraque Peligno conspicienda solo :
22 Nec quos piniferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiae Clodia iuncta viae :
23 Quos ego nescio cui colui ; quibus ipse solebam
Ad sata fontanas, nec pudet, addere aquas. (dam.
24 Sunt ibi, si vivunt, nostra quoque consita quon-
Sed non et nostra poma legenda manu.
25 Pro quibus amissis utinam contingere possit
Hic saltem profugo gleba colenda mihi !

has campi proximi campo Martio. || *Stagnaque et Euripi.* Et aquae stantes in Euripis. Hoc dicit: Et canales ac ductus aquarum, qui *Euripi* appellantur, mihi subeunt: quas res Romani maximo impendio parabant. || *Virgineusque liquor.* Aquam virginem intellige, quam Agrippa aedilis in agro Lucullianocollectam, Romam perduxit, coss. C. Sentio et Sp. Lucretio. *Virgo* autem appellata fuit, quod quaerentibus aquam militibus puella virguncula quasdam venasmonstravit,quas secuti qui foderant ingentem aquae modum invenerunt.

20 *At, puto, sic Vrbis.* Miserabiliter queritur Poëta, quod non modo carendum sit urbana voluptate, sed etiam hortis amoenissimis. || *Quolibet rure.* Quolibet agro longe ab urbe.

21 *Amissos agros.* Agros relictos, non autem ereptos ab Augusto: quod exsulibus fieri solebat, non relegatis. || *Solo Peligno.* In terra Pelignae regionis; hoc est, in agro Sulmonensi.

22 *Flaminiae viae.* Viam Flaminiam e Roma per Thusciam et Vmbriam usque Ariminum C. Flaminius, M. Lepidi collega, in consulatu stravit, ut scribit Strabo lib. V. || *Clodia.* Via *Clodia* sive *Claudia* ea erat, quae, non procul a lacu Cimino , per Hetruriam ducebat Florentiam, Pistorium, et Lucam. Vt sit sententia Poëtae: se iam neque hortos, sive agros, quos in Pelignis habuit , desiderare ; neque eos, quos iuxta Flaminiam coluit, eo loco , ubi Flaminia et Claudia viae iunguntur.

23 *Nescio cui.* Cum dolore dicit. Nescio cui colui hortos meos: nam modo non licet illis frui. || *Addere aquas fontanas ad sata.* Semina irrigare.

24 *Sunt ibi.* Sunt in his meis hortis.

25 *Hic.* In Getico litore et in agro Tomitano. || *Profugo mihi.* Relegato. || *Gleba.* Parum terrae.

26 Ipse ego pendentes, liceat modo, rupe capellas,
Ipse velim baculo pascere nixus oves.
27 Ipse ego, ne solitis insistant pectora curis,
Ducam ruricolas sub iuga panda boves.
28 Et discam Getici quae norint verba iuvenci:
Assuetas illis adiiciamque minas.
29 Ipse manu capulum pressi moderatus aratri
Experiar mota spargere semen humo.
30 Nec dubitem longis purgare ligonibus arva:
Et dare iam, sitiens quas bibat hortus, aquas.
31 Vnde sed hoc nobis, minimum quos inter et hostem
Discrimen murus clausaque porta facit?
32 At tibi nascenti, quod toto pectore laetor,
Nerunt fatales fortia fila Deae. (bra:
33 Te modo Campus habet, densa modo porticus um-
Nunc, in quo ponis tempora rara, Forum.

26 *Pendentes rupe.* Pascentes enim capellae in montibus pendent. || *Liceat modo.* Modo fas sit pascere. || *Nixus baculo.* Haerens baculo de more pastorum.

27 *Ne pectora insistant solitis.* Ne solitae curae pectoribus inhaereant: per hypallagen, hoc est, ut solitas curas eo modo pellam. || *Sub iuga panda.* Sub curva iuga.

28 *Quae verba.* Quas voces. || *Minas assuetas illis.* Minas quibus assueverunt uti Getae.

29 *Capulum.* Stivam. || *Aratri pressi.* Aratri depressi. || *Mota humo.* Proscissa terra.

30 *Purgare arva.* Malas herbas evellere. || *Longis ligonibus.* Ligonibus habentibus longum capulum. || *Et dare aquas.* Et irrigare.

31 *Vnde sed hoc nobis* Subaudi, opto, aut, continget, aut aliud verbum simile. || *Inter quos.* Inter nos Tomitanos. || *Et hostem.* Et Getas qui Tomon infestant. || *Facit discrimen.* Facit distantiam.

32 *At tibi nascenti.* Posteaquam hactenus infelicitatem suam exposuit, nunc Severi felicitate exposita gratulatur, si quidem omnia ea commoda illum consequi affirmat, quibus se carere exposuit. || *Fatales Deae.* Parcae, quas partui praeesse fabulantur poëtae. || *Fortia fila.* Prosperam vitam; cuius fila difficile rumpuntur.

33 *Campus.* Campi Martii certamina et exercitationes. || *Densa modo porticus* Aliquando tenet te, inquit, porticus aliqua cum hortis nemorosis. || *In quo ponis rara tempora.* In quo raro caussas defendis: quam rem felicitati ascribit.

34 Vmbria nunc revocat: nec non Albana petentem
Appia ferventi ducit in arva rota.
35 Forsitan hic optes, ut iustam supprimat iram
Caesar, et hospitium sit tua villa meum.
36 Ah nimium est, quod, amice, petis! moderatius opta:
Et voti, quaeso, contrahe vela tui.
37 Terra velim propior, nullique obnoxia bello
Detur: erit nostris pars bona demta malis.

34 *Vmbria nunc revocat.* In Vmbriam revertis, quae in medio Sabiniae ac Thusciae olim iacebat. || *Petentem Albana.* Te euntem in Albanum praedium: Alba autem Marsis finitima fuit in excelso saxo locata. || *Appia.* Via quae a porta Capena usque ad urbem Capuam muniendam curavit Appius Claudius Censor. || *Ferventi rota.* Veloci curru. Ponit *rotam* pro *curru*; quam ideo *ferventem* appellat, quoniam rotae cursu agitatae calescunt.

35 *Vt supprimat.* Vt removeat, aut, moderetur.

36 *Ah nimium est.* Quia nunquam tibi praestabit Augustus, ut relegatus in agrum tuum perveniam. || *Et contrahe vela tui voti.* Et voti tui desiderium restringe.

37 *Propior.* Magis vicina Tomitanae regioni, quam praedium tuum. Quibus verbis eum verecunde precatur ut petat ab Augusto locum sibi magis quietum. || *Pars bona.* Magna pars, scilicet, doloris. || *Nostris malis.* Meis incommodis, quae modo patior in Scythia.

EPISTOLA IX.

MAXIMO.

Argumentum. Factus certior Poëta literis Maximi, de obitu Celsi amici, a quo unice amabatur, sperabatque eius precibus Maximum daturum operam, ut reduceretur in patriam; dicit se legendo totam eam epistolam lacrimis madefecisse: nec acerbius sibi quidquam ea re contigisse eo toto tempore quo fuit in Ponto: simul eius erga se, ac etiam Maximum fidem et amorem exponit. Quam ob caussam fatetur velle se quo potest modo eius funus decorare, sibi quoque haud secus ac mortuo ut opem ferat precatur.

1 Quae mihi de rapto tua venit epistola Celso,
Protinus est lacrimis humida facta meis.
2 Quodque nefas dictu, fieri nec posse putavi,
Invitis oculis litera lecta tua est.
3 Nec quidquam ad nostras pervenit acerbius aures,
Vt sumus in Ponto; perveniatque precor.
4 Ante meos oculos tanquam praesentis imago
Haeret: et exstinctum vivere fingit amor.
5 Saepe refert animus lusus gravitate carentes:
Seria cum liquida saepe peracta fide.
6 Nulla tamen subeunt mihi tempora densius illis,
Quae vellem vitae summa fuisse meae,

1 *Celso rapto.* De Celso morte sublato, et erupto nobis.

2 *Quodque nefas.* Subaudi, est.

3 *Perveniatque precor.* Quia si quid acerbius veniret, morerer, prae dolore quasi dicat, nil praeter mortem sibi acerbius posse contingere.

4 *Tanquam praesentis.* Celsi tanquam vivi, et in cospectu meo positi.|| *Fingit.* Arbitratur non periisse

5 *Saepe refert.* Saepe repraesentat, et secum revolvit.|| *Lusus gravitate carentes.* Iocos eius minime severos. || *Cum liquida fide.* Cum pura et certa fide.

6 *Subeunt mihi.* In memoriam veniunt mihi. || *Densius.* Crebrius. || *Illis.* Id est, temporibus Celsi, quando una eramus Romae. || *Fuisse summa.* Fuisse postrema.

7 Cum domus ingenti subito mea lapsa ruina
Concidit, in domini procubuitque caput :
8 Adfuit ille mihi, cum pars me magna reliquit,
Maxime ; Fortunae nec fuit ipse comes.
9 Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
Ponendus quam si frater in igne foret.
10 Haesit in amplexu, consolatusque iacentenm est:
Cumque meis lacrimis miscuit usque suas.
11 O quoties vitae custos invisus amarae
Continuit promtas in mea fata manus !
12 O quoties dixit, Placabilis ira Deorum est.
Vive, nec ignosci tu tibi posse nega.
13 Vox tamen illa fuit celeberrima, Respice quantum
Debeat auxilii Maximus esse tibi.
14 Maximus incumbet ; quaque est pietate, rogabit,
Ne sit ad extremum Caesaris ira tenax.

Hoc est, illis temporibus, quibus Roma in exsilium abii, seu quibus exsilium mihi indictum fuit: id quod statim ex sequentibus apparet.

7 *Cum domus.* Hic amorem in se Celsi ostendit. || *Concidit.* Corruit. Designat autem tempus quo iussit eum Augustus in exsilium ire. || *In caput domini.* In caput et perniciem meam.

8 *Adfuit ille mihi.* Ille Celsus consolando mecum semper fuit. || *Cum me pars.* Cum ceteri amici me deseruere. || *Fortunae nec fuit ille comes.* Ille a me discedentem fortunam secutus est. Illi enim sunt fortunae comites, qui quo se illa, eo et ipsi, et eorum favor inclinat.

9 *Mea funera.* Meam calamitatem, exsiliumque || *Quam si frater.* Quam si ipsius Celsi frater mortuus comburendus esset, de more antiquo.

10 *Cumque meis lacrimis.* Cum haereret nimirum in complexu et osculis meis.

11 *Vitae amarae.* Vitae mihi acerbae: dolebam enim quod viverem. || *Custos invisus.* Celsus mihi infestus, quod custodiebat ne me interficerem. || *Continuit.* Remoratus est. || *Manus promtas in mea fata.* Expeditas et paratas ad me interficiendum.

12 *Ira Deorum.* Ira Augusti et eius liberorum. || *Posse ignosci.* Posse dari veniam ab Augusto.

13 *Maximus.* Ille ad quem scribit Poëta: is enim apud imperatorem plurimum poterat.

14 *Incumbet.* Dabit operam ut Augustum reconciliet ||*Sit tenax ad extremum.* Ad ultimum perseveret.

15 Cumque sui fratris vires adhibebit, et omnem,
Quo levius doleas, experietur opem.
16 Haec mihi verba malae minuerunt taedia vitae.
Quae tu, ne fuerint, Maxime, vana, cave.
17 Huc quoque venturum mihi se iurare solebat;
Non nisi te longae ius sibi dante viae.
18 Nam tua non alio coluit penetralia ritu,
Terrarum dominos quam colis ipse Deos.
19 Crede mihi: multos habeas cum dignus amicos,
Non fuit e multis quolibet ille minor:
20 Si modo nec census, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumque facit.
21 Iure igitur lacrimas Celso libamus ademto,
Cum fugerem, vivo quas dedit ille mihi.
22 Carmina iure damus, raros testantia mores;
Vt tua venturi nomina, Celse, legant.

15 *Fratris vires.* Vires fratris Maximi, qui Augusto quoque erat carus.|| *Quo levius doleas.* Vt minori afficiaris dolore et poena quam fieri possit.

16 *Malae vitae.* Vitae mihi adversae et ingratae. || *Ne fuerint vana.* Na fuerint mendacia. Erunt autem, si mihi lingua tua opem ferre detrectaveris.

17 *Huc.* Ad Tomitanam urbem, ubi Poëta relegatus degebat. || *Non nisi te longae.* Nisi tu esses in caussa, quo minus veniret. || *Non.* Subaudi, solebat iurare se venturum. || *Nisi te non dante.* Nisi te non permittente: quia nisi permisisses, non venisset. Vel *non nisi te dante ius.* H. e. nisi te ei concedente, ut longa navigatione me adiret.

18 *Tua penetralia.* Tuas sedes. || *Non alio ritu.* Non alio more. Erat enim Celsus Maximi amicus. || *Deos dominos terrarum.* Augustum ac eius liberos.

19 *Non fuit minor.* Non fuit minoris dignitatis.

20 *Si modo.* Quia dixerat, Celsum non fuisse minorem aliquo ex amicis Maximi, ostendit id verum esse si hominum ingenia et mores consideramus, non fortunas, aut maiores. || *Non census* Non divitiae. || *Sed probitas.* Sed virtus.

21 *Libamus.* Effundimus.|| *Celso ademto.* Mortuo Celso || *Cum fugerem* Cum in exsilium proficiscerer.

22 *Raros mores.* Mores nobiles, qui in raris esse solent.|| *Vt venturi.* Vt posteri.

23 Hoc est, quod possum Geticis tibi mittere ab arvis:
Hoc solum est istic, quod liquet esse meum.
24 Funera nec potui comitare, nec ungere corpus:
Atque tuis toto dividor orbe rogis.
25 Qui potuit, quem tu pro numine vivus habebas,
Praestitit officium Maximus omne tibi.
26 Ille tibi exsequias, et magni funus honoris
Fecit; et in gelidos versit amoma sinus.
27 Diluit et lacrimis moerens unguenta profusis;
Ossaque vicina condita texit humo.
28 Qui quoniam exstinctis, quae debet, praestat amicis,
Et nos exstinctis annumerare potest.

23 *Quod liquet esse meum.* Quod fas est meum dici: quia ademptis mihi reliquis, sola remansit scribendi facultas, et poëtices studia.

24 *Nec ungere corpus.* Nec de more cadaver tuum ungere. || *Comitare.* Antiqui *comito* pro *comitor*, et alia eodem modo. || *Toto orbe.* Totius orbis intervallo. Quasi dicat: sum in postrema et septentrionali orbis terrarum parte. || *Rogis tuis.* A tua sepultura.

25 *Qui potuit.* Quantum valuit. || *Tu vivus.* Tu, o Celse, dum viveres || *Omne officium.* Omne pietatis munus.

26 *Et in gelidos versit amoma sinus.* De amomo, et eius usu in rogis defunctorum, plura diximus in commentariis in Ovid. de *Trist.*

27 *Diluit unguenta.* Sparsit alios odores, || *Ossa condita.* Ossa sepulta. || *Humo vicina.* Terra sepulcro suo contigua, vel Romae proxima.

28 *Quae debet.* Ea ad quae pro amicitia tenetur. || *Praestat.* Exhibet. || *Et nos.* Etiam me Ovidio. || *Extinctis.* Mortuis: nam relegatus sum tanquam mortuus. Quibus verbis latenter petit, ut sibi quoque opem ferat.

EPISTOLA X.

FLACCO.

ARGVMENTVM. Ad Flaccum scribens Poëta, corporis languorem, eiusque rei caussam exponit; eumque rogat cum fratre, ut sibi opem ferat, Augustumque ei mitiorem reddat.

1 Naso suo profugus mittit tibi, Flacce, salutem :
Mittere rem si quis, qua caret ipse, potest.
2 Longus enim curis vitiatum corpus amaris
Non patitur vires languor habere suas.
3 Nec dolor ullus adest, nec febribus uror anhelis ;
Et peragit soliti vena tenoris iter.
4 Os hebes est, positaeque movent fastidia mensae ;
Et queror, invisi cum venit hora cibi.
5 Quod mare, quod tellus, appone, quod educat aër;
Nil ibi, quod nobis esuriatur, erit.
6 Nectar et ambrosiam, latices epulasque Deorum,
Det mihi formosa nava Iuventa manu ;

1 *Mittere rem.* Mittere salutem.

2 *Longus enim curis.* Docet cur careat salute. || *Corpus vitiatum.* Corpus laesum.

3 *Febribus anhelis.* Febribus quae anhelos et anxios homines reddunt. || *Et peragit.* Sed obit et exequitur. || *Soliti tenoris.* Soliti cursus.

4 *Os hebes.* Os est tardum et impotens ad conficiendum cibum. || *Positae mensae.* Cibi appositi.

5 *Quod mare.* Pisces designat. || *Quod tellus.* Feras intelligit. || *Quod educat aër.* Aves, quas aër nutrit: eas tamen si sedulo advertamus terrestre animal, non aërium rectius perhibebimus, semper enim illis victus omnis in terra: ibidem pabulum, ibidem cubile. || *Esuriatur.* Quod a me appetatur, vel desideretur in cibo sumi.

6 *Nectar et ambrosiam. Nectar* graece significat Deorum potionem, sic *Ambrosia* a poëtis accipitur pro eorum cibo suavissimo. || *Latices epulasque Deorum.* Hic exprimit quid sit nectar et ambrosia. || *Nava Iuventa. Heben*, filia Iunonis, quae Latinis *Iuventa* dicitur. Fingunt autem poëtae Diis

7 Non tamen exacuet torpens sapor ille palatum :
Stabit et in stomacho pondus inerte diu.
8 Haec ego non ausim, cum sint verissima, cuivis
Scribere ; delicias ne mala nostra vocent.
9 Scilicet is status est, ea rerum forma mearum,
Deliciis etiam possit ut esse locus.
10 Delicias illi precor has contingere, si quis,
Ne mihi sit levior Caesaris ira, timet.
11 Is quoque, qui gracili cibus est in corpore, somnus
Non alit officio corpus inane suo.
12 Sed vigilo, vigilantque mei sine fine dolores ;
Quorum materiam dat locus ipse mihi.
13 Vix igitur possis visos agnoscere vultus :
Quoque ierit, quaeras, qui fuit ante, color.
14 Parvus in exiles succus mihi pervenit artus :
Membraque sunt cera pallidiora nova.

ministrare pocula. || *Formosa manu.* Candida et pulcra manu.

7 *Non tamen exacuet.* Sapor ille quantumvis irritativus, non irritabit palatum meum: usque adeo obtorpuit. || *Torpens palatum.* Palatum hebes. || *Pondus inerte.* Cibus gravis et crudus. Dicitur autem *iners stomachus*, quando suum officium non facit, hoc est, non concoquit ac digerit.

8 *Haec.* Quae scilicet dicta sunt de taedio ciborum. || *Ne vocent delicias.* Ne vocent haec mea mala voluptates, et me delicati oris existiment.

9 *Scilicet is status est.* Ironice hoc dictum est, ex quo designat se prae nimio dolore non posse deliciis vacare.

10 *Has delicias.* Haec mea mala, quae inimici delicias appellant. || *Sit levior.* Sit minor.

11 *In gracili corpore.* In tenui et macilento corpore. || *Qui est cibus.* Qui solet esse cibus. Somnus enim corpori multum conducit. || *Suo officio.* Sua quiete. Somni enim officium est, quietem afferre, et corpus fovere. || *Corpus inane.* Corpus sine cibo. Vel certe exsile, aut sine somno.

12 *Quorum materiam dat.* Locus ubi exsulo, est asper, et ideo mihi praebet materiam dolorum.

13 *Qui fuit ante color.* Bonae valetudinis index bonus color.

14 *Parvus succus* Modicus humor et sanguis. || *In artus exsiles.* In membra tenuia et parva.

15 Non haec immodico contraxi damna Lyaeo :
Scis mihi quam solae paene bibantur aquae.
16 Non epulis oneror : quarum si tangar amore,
Est tamen in Geticis copia nulla locis.
17 Nec vires adimit Veneris damnosa voluptas.
Non solet in moestos illa venire toros.
18 Vnda locusque nocent: et caussa valentior istis,
Anxietas animi, quae mihi semper adest.
19 Hanc nisi tu pariter simili cum fratre levares,
Vix mens tristitiae moesta tulisset onus.
20 Vos estis fragili tellus non dura phaselo:
Quamque negant multi, vos mihi fertis opem.
21 Ferte, precor, semper, quia semper egebimus illa;
Caesaris offensum dum mihi numen erit.
22 Qui meritam nobis minuat, non finiat iram,
Suppliciter vestros quisque rogate Deos.

15 *Immodico Lyaeo* Immodico vino. || *Damna* Pallorem.

16 *Non epulis oneror.* Docet se non modo vino, sed ne quidem cibo pallorem illum contraxisse. || *Nulla copia.* Nulla facultas epularum.

17 *In toros moestos.* In lectos, ubi dormiunt tristes: qui magis cogitant quo pacto mala pellant, quam quo cupiditatibus indulgeant.

18 *Vnda locusque nocent.* Nocet, inquit, aqua et aër, vel loci asperitas. || *Anxietas animi.* Dolor mentis.

19 *Cum simili fratre.* Cum fratre tuo tibi in virtute pari. Vel fratrem illi similem appellat in auxilio: nam uterque pariter et enixe tibi opem ferebat (videtur autem is Graecinus esse, ut infra lib. IV. eleg 9. || *Levares* Imminueres. || *Vix tulisset onus tristitiae.* Vix pondus doloris et magnitudinem ferre potuisset: et quasi sub gravi onere succubuissem.

20 *Tellus non dura.* Terra mollis, cuius illisu non potest navis frangi: hoc est, locus tutus. || *Fragili phaselo.* Navi concussae et agitatae. Ex quo se exsulem designat

22 *Non finiat.* Non sinat me semper esse exsulem. Non finiat iram: id est, det saltem mitius exsilium. || *Vestros Deos.* Deos appellat Augusti liberos, quos ambo fratres colebant : vel Tiberii filium adoptivum Germanicum, et alterum naturalem Drusum designat Poëta.

P. OVIDII NASONIS

EPISTOLARVM EX PONTO

LIBER SECVNDVS.

EPISTOLA I.

GERMANICO CAESARI.

ARGVMENTVM. Tiberii Neronis ovationem, quam hic digniori nomine *triumphum* appellat Poëta, ad eum in Scythiam fama pertulerat, quam dicit sibi magnam laetitiam attulisse: eiusque formam describens, Caesaris clementiam laudat, qui cum hostibus in bello captis vitam concesserit, sperat quoque maiorem in modum illum usurum in se eadem clementia. Deinde Deos precatur, ut Tiberio longiorem vitam concedant.

1 Huc quoque Caesarei pervenit fama triumphi,
Languida quo fessi vix venit aura Noti.
2 Nil fore dulce mihi Scythica regione putavi.
Iam minus hic odio est, quam fuit ante, locus.

1 *Huc quoque.* Ita in Scythiam ut in alia loca || *Triumphi Caesarei.* Ovationis Tiberii Caesaris. || *Aura languida.* Ventus debilis. A meridie enim in septentrionem longissimum cursum habet || *Vix venit* Vix accedit. Quasi dicat, in Scythiam, quo vix ventus Notus potest pervenire, accessit fama Caesaris triumphi.

2 *Nil fore dulce mihi.* Nil fore mihi suave et gratum. || *Iam est minus odio.* Iam est minus odiosus propter hanc susceptam laetitiam in Scythia.

3 Tandem aliquid pulsa curarum nube serenum
Vidi; Fortunae verba dedique meae.
4 Nolit ut ulla mihi contingere gaudia Caesar,
Velle potest cuivis haec tamen una dari.
5 Dî quoque, ut a cunctis hilari pietate colantur,
Tristitiam poni per sua festa iubent.
6 Denique, quod certus furor est audere fateri,
Hac ego laetitia, si vetet ipse, fruar.
7 Iupiter utilibus quoties iuvat imbribus agros,
Mista tenax segeti crescere lappa solet.
8 Nos quoque frugiferum sentimus inutilis herba
Numen; et invita saepe iuvamur ope.
9 Gaudia Caesareae mentis pro parte virili
Sunt mea: privati nil habet illa domus.

3 *Pulsa nube.* Abiecta et fugata perturbatione, quae animum meum, velut tetrae nubes, operiebat. || *Aliquid serenum.* Aliquid laetum. Intelligit autem victoriae famam. || *Fortunae verba dedique meae.* Et decepi fortunam meam. Aliquis enim dat verba fortunae, qui in miseria tamen gaudet, et qui miseriam suam gaudendo deludit.

4 *Nolit ut ulla mihi.* Sensus est: quamvis Caesar Augustus mihi infestus, nolit me ulla affici laetitia; hanc tamen solam de Tiberii triumpho non debet cuiquam, ne mihi quidem negare. || *Haec una.* Haec sola gaudia de triumpho.

5 *Dî quoque.* Deorum exemplo docet Caesarem debere velle, ut gaudeat eius triumpho, quia ipsi Dii festis suis neminem volunt esse tristem. || *Tristitiam poni.* Luctum abiici.

6 *Quod certus furor.* Quam rem, ut fruatur hac laetitia Poëta invito Caesare, cum audeam profiteri, insania quaedam videtur. || *Si vetet ipse.* Si ipse Caesar prohibeat.

7 *Mista segeti.* Mista frumentis. || *Tenax lappa.* Herba illi adhaerens.

8 *Nos quoque.* Quemadmodum, inquit, segetes et herbae noxiae simul nutriuntur, sic ego cum ceteris delector hac Caesaris victoria. || *Numen frugiferum.* Numen Caesaris, quale est Iovis irrigantis et bonas et malas herbas. Per quod victoriam Caesaris intelligit. || *Invita ope.* Gaudio, quo nollet me Caesar affici.

9 *Gaudia mentis Caesareae.* Gaudia quae sunt in mente Caesaris ob partam victoriam. || *Pro parte virili.* Quantum vir aliquis potest gaudere. || *Sunt mea.* Ad me attinent: nam ea mihi quoque laetitiam afferunt. || *Privati nil habet illa domus.* Caesarum domus nil habet proprium, sed cum omnibus

10 Gratia, Fama, tibi: per quam spectata triumphi
Incluso mediis est mihi pompa Getis.
11. Indice te didici, nuper visenda coisse
Innumeras gentes ad ducis ora sui.
12 Quaeque capit vastis immensum moenibus orbem,
Hospitiis Romam vix habuisse locum.
13 Tu mihi narrasti, cum multis lucibus ante
Fuderit assiduas nubilus Auster aquas,
14 Lumine caelesti Solem fulsisse serenum,
Cum populi vultu conveniente die;
15 Atque ita vectorem, cum magno vocis honore,
Bellica laudatis dona dedisse viris:
16 Claraque sumturum pictas insignia vestes,
Tura prius sanctis imposuisse focis:

commune. Quasi dicat: Victoriam Caesar patriae, et civibus suis, non sibi, comparare solet.

10 *Gratia, Fama, tibi.* Famae gratias agit, quod per eam factus est certior de pompa Caesarei triumphi. || *Pompa triumphi.* Apparatus triumphi. || *Mihi incluso mediis Getis.* Mihi exsulantis in media Getarum gente.

11 *Indice te.* Te fama indicante. || *Coisse.* Confluxisse. || *Ad visenda ora ducis.* Ad videndum Caesaris conspectum.

12 *Quaeque capit.* Ordo est: Et didici te indice Romam, etc. || *Quae capit immensum orbem.* Quae gubernat et tenet sub imperio magnum orbem terrarum. || *Vix habuisse locum hospitiis.* Vix potuisse hospitari tot gentes, quot Romam venere ad visendum Caesarem.

13 *Cum multis lucibus ante.* Cum multis diebus ante Caesaris ovationem || *Auster nubilus.* Auster pluviosus, et nubes inducens. || *Fuderit.* Expresserit.

14 *Lumine caelesti.* Voluntate divina. || *Fulsisse.* Illuxisse. || *Cum populi vultu.* Sic ut aspectus caeli serenissimus et iucundissimus, cum hilarissimis populi vultibus congrueret et quasi conspiraret.

15 *Atque ita.* Subaudi, narrasti. || *Vectorem.* Caesarem. || *Cum magno vocis honore.* Cum laude eorum militum, quorum virtutes magna voce laudavit imperator, deinde etiam donis militaribus de more donavit. || *Bellica dona.* Dona militaria: ut armillas, hastas puras, torques, phaleras, et alia id genus.

16 *Pictas vestes.* Vestes triumphales, quibus triumphantes imperatores utebantur. || *Prius imposuisse tura.* Prius sacrificasse Diis immortalibus. || *Sacris focis.* Aris, quae in templis erant erectae.

17 Iustitiamque sui caste placasse Parentis;
Illo quae templum pectore semper habet.
18 Quaque ierit, felix adiectum plausibus omen;
Saxaque iactatis erubuisse rosis.
19 Protinus argento veros imitantia muros
Barbara cum victis oppida lata viris.
20 Fluminaque, et montes, et in altis pascua silvis;
Armaque cum telis in strue mista suis.
21 Deque triumphato, quod Sol incenderit, auro
Aurea Romani tecta fuisse fori.
22 Totque tulisse duces captivis addita collis
Vincula, paene hostes quot satis esse fuit.

17 *Iustitiam sui.* Iustitia ipsius Tiberii. || *Parentis.* Augusti vitrici: quem patrem appellat, per adoptionem, et Liviam matrem designat. || *Caste.* Pie. || *Semper habet templum.* Semper habet receptaculum, quasi templum religionis et divinitatis.

18 *Quaque ierit.* Et quacunque transierit Tiberius || *Felix omen.* Felix augurium ||*Adiectum.* Additum.||*Plausibus.* Laetitia corporis. ||*Saxaque.* Sensus est: Inter transeundum tanta fuit florum et rosarum copia, quibus terra strata fuit, ut saxa ipsa, et viarum strata valde rubra fuerint, tanquam rosis tecta.

19 *Protinus argento.* Portata sunt, inquit, de more in ea ovatione triumpho simili, oppida ex argento, ad similitudinem captarum civitatum, una cum viris superatis ab ipso Tiberio. || *Lata.* Portata. Intelligitur autem per omnia, *Narrasti, o Fama.*

20 *Arma.* Et arma ex hostibus capta, et in triumpho praelata ||*In strue.* In congerie, in acervo.||*Mista.* Alligata.

21 *De auro triumphato.* De auro in triumpho lato. || *Quod sol incenderit.* Quod aurum sol irradiaverat. || *Tecta Romani fori.* Domus finitimae foro Romano. Vel revera trabes et tecta atrii, quod Caesar Romanum forum esse voluit, ut eo ad iura simul convenirent, ut docet Appianus. Hic autem innuit Poëta, tantam fuisse aureorum trophaeorum vim, ut, tecta fori Romani radiorum solis repercussu visa fuerint aurea. || *Fuisse aurea.* Habuisse auri colorem, ex repercussu radiorum solis: vel potius, aureorum trophaeorum.

22 *Tulisse vincula.* Tulisse catenas, quibus eorum colla alligata erant.||*Paene hostes quot.* Hoc est, tot numero, quot iustum exercitum complere ac facere potuissent.

23 Maxima pars horum vitam veniamque tulerunt:
In quibus et belli summa caputque Bato.
24 Cur ego posse negem minui mihi Numinis iram,
Cum videam mites hostibus esse Deos?
25 Pertulit huc idem nobis, Germanice, rumor,
Oppida sub titulo nominis isse tui.
26 Atque ea te contra, nec muri mole, nec armis,
Nec satis ingenio tuta fuisse loci.
27 Dî tibi dent annos! a te nam cetera sumes;
Sint modo virtuti tempora longa tuae. (tum.
28 Quod precor, eveniet. Sunt quiddam oracula va-
Nam Deus optanti prospera signa dedit.
29 Te quoque victorem Tarpeias scandere in arces
Laeta coronatis Roma videbit equis.

23 *In quibus.* Scilicet hostibus, quibus Caesar ignovit. || *Et summa belli.* Et belli magnitudo. || *Bato.* Dux Dalmatarum, belli caput et origo, qui tandem se Tiberio dederat, et ab eo veniam impetraverat.

24 *Cur ego posse negem minui.* Capta occasione, hostium exemplo docet sibi etiam sperandum esse, Augustum iratum posse placari, leniorem fieri. || *Deos.* Augustum et Tiberium.

25 *Pertulit hoc.* Haec apostrophe ad ipsum Germanicum, qua Poëta velut alloquens illum, ostendit se eadem fama, qua de Tiberii triumpho audierit, etiam de Germanici expeditione in Germaniam, et de oppidis ab eo aliquot iam captis, audivisse. || *Oppida.* Civitates a te captas. || *Isse sub titulo.* Esse subiectos titulo, in quo erat tuum nomen.

26 *Atque ea.* Scilicet oppida. Subauditur autem a superiori, *pertulit.* || *Te contra.* Adversus te. || *Nec muri mole.* Nec murorum magnitudine et robore. || *Nec armis.* Nec ullis militibus armatis. || *Ingenio loci.* Natura loci, ut puta in montibus sita.

27 *Dent annos.* Dent longam vitam. || *Cetera.* Omnes virtutes intellige, et bellicas artes.

28 *Sunt.* Poëtae vates dicuntur, quod furore Apollinis correpti vaticinantur. || *Nam.* Nam Apollo pater poëtarum. || *Optanti.* Mihi cupienti ut diu vivas.

29 *Te quoque.* Hic etiam vaticinatur Poëta. || *In arces Tarpeias.* In Capitolium. || *Roma laeta.* Roma laetitiae plena propter tuas victorias et triumphos. || *Equis.* Equis triumphalibus. Quatuor enim equi albi currum triumphalem trahentes, etiam lauro coronabantur.

30 Maturosque Pater nati spectabit honores,
Gaudia percipiens, quae dedit ipse suis.
31 Iam nunc haec a me, iuvenum belloque togaque
Maxime, dicta tibi vaticinante nota. (phum:
32 Hunc quoque carminibus referam fortasse trium-
Sufficiet nostris si modo vita malis:
33 Imbuero Scythicas si non prius ipse sagittas:
Abstuleritque ferox hoc caput ense Getes.
34 Quod si, me salvo, dabitur tibi laurea templis;
Omina bis dices vera fuisse mea.

30 *Percipiens gaudia.* Capiens gaudia ex filii triumphali pompa || *Suis.* Vel civibus, vel propinquis.

31 *Iam nunc haec a me.* Ordo est: O maxime iuvenum et bello et toga, iam nunc nota quae a me vaticinante dicta sunt. Vel, manda memoriae hoc meum vaticinium.

32 *Sufficiet.* Supersit et duret.

33 *Imbuero.* Madefecero Scytharum iacula meo sanguine.

34 *Me salvo.* Me in patriam reducto per te: vel, me incolumi, et non interempto a Scythis. || *Tibi laurea.* Tua corona ex lauro. || *Dabitur templis.* Templis dicabitur. Coronae enim triumphaturis conferebantur in templis dicandae. || *Omina mea.* Mea vaticinia ||*Bis dices.* Narrabis me bis vera tibi vaticinatum fuisse, et quod triumphum adeptus fueris, et quod me servaveris.

EPISTOLA II.

MESSALLINO.

ARGVMENTVM. Messallinum rogat, ut eo quo solebat vultu, salutem accipiat missam vel ab ipso mari Euxino, ubi Poëta exsulabat. Eumque monet, ut lecto eius nomine, non dubitet etiam legere totam epistolam; quandoquidem non perpetravit tot ac tanta mala, ut eius carmina non possint ab eo legi. Deinde illum artificiose precatur, ut quum tempus ad id idoneum extet, sibi Augustum reconciliet. Postremo Messallam monet, ut hoc tentet ea lege, si viderit minime nociturum.

1 Ille domus vestrae primis venerator ab annis
Pulsus ad Euxini Naso sinistra freti;
2 Mittit ab indomitis hanc, Messalline, salutem,
Quam solitus praesens est tibi ferre, Getis.
3 Heu mihi, si lecto vultus tibi nomine non est
Qui fuit, et dubitas cetera perlegere!
4 Perlege, nec mecum pariter mea verba relega:
Vrbe licet vestra versibus esse meis.
5 Non ego concepi, si Pelion Ossa tulisset,
Clara mea tangi sidera posse manu.

1 *Domus vestrae.* Vestrae familiae, hoc est, Messallae.|| *Venerator.* Cultor. || *Ab primis annis.* Ab ineunte aetate. || *Pulsus ad sinistra Euxini.* Relegatus in Pontica regione, quae ingredientibus Euxinum in parte sinistra apparet.

2 *Praesens.* Cum esset Romae Poëta.

3 *Lecto nomine.* Lecto Ovidii scribentis titulo. || *Vultus qui fuit.* Hilaris et blandus. || *Cetera.* Reliqua, praeter scribentis nomen.

4 *Mea verba.* Meas literas.|| *Relega.* Reiice ac mitte extra urbem, tanquam in exsilium. || *Licet.* Quia fas est: quia si Poëta est exsul, eius carmina non sunt relegata cum Poëta.

5 *Non ego concepi.* Non cogitavi, non in animum induxi. Rationem autem assignat Poëta, qua ostendit non tanta esse eius crimina, ut mereantur cum eo carmina sua relegari: siquidem non bella gessit contra Iovem, quemadmodum gi-

6 Nec nos, Enceladi dementia castra secuti,
In rerum dominos movimus arma Deos.
7 Nec, quod Tydidae temeraria dextera fecit,
Numina sunt telis ulla petita meis.
8 Est mea culpa gravis, sed quae me perdere solum
Ausa sit, et nullum maius adorta nefas.
9 Nil nisi non sapiens possum timidusque vocari:
Haec duo sunt animi nomina vera mei.
10 Esse quidem fateor, meritam post Caesaris iram,
Difficilem precibus te quoque iure meis.
11 Quaeque tua est pietas in totum nomen Iüli,
Te laedi, cum quis laeditur inde, putas.
12 Sed licet arma feras, et vulnera saeva mineris;
Non tamen efficies, ut timeare mihi.
13 Puppis Achaemeniden Graium Troiana recepit:
Profuit et Myso Pelias hasta duci.

gantes. Est autem ordo: Non ego concepi clara sidera posse tangi mea manu si Ossa tulisset Pelion: hoc est, si Ossa mons habuisset Pelion montem superimpositum. *Pelion* et *Ossa* duo montes in Thessalia. || *Posse tangi.* Posse violari, quemmadum voluere gigantes.

6 *Nec nos Enceladi.* Enceladus Terrae filius fuiit, gigantum bello clarus: quem fulmine ictum, Aetnaeque suppositum scribit Virgil. in III. *Aeneid.*

7 *Tydidae.* Diomedes, filius Tydei, regis Aetoliae, qui Venerem offendit.

8 *Est mea culpa gravis.* Crimen meum in Augustum grave est. || *Sed quae me.* Sed quod crimen mihi tantum nocuerit, non aliis. Nam quae aliis nocent, maiora sunt crimina, quam ea quae sibi tantum. Ex quo designat, ut saepius dixit, peccatum suum errorem potius dicendum, et ideo dignum venia.

9 *Nisi non sapiens.* Nisi improvidus et imprudens. || *Haec duo nomina.* Imprudentis scilicet et timidi.

10 *Post iram meritam.* Post dignam indignationem, quam ego merui. || *Te quoque difficilem.* Te etiam Messallam durum et inexorabilem. || *Meis precibus.* Vt mihi Augustum reconcilies, ut eum precatur in hac epistola Poëta.

11 *In totum nomen Iüli.* In omnes ex gente Iulia || *Cum quis laeditur.* Cum aliquis ex gente Iulia offenditur.

12 *Arma feras.* Tela in me capias pro Caesare.

13 *Puppis Achaemeniden.* Notum est quemadmodum Achaeme-

14 Confugit interdum templi violator ad aram,
Nec petere offensi numinis horret opem.
15 Dixerit hoc aliquis tutum non esse; fatemur.
Sed non per placidas it mea puppis aquas.
16 Tuta petant alii. Fortuna miserrima tuta est;
Nam timor eventus deterioris abest.
17 (Qui rapitur fatis, quid praeter fata requirat?
Saepe creat molles aspera spina rosas.
18 Qui rapitur spumante salo, sua brachia cauti
Porrigit, et spinas duraque saxa capit.)

nides comes infelicis Vlyssis in Sicilia Aeneae navem asrendit, seque ac Troianos omnes liberavit a Ciclopum saevitia, ut elegantissime describit Virgilius. || *Myso duci.* Telepho regi Mysiae, provinciae Phrygiae, quae adiacet Hellesponto. Hic, quum ab Achille esset sauriatus, nec sanari posset, ex hastae Achillis rubigine malagma factum, vulnerique impositum, salutem consequutus est. || *Pelias hasta.* Hasta Achillis.

14 *Templi violator.* Sacrilegus aliquis. || *Ad aram.* Ad Numen quod laesit.

15 *Dixerit hoc aliquis.* Respondet huic quaestioni Posset enim aliquis dicere: Exemplis probas,poëta, minime timendum esse offensum Augusti numen: ego vero consilium tuum censeo non esse tutum, ab inimico salutem et bona petere. Quod et fatetur Ovidius: sed addit, se cogi quasi in tempestate in quemvis portum confugere. || *Esse tutum.* Esse securum, petere opem ab Augusto offenso. || *Per placidas aquas.* Per iter quietum, sed plenum omni periculo et malo. || *Mea puppis.* Mea salus, mea vita.

16 *Fortuna miserrima tuta est.* Quia nihil miseriae accedere ad summam potest: nec enim summa foret. Ergo fortuna mea afflictissima, casibus et periculis exposita amplius non est. || *Eventus deterioris.* Peioris mali

17 *Qui rapitur fatis.* Qui huc vel illuc trahitur, et ducitur Deorum voluntate. || *Praeter fata.* Praeter fatorum finem, vim, cursum, et fortunam: quod solet fieri, quum nobis omnia sunt adversa. Quasi dicat: Oportet ut viam fata inveniant. || *Saepe creat.* Ex spinis saepe nascitur rosa, hoc est, ex tristi fato plerunque nascitur laetum. Quibus verbis designat, posse accidere, ut adversa Poëtae fortuna, si confugerit ad hostes offensos, mutetur in melius.

18 *Brachia porrigit, et spinas duraque saxa capit.* Qui, inquit, fatis rapitur, solet cuicunque loco etiam aspero manus admovere, ut maius periculum evitet.

19 Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales
Audet ad humanos fessa venire sinus.
20 Nec se vicino dubitat committere tecto,
Quae fugit infestos territa cerva canes.
21 Da, precor, accessum lacrimis, mitissime, nostris:
Nec timidis rigidam vocibus obde forem. (fer,
22 Verbaque nostra favens Romana ad Numina per-
Non tibi Tarpeio culta Tonante minus.
23 Mandatique mei legatus suscipe caussam:
Nulla meo quamvis nomine caussa bona est.
24 Iam prope depositus, certe iam frigidus aeger,
Servatus per te, si modo server, ero.
25 Nunc tua pro lapsis nitatur gratia rebus;
Principis aeterni quam tibi praestat amor.
26 Nunc tibi et eloquii nitor ille domesticus adsit,
Quo poteras trepidis utilis esse reis.
27 Vivit enim in vobis facundi lingua parentis;
Et res heredem reperit illa suum.

19 *Accipitrem metuens.* Docet se Poëta e duobus malis ad minus confugere, et se fatis credere, exemplo columbae || *Ad sinus humanos.* In sinus hominum. || *Fessa.* Fatigata assiduo volatu, fugiendo accipitrem.

21 *Accessum.* Aditum ad te facilem. || *Nec obde.* Nec claude.

22 *Favens.* Propitius ||*Romana ad Numina.* Ad Augustum et liberos. ||*Tarpeio Tonante.* Iove Capitolino.

23 *Mandati mei.* Praecepti mei, quod tibi mando et impono ||*Legatus.* Vel nuncius, vel orator.||*Quamvis nulla caussa bona est.* Quamvis nulla caussa videatur defendi posse. || *Meo nomine.* Mea fama, quae est turpis apud Augustum. Vel, mea parte, aut re vera *nomine*: nomen enim meum illi odiosum erit, quum primum pro me loqui coeperis.

24 *Iam prope depositus.* Iam quasi destitutus et desperatus, tanquam de me nulla pene sit spes. || *Certe iam frigidus.* Certe iam morti vicinus.||*Aeger.* Male valens.

25 *Pro rebus.* Pro rebus meis afflictis || *Gratia.* Gratitudo, amor, et favor. || *Principis aeterni.* Augusti immortalis.

26 *Et ille nitor domesticus eloquii.* Et ille splendor eloquentiae, quae semper viguit domi vestrae.

27 *Lingua facundi parentis.* Eloquentia patris tui facundi. || *Et res.* Et eloquentia. || *Suum haeredem.* Te successorem.

28 Hanc ego non, ut me defendere tentet, adoro.
Non est confessi caussa tuenda rei.
29 Num tamen excuses erroris imagine factum,
An nihil expediat tale movere, vide. (sit,
30 Vulneris id genus est, quod cum sanabile non
Non contrectari tutius esse putem.
31 Lingua, sile: non est ultra narrabile quidquam.
Posse velim cineres obruere ipse meos.
32 Sic igitur, quasi me nullus deceperit error,
Verba face, ut vita, quam dedit ipse, fruar.
33 Cumque serenus erit, vultusque remiserit illos,
Qui secum terras imperiumque movent;
34 Exiguam ne me praedam sinat esse Getarum,
Detque solum miserae mite, precare, fugae.

28 *Hanc.* Scilicet linguam, vel eloquentiam. || *Adoro.* Veneror tanquam rem sacram. || *Non est confessi.* Caussam assignat, cur non tentet se a Messallino defendi, ut ex eo probet se non ab eam caussam venerari hominis linguam. || *Caussa rei.* Caussa mea, quam confessus sum esse infirmam.

29 *Num tamen excuses* Quamvis dixerim caussam meam non esse defendendam, tamen vide excusandus simne ab errore et imprudentia, an id magis tacendum, tanquam hoc mihi nihil conducat. || *Factum.* Peccatum meum. || *Expediat* Vtile sit ||*Tale movere.* Exusare culpam, dicendo me per errorem peccasse.

30 *Vulneris id genus est.* Caussam assignat, cur inter excusandum erroris mentionem fieri non utile esse innuat. Appellat autem *crimen*, quo Augustum laesit, *vulnus*; idque insanabile esse dicit. || *Non contrectari.* Non attingi, memorando vetera, ne forte nimium recrudescant.

31 *Posse obruere.* Posse tegere et sepelire. || *Meos cineres.* Mea ossa. Quasi dicat, velle posse celari cineres suos, ut eius crimen etiam cum eo lateret.

32 *Sic igitur face verba.* Sic igitur Augustum alloquere. || *Quasi me nullum deceperit error.* Quasi non per errorem et imprudentiam peccaverim. Quasi dicat : Fatendum est, me peccasse. || *Vt fruar vita.* Fortasse Augustus iratus, mihi vitam, quam concessit, adimeret.

33 *Cumque serenus erit.* Cum erit explicata fronte et blando ore, serenaque facie. || *Vultusque remiserit illos.* Hoc est, vultus illos severos et graves, quorum nutu sive intuitu totum imperium commovetur, deposuerit atque exhilararit. || *Qui.* Vultus illos graves ac severos, et maiestatis plenos.

34 *Mite solum.* Quietam terram, et nulli hosti obnoxiam. || *Miserae*

35 Tempus adest aptum precibus: valet ipse videtque
Quas fecit vires, Roma, valere tuas.
36 Incolumis coniux sua pulvinaria servat:
Promovet Ausonium filius imperium.
37 Praeterit ipse suos animo Germanicus annos,
Nec vigor est Drusi nobilitate minor.
38 Adde nurus, neptesque pias, natosque nepotum,
Ceteraque Augustae membra valere domus.
39 Adde triumphatos modo Paeonas, adde quieti
Subdita montanae brachia Dalmatiae.

fugae. Infelici huic meae relegationi.

36 *Incolumis coniux.* Livia superstes. || *Sua pulvinaria.* Sua templa. *Pulvinaria* enim plerunque pro templis ponimus. Erant autem proprie *pulvinaria* lectuli, qui sterni in templis consueverunt, numini dicati: a pluma dicta, qua sarciebantur. Deorum enim simulacra recumbentia in pulvinis collocabantur. Sed ex aliorum sententia accipe pro *thalamo*, sive *coniugio*, quod pulvinariorum nomine appellat, adulandi gratia, tanquam de Diis loquens quibus in templis pulvinaria sterni solebant. *Promovet.* Auget. || *Filius.* Tiberius Liviae filius et Augusti per adoptionem. Hic autem (ut diximus) domuit totum Illyricum, quod intra Italiam, regnumque Noricum, et Thraciam, et Macedoniam, interque Danubium flumen, et sinum maris Hadriatici patet. Quas ob res triumphus ei decretus est, quem distulit, moesta civitate clade Variana.

37 *Praeterit ipse suos.* Aliam caussam assignat, ob quam Augustum laetum esse docet. Animum inquit, maiorem annis gerit Germanicus nepos Tiberii ex fratre Druso, sed filius per adoptionem. Is postea annum agens quartum atque trigesimum, diuturno morbo Antiochiae obiit, non sine veneni suspicione, fraude Tiberii, ministerio vero et opera Cn. Pisonis, qui sub idem tempus Syriae praeerat. || *Vigor.* Virtus Germanici. || *Nobilitate Drusi.* Virtute Drusi, patris Germanici, fratris Tiberii: qui post magnas res gestas in Germania periit ex fractura cruris, super quod equus collapsus fuit.

38 *Natosque nepotum.* Caium, Lucium, et Agrippam, Iuliae et Agrippae filios intellige. Vel Germanici iunioris liberos accipe, sub nepotum nomine, ut crebro reperies apud auctores. || *Ceteraque Augustae membra.* Per membra domus Augustae, ceteros propinquos et familiares intelligit.

39 *Adde triumphatos.* Non de Dalmatico Augusti triumpho accipi debet, qui statim post devictum Antonium et Cleopatram actus fuit, annis prope quadraginta antequam haec ab Ovidio scripta sunt: sed de

40 Nec dedignata est abiectis Illyris armis
Caesareum famulo vertice ferre pedem.
41 Ipse super currum placido spectabilis ore
Tempora Phoebea virgine nexa tulit.
42 Quem pia vobiscum proles comitavit euntem,
Digna parente suo, nominibusque datis;
43 Fratribus assimilis, quos proxima templa tenentes
Divus ab excelsa Iulius aede videt.

Illyrico Tiberii, qui proximo ante obitum Augusti anno gestus est. Id quod et particula *Modo* innuit, quod *Paeonas modo triumphatos* inquit: quasi dicat, nuper, aut etiam eodem hoc anno. ||*Paeonas*. Paeones, natio ingens fuit circa Istrum. Hi *Paeones* a Graecis, a Romanis *Pannonii* dicebantur, et ab illis inter Illyrios numerabantur. || *Adde quieti*. Adde etiam tranquillitati populi Romani devictos Dalmatas. || *Brachia*. Partes, seu vires. ||*Dalmatiae montanae*. Dalmatiae montes plurimos habentis. || *Subdita*. Supposita populo Romano: vel, subdita quieti.

40 *Nec dedignata est.* Illyrii quoque sub Alpibus agebant, imasque valles earum, et quaedam quasi claustra custodiebant, abruptis torrentibus implicati. In hos expeditionem sumpsit ipse Augustus, fierique pontem imperavit.||*Abiectis armis*. Posito bello. || *Caesareum pedem*. Caesaris vires et imperium. || *Vertice famulo*. Capite subdito: ad pedes Tiberii se posternere et victum fateri.

41 *Ipse*. Augustus Caesar. || *Super currum*. Triumphalem currum intellige. || *Placido spectabilis ore*. Vultu renidenti et conspicuo omnibus. || *Tempora nexa*. Caput circumdatum. || *Phoebea virgine*. Laurigera corona. Alludit autem ad Daphnem virginem amatam a Phoebo, quae postea mutata fuit in laurum.

42 *Quem euntem*. Quem Augustum triumphantem, et proficiscentem ad Capitolium. || *Vobiscum*. Cum sua prole, et te Messallino. Quem tanquam unum ex ducibus Augusti, hic Poëta innuit tunc prosequutum fuisse triumphantem imperatorem. || *Digna parente suo*. Digni filii Augusto patre. || *Nominibusque datis*. Et digna nominibus Augusto ipsis impositis. Omnes siquidem Caesares dicebantur, tam filii, quam nepotes.

43 *Fratribus assimilis*. Castori ac Polluci, quorum aedem ante annos paucos dedicatam, Tiberius suo fratrisque Drusi nomine inscripserat. || *Proxima templa*. Templa Veneris Genitricis, vicina Iulii Caesaris simulacro, aut eius statuae equestri. || *Divus Iulius*. Appianus lib. II de *Bellis civilibus* auctor est, Iulium Caesarem erexisse Veneri Genitrici templum. Hic per *Iulium* intelligimus eius simulacrum fuisse in aliquo loco eminentiori ipsius templi Veneris: aut certe statuam

44 His Messallinus, quibus omnia cedere debent,
Primum laetitiae non negat esse locum. (ris :
45 Quidquid ab his superest, venit in certamen amo-
Hac hominum nulli parte secundus eris.
46 Hunc colis, ante diem per quem decreta merenti
Venit honoratis laurea digna comis.
47 Felices, quibus hos licuit spectare triumphos,
Et Ducis ore Deos aequiparante frui.
48 At mihi Sauromatae pro Caesaris ore videndi,
Terraque pacis inops, undaque vincta gelu.
49 Si tamen haec audis, et vox mea pervenit istuc;
Sit tua mutando gratia blanda loco. (vo,
50 Hoc pater ille tuus, primo mihi cultus ab ae-
Si quid habet sensus umbra diserta, petit.

ius equestrem, quae erat supra limen aedis Veneris Genitricis.

44 *His.* Subaudi, Augusti coniugi, liberis, et ceteris. || *Quibus omnia cedere debent.* Quasi dicat, quibus neminem magis laetari victoria parta et triumpho credendum est. || *Non negat.* Non inficiatur ipse Messallinus.

45 *Quidquid superest.* Qidquid hominum reliquum est, praeter antedictos. || *Ab his.* Post superius nominatos. || *Venit in certamen amoris.* Certat in amando Caesare; hoc est, cum reliquis de amore contendit erga Augustum, et nemini concedit in amore Messallinus: quia illo nemo magis gaudet hac laetitia. || *Hac parte.* In hoc certamine.

46 *Hunc colis.* Hunc Augusti prolem veneraris, o Messalline. || *Ante diem, per quem decreta.* Ante tempus et annos Messallini: iuvenis enim admodum triumphavit. || *Merenti.* Messallino digno huiusmodi triumpho. || *Laurea digna.* Dignus triumphus in quo triumphantes lauream ferebant.

47 *Spectare.* Romae esse, et conspicere. || *Triumphos.* Triumphos Caesaris et tuos, o Messalline.|| *Ore ducis.* Ore Augusti. || *Aequiparante Deos.* Diis simili. Ore pleno dignitatis: nam Dii finguntur et pinguntur pulcherrimi.

48 *Sauromatae.* Populi Scythiae. || *Pacis inops.* Hostilibus incursionibus obnoxia. || *Vincta gelu.* Perpetua glacie concreta.

49 *Si tamen.* Si admittis dicta mea. || *Tua gratia.* Tuus favor, o Messalline: vel, blandis precibus efficias apud Caesarem. || *Mutando loco.* Vt in locum transferar mitiorem. || *Sit blanda.* Blanditiis agat erga Augustum

50 *Pater tuus.* Messalla Corvinus. || *Si quid habet sensus.* Si quid intelligit eorum quae fiunt a nobis || *Vmbra diserta.* Anima elo-

51 Hoc petit et frater: quamvis fortasse veretur,
Servandi noceat ne tibi cura mei.
52 Tota domus petit hoc: nec tu potes ipse negare,
Et nos in turbae parte fuisse tuae.
53 Ingenii certe, quo nos male sensimus usos,
Artibus exceptis, saepe probator eras.
54 Nec mea, si tantum peccata novissima demas,
Esse potest domui vita pudenda tuae.
55 Sic igitur vestrae vigeant penetralia gentis;
Curaque sit Superis Caesaribusque tui:
56 Mite, sed iratum merito mihi Numen, adora;
Eximat ut Scythica me feritate loci.
57 Difficile est, fateor, sed tendit in ardua virtus:
Et talis meriti gratia maior erit.
58 Nec tamen Aetnaeus vasto Polyphemus in antro
Accipiet voces Antiphatesve tuas:

quentis patris tui: fuit enim Messalla orator eloquentissimus.

51 *Hoc petit et frater.* Valerius Cotta. Dicit autem: Idem hoc etiam, videlicet ut pro me Augustum depreceris, frater tuus abs te petit.

52 *Tota domus.* Tota familia Messallinorum. || *In parte tuae turbae.* In parte tuorum clientum.

53 *Male usos.* Quia ingenii et carminum caussa relegatus sum. || *Artibus exceptis.* Exceptis libris de Arte amandi. Quasi innuat, Messallinum in reliquis eius ingenium probasse, in artibus vero amatoriis componendis damnasse semper.

54 *Si tantum demas peccata novissima.* Si tantum excipias crimen hoc, cuius caussa relegatus sum: hoc est, praecepta amatoria. || *Nec potest esse pudenda.* Nec potest esse dedecori.

55 *Vigeant.* Frequententur. || *Penetralia.* Sacra et Dii: per quos domum designat. || *Caesaribusque.* Et Augusto, Tiberio, Druso, Germanico, et reliquis.

56 *Mite Numen.* Placidum Augusti numen. || *De feritate Scythica loci.* De crudelitate Tomitanae urbis, quae est in Scythia.

57 *Sed tendit in ardua virtus.* Sed virtus consistit in rebus arduis et difficilibus. Quasi dicat: Non potes mihi opem ferre, et uti tua in me beneficentia, nisi cum labore et discrimine tuo. Ostendes igitur virtutem tuam, si rem arduam effectam dederis. || *Et gratia.* Et gratitudo huiusmodi beneficentiae. ||*Erit maior* Quo difficilior et periculosior, eo gratior erit.

58 *Nec tamen.* Facultatem impetrandi demonstrat ex humanitate

59 Sed placidus facilisque Parens, veniaeque paratus;
Et qui fulmineo saepe sine igne tonat;
60 Qui cum triste aliquid statuit, fit tristis et ipse:
Cuique fere poenam sumere poena sua est.
61 Victa tamen vitio est huius clementia nostro:
Venit et ad vires ira coacta suas.
62 Qui quoniam patria toto sumus orbe remoti;
Nec licet ante ipsos procubuisse Deos;
63 Quos colis, ad Superos haec fer mandata sacerdos;
Adde sed et proprias in mea verba preces.
64 Sic tamen haec tenta, si non nocitura putabis.
Ignoscas: timeo naufragus omne fretum.

et facilitate Caesaris, quam e contrariis exaggerat. Non ages cum homine fero et inhumano, quales Polyphemus et Antiphates || *Polyphemus*. Gigas, Neptuni filius, unum in fronte oculum habens. Is in Sicilia latrociniis grassabatur, ubi cum Vlixes inebriavit, et adusto stipulo oculum eruit. *Aetnaeus* dictus, eo quod in Aetnae spelunca habitaret. ||*Antiphatesve*. Antiphates fuit Laestrygonum rector. Porro Laestrygones humana carne vescebantur.

59 *Sine igne fulmineo* Sine ira.

60 *Triste*. Aliquod supplicium. || *Sumere poenam* Aliquem supplicio afficere. || *Poena fere est sua*. Hoc est : cum Augustus alicui poenam irrogat, quasi eadem ipse afficitur.

61 *Nostro vitio*. Meo crimine. || *Huius*. Augusti. || *Et ira coacta*. Et ira Augusti vi quadam proveniens. || *Venit ad suas vires*. Venit ad suum effectum.

62 *Qui*. Hoc est, nos. || *Toto orbe*. Totius ferme orbis interpositione. || *Procubuisse*. Prostrasse. || *Ante ipsos Deos*. Ante Augustum et liberos.

63 *Quos colis, ad Superos*. Singulis familiis Dii peculiares et peculiaria sacra erant. Sacerdotum autem partes orare pro aliis. || *Sacerdos*. Amicus et carus Augusto tanquam et sacerdotes Diis. || *Proprias preces*. Tuas preces. || *In mea verba*. Ad mea carmina Augustum precantia

64 *Sic tamen*. Cautio. Nihil cupio fieri cum incommodo tuo. || *Haec*. Scilicet mandata.

EPISTOLA III.

MAXIMO.

ARGUMENTUM. Maximi fidem et constantiam in rebus suis miseris et perditis laudat Poëta, qui non utilitate, ut vulgus ignobile, sed honestate et virtute eos probat, quos semel amandos suscepit: hortaturque illum, ut in fide perstet, et sibi quantum potest opem ferat.

1 Maxime, qui claris nomen virtutibus aequas,
Nec sinis ingenium nobilitate premi;
2 Culte mihi, quid enim status hic a funere differt?
Supremum vitae tempus adusque meae:
3 Rem facis, afflictum non aversatus amicum,
Qua non est aevo rarior ulla tuo.
4 Turpe quidem dictu, sed, si modo vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat. (stum:
5 Cura quid expediat prius est, quam quid sit hone-
Et cum Fortuna statque caditque fides.

1 *Maxime.* Maximorum familia olim Romae fuit illlustris || *Qui nomen.* Qui tantum excellis virtutibus quantum et nomine.|| *Premi.* Opprimi et sordescere. || *Nobilitate.* Vera virtute. Sensus est: Nec permittis nobilitatem superare ingenium tuum. Nobilitas enim dicitur ingenium premere, cum ea maior est ingenio.

2 *Quid enim.* Quid enim haec conditio exsulis aliud est, quam mors quaedam?

3 *Non aversatus.* Non reiiciens; Dum me quamvis relegatum et calamitosum pro amico agnoscis. || *Non est rarior.* Non est pretiosior. || *Qua.* Illa scilicet re. Hoc est, fide, quae est fundamentum iustitiae.

4 *Vulgus.* Hoc deplorat etiam eleg. VIII. lib. I. *Trist.* Tantum colit amicitias vulgus, quantum sibi id utile experitur. Mensura utilitatis, amicitiam metitur.

5 *Quid expediat.* Quid sit utile. Vulgus enim amicos eligit, non honestatis et verae amicitiae caussa, sed ut inde utilitatem consequatur.|| *Et cum Fortuna.* Et quia sequitur utilitatem vulgus, ideo in felicitate amicis seduli et officiosi sunt, in adversitatibus vero eos deserunt.

6 Nec facile invenias multis e millibus unum,
Virtutem pretium qui putet esse sui.
7 Ipse decor, recte facti si praemia desint,
Non movet, et gratis poenitet esse probum. (ti
8 Nil, nisi quod prodest, carum est. I, detrahe men-
Spem fructus avidae, nemo petendus erit.
9 At reditus iam quisque suos amat, et sibi quid sit
Vtile, sollicitis supputat articulis.
10 Illud Amicitiae quondam venerabile numen
Prostat, et in quaestu pro meretrice sedet.
11 Quo magis admiror, non, ut torrentibus undis,
Communis vitii te quoque labe trahi.
12 Diligitur nemo, nisi cui Fortuna secunda est.
Quae, simul intonuit, proxima quaeque fugat.
13 En ego, non paucis quondam munitus amicis,
Dum flavit velis aura secunda meis;

6 *Virtutem pretium.* Qui existimet virtutem esse per se expetendam, non autem praemii gratia.

7 *Ipse decor recte facti.* Ipsa virtutis pulchritudo. || *Si praemia desint.* Si non offeratur praemium et remuneratio ob aliquod dignum facinus. || *Non movet.* Non commovet ad virtutis munia obeunda. || *Et gratis.* Et sine praemio non delectat virtutem amplecti.

8 *Nisi quod prodest.* Nisi quod est utile. || *Nemo petendus erit.* Nemo invenietur qui velit virtutem colere.

9 *Suos reditus.* Suos proventus. || *Sollicitis articulis.* Digitis hominis solliciti et curiosi in ratiocinando. In digitis enim computatio fieri solebat. || *Computat.* Ratiocinatur.

10 *Prostat.* Venale est tanquam mulier peccatrix. Non enim homines amicitia ducti, amicos eligunt, sed utilitate: et eo pacto videntur amicitiam prostituere.

11 *Non trahi labe communis vitii.* Non te etiam amicitias utilitatē sequi quemadmodum ceteri. || *Vt torrentibus undis.* Sicut aquis currentibus, hoc est fortuna, quam omnes sequuntur, relicta honestate et amicitia: et sic trahuntur quemadmodum ab undis, quae, quidquid obvium fuerit, rapiunt et abducunt.

12 *Intonuit.* Minata est.

13 *Munitus.* Subaudi, *fui.* Suo exemplo rem illustrat. || *Aura secunda.* Prospera fortuna.

14 Vt fera nimboso tumuerunt aequora vento,
In mediis lacera puppe relinquor aquis.
15 Cumque alii nolint etiam me nosse videri,
Vix duo proiecto tresve tulistis opem. (ctor,
16 Quorum tu princeps: nec enim comes esse, sed au-
Nec petere exemplum, sed dare dignus eras.
17 Te, nihil exacto, nisi nos peccasse fatentem
Sponte sua probitas officiumque iuvant.
18 Iudice te mercede caret, per seque petenda est
Externis virtus incomitata bonis.
19 Turpe putas abigi, quia sit miserandus, amicum;
Quodque sit infelix, desinere esse tuum.
20 Mitius est lasso digitum supponere mento;
Mergere quam liquidis ora natantis aquis.
21 Cerne, quid Aeacides post mortem praestet amico:
Instar et hanc vitam mortis habere puta.

14 *Fera aequora.* Adversa fortuna. || *Nimboso vento.* || Saevis ictibus. || *In mediis aquis.* In mediis periculis et in rebus adversis. || *Lacera puppe.* Vita afflicta.

15 *Proiecto.* Mihi tempestate relicto.

16 *Quorum.* Subaudi vel *fuisti*, vel *tulisti mihi opem.* || *Esse comes.* Esse socius in me iuvando. || *Sed auctor.* Sed princeps.

17 *Te nihil exacto.* Ordo est: Probitas et officium sua sponte iuvant te fatentem, exacto nihil nisi nos peccasse. || *Sponte sua.* Non aliquam ob caussam, nec propter praemium, aut aliquam aliam utilitatem: ea enim non est vera, sed fucata et simulata amicitia. || *Officiumque.* Et officium tuum erga amicos.

18 *Iudice te mercede caret.* Loquitur ex Stoicorum sententia; qui solam virtutem per se expetendam censebant. Vel hoc dicit: Virtus ipsa et amicitia a te colitur per se, non utilitatis caussa: id quod tuo in me exemplo probatur. || *Externis bonis.* Bonis fortunae vel corporis, et sine ullo praemio.

19 *Abigi.* Abiectum relinqui, amicum scilicet. || *Miserandus.* Miseratione dignus et calamitosus. || *Quodque sit infelix.* Et putas etiam turpe. || *Desinere esse tuum.* H. e. amicum tuum; et subauditur, *putas esse turpe.*

20 *Mitius est.* Ad mitem magis pertinet. || *Lasso mento.* Hoc est, fatigato aliqua tempestate. || *Supponere digitum.* Manum supponere ad sublevandum naufragum.

21 *Cerne.* Ab exemplis ostendit, amicos in miseris diligendos

22 Pirithoum Theseus Stygias comitavit ad undas:
A Stygiis quantum sors mea distat aquis!
23 Adfuit insano iuvenis Phoceus Orestae:
Et mea non minimum culpa furoris habet.
24 Tu quoque magnorum laudes admitte virorum;
Vtque facis, lapso, quam potes, affer opem.
25 Si bene te novi; si, quod prius esse solebas,
Nunc quoque es, atque animi non cecidere tui;
26 Quo fortuna magis saevit, magis ipse resistis,
Vtque decet, ne te vicerit illa, caves.
27 Et bene uti pugnes, bene pugnans efficit hostis.
Sic eadem prodest caussa, nocetque mihi.

esse. || *Aeacides.* Achilles, nepos Aesci. || *Amico.* Patroclo. || *Praestet.* Achilles ludos magnos in funere eius dedit. *Et puta* || Et existima, o Maxime. || *Habere instar mortis.* Esse tanquam mortem aliquam, amisso Patroclo amico.

22 *Pirithoum.* Ixionis filius fuit Pirithous, qui eo adduxit Theseum, ut rapiendae Proserpinae caussa, secum descenderet ad inferos. Sed ambos Pluto iussit in vincula conici; ex quibus tamen Theseus, Herculis virtute, est liberatus. || *Theseus.* Aegei filius regis Athenarum. || *Quantum distat.* Quasi dicat, parum distat; sum enim quasi mortuus. || *A Stygiis aquis* Ab inferis.

23 *Iuvenis Phoceus* Pylades Strophii Phocensis filius. || *Orestae insano.* Oresti insanienti, ob matrem interfectam. || *Non minimum furoris.* Non minimum dementiae.

24 *Laudes magnorum virorum.* Summorum hominum virtutes, quas in amicitiis tuendis demostravimus, ut Thesei, Pirithoi, Pyladis, et aliorum. || *Lapso.* Hoc est, qui per imprudentiam erravi.

25 *Quod.* Qualis. || *Tui animi.* Tuae vires, et mentis fortitudo.

26 *Magis ipse resistis.* Magis ipse adversaris. || *Ne te vicerit illa.* Ne fortunae succumbas, ut facit vulgus. Ex quo eum constantem ostendit, et qui in fortunae calamitatibus minime amicum deserit.

27 *Et uti hostis bene pugnans.* Et uti fortuna fortiter tecum dimicans. || *Efficit bene pugnes.* Efficit ut te magis pervicacem in praelio praebeas pro me, et bene pugnantem cum ea. || *Sic eadem prodest caussa.* Sic eadem caussa prodest mihi, quia mihi succurris defendendo, nec tanquam victus me deseris, sed magis reluctaris et illi repugnas || *Nocet mihi.* Quia illa mihi adversatur et superat, tenetque in exsilio.

28 Scilicet indignum, iuvenis rarissime, ducis,
Te fieri comitem stantis in orbe Deae.
29 Firmus es; et quoniam non sunt ea, qualia velles
Vela regis quassae qualiacunque ratis.
30 Quaeque ita concussa est, ut iam casura putetur,
Restat adhuc humeris fulta ruina tuis.
31 Ira quidem primo fuerat tua iusta, nec ipso
Lenior, offensus qui mihi iure fuit.
32 Quique dolor pectus tetigisset Caesaris alti,
Illum iurabas protinus esse tuum :
33 Vt tamen audita est nostrae tibi cladis origo:
Diceris erratis ingemuisse meis.
34 Tum tua me primum solari litera coepit ;
Et laesum flecti spem dare posse Deum.
35 Movit amicitiae tum te constantia longae ;
Ante tuos ortus quae mihi coepta fuit.
36 Et quod eras aliis factus, mihi natus amicus :
Quodque tibi in cunis oscula prima dedi; (annis
37 Quod, cum vestra domus teneris mihi semper ab
Culta sit, esse vetus nunc tibi cogor onus.

28 *Iuvenis rarissime.* Iuvenis constantissime. Et quia pauci in amore sunt constantes, ideo illum *rarissimum* appellat. || *Deae stantis in orbe.* Fortunae superpositae rotundo lapidi, quoniam instabilia sunt eius munera.

29 *Firmus.* Stabilis es. || *Qualia velles.* Qualia cuperes Tu enim velles statum meum felicem esse, et navem inconcussam. || *Vela.* Favores.|| *Regis.* Gubernas || *Qualiacunque* Quasi dicat: etiam vela lacera, et ideo firmus permanes in amicitia. || *Ratis quassae.* Vitae meae agitatae multis malis.

30 *Fulta humeris tuis* Tuo praesidio sustentata.

31 *Primo fuerat.* Cum primum peccavi, iuste cum Caesare in me iratus fuisti. || *Nec lenior ipso.* Nec placabilior Augusto, quem laesi.

32 *Caesaris alti.* Ad altitudinem, seu fastigium imperii referendum est.

33 *Origo nostrae cladis.* Principium et caussam meae relegationis.

34 *Tua littera.* Tua epistola. || *Tum primum.* Non antea. Quid enim solaretur, quem nondum sontem comperisset? || *Deum laesum.* Augustum offensum.

35 *Ante tuos ortus.* Antequam nascereris : tunc enim patre tuo utebar familiariter.

37 *Vestra domus.* Maximorum

38 Me tuus ille pater, Latiae facundia linguae,
Quae non inferior nobilitate fuit,
39 Primus ut auderem committere carmina Famae
Impulit : ingenii dux fuit ille mei.
40 Nec, quo sit primum nobis a tempore cultus,
Contendo fratrem posse referre tuum.
41 Te tamen ante omnes ita sum complexus, ut unus
Quolibet in casu gratia nostra fores.
42 Vltima me tecum vidit, moestisque cadentes
Excepit lacrimas Italis ora genis ;
43 Cum tibi quaerenti, num verus nuntius esset,
Attulerat culpae quem mala fama meae ;
44 Inter confessum dubie dubieque negantem
Haerebam, pavidas dante timore notas :
45 Exemploque nivis, quam solvit aquaticus Auster ,
Gutta per attonitas ibat oborta genas.
46 Haec igitur referens; et quod mea crimina primi
Erroris venia posse latere vides ;

familia. || *Vetus onus.* Vetus amicus tibi molestus et onerosus: qui tuis in pueritia mea fui oblectationi.

38 *Non inferior nobilitate.* Par eloquentiae et nobilitatis splendore.

39 *Famae.* Vt auderem carmina mea in publicum edere.

40 *Nec contendo.* Nec contendendo commemoro ; quia non est contentio, quod fratrem tuum coluerim a primis annis: ipse enim sine ulla disceptatione hoc poterit referre.

41 *Ante omnes.* Ante patrem et fratrem. || *Fores unus* Vt in quavis fortuna et commutatione rerum, nostra gratia similis esset, id est, non desineremus amare inter nos || *Quolibet in casu.* In quacunque fortuna vel bona vel adversa.

42 *Vltima ora Italis.* Vbi navem conscendi. Significat autem Brundusium, vel aliud oppidum.

43 *Cum tibi quaerenti.* Aliud etiam amoris et verae amicitiae iudicium exponit Poëta.

44 *Inter confessum.* Non affirmabam, nec negabam verum esse quod ad te de casu meo rumor pertulerat. || *Pavidas notas.* Signa pavoris

45 *Quam mollit.* Quam liquefacit. || *Auster aquaticus.* Auster humidus: est enim nebulosus atque humectans. || *Gutta.* Lacrimae ipsae. || *Per genas attonitas.* Per faciem hominis subita ruina stupentis

46 *Haec igitur referens.* Haec igitur animo et memoriae tuae subiiciens, tecumque reputans. || *Ve-*

47 Respicis antiquum lapsis in rebus amicum ;
Fomentisque iuvas vulnera nostra tuis.
48 Pro quibus optandi si nobis copia fiat,
Tam bene promerito commoda mille precer.
49 Sed si sola mihi dentur tua vota; precabor,
Vt tibi sit salvo Caesare salva parens.
50 Haec ego, cum faceres altaria pinguia ture,
Te solitum memini prima rogare Deos.

EPISTOLA IV.

ATTICO.

ARGVMENTVM. Attico veterem amicitiam, eiusque fructus ultro citroque iucundiores commemorat; quibus fretus dicit sibi persuasum esse, illum quamvis absentem, adhuc in fide permanere; quod ut faciat hortatur.

1 Accipe colloquium gelido Nasonis ab Istro,
Attice, iudicio non dubitande meo.
2 Ecquid adhuc remanes memor infelicis amici?
Deserit an partes languida cura suas?

nia primi erroris. Pro primo quoque errore ignosci solet.

47 *Respicis.* Foves et amplecteris. || *In rebus lapsis.* In rebus quae ita acciderunt. || *Tuis fomentis.* Tuis solatiis et auxiliis.

48 *Optandi.* Eligendi pro tuis commodis. || *Promerito.* Pro beneficio erga me tuo. Vel, pro tam bene merito: hoc est, pro te, qui tam bene meritus es de me.

49 *Sed si sola mihi dentur tua vota.* Sed si solum mihi daretur optandi copia eius rei quam cupis. || *Salva parens.* Salva mater tua.

50 *Cum faceres altaria pinguia.* Quum sacrificares. || *Haec prima.* Scilicet vota praedicta, ut esset parens salva cum Caesare.

1 *Accipe colloquium Nasonis.* Accipe hanc Ovidii epistolam, quae est loco colloquii. || *Ab Istro.* A flumine fluenti a septentrionali plaga, et ideo frigido.

2 *Ecquid.* Numquid es memor infelicis Ovidii? || *An cura languida.* An amor debilitatus longo tempore? || *Deserit suas partes.* Derelinquit suum officium.

3 Non ita Dî tristes mihi sunt, ut credere possim,
Fasque putem iam te non meminisse mei.
4 Ante meos oculos tua stat, tua semper imago est:
Et videor vultus mente videre tuos.
5 Seria multa mihi tecum collata recordor :
Nec data iucundis tempora pauca iocis.
6 Saepe citae longis visae sermonibus horae :
Saepe fuit brevior, quam mea verba, dies.
7 Saepe tuas factum venit modo carmen ad aures;
Et nova iudicio subdita Musa tuo est.
8 Quod tu laudaras, populo placuisse putabam :
Hoc pretium curae dulce recentis erat.
9 Vtque meus lima rasus liber esset amici,
Non semel admonitu facta litura tuo est.
10 Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis,
Nos via, nos iunctis curva theatra locis.

3 *Non ita Dî.* Non ita Dii mihi adversantur: non ita me oderunt. || *Fasque putem.* Posse fieri existimem.

5 *Seria multa.* Multa facta et dicta sine ioco. || *Nec pauca tempora.* Nec paucos dies et menses, imo multos.

6 *Horae saepe sunt visae citae.* Sunt visae celerius labi quam volebamus. || *Saepe fuit brevior.* Hoc ex affectu amicorum solet accidere, quibus tempus videtur deficere in suavissimis, qui ultro citroque habentur, sermonibus || *Quam mea verba.* Quam meus sermo.

7 *Factum modo carmen.* Carmen a me paulo ante compositum. || *Et nova* Et carmen a me nuper editum. || *Est subdita tuo iudicio* Est subiecta censurae et emendationi tuae.

8 *Populo placuisse.* Tam pulcrum esse existimabam, quam si totus id populus probasset. || *Hoc pretium curae.* Recentes labores meos in carminibus, hoc dulci pretio, approbatione videlicet tua, compensabam et solabar.

9 *Lima amici.* Tua et amici hominis castigatione ac iudicio. || *Litura non semel est facta.* Non semel, sed saepius expunxi quae tu non probabas.

10 *Nos fora viderunt pariter.* Nos eodem tempore in forum descendimus, auspicaturi caussas forenses. Solebant enim adolescentuli Romani togam sumere, et barbam ponere, eloquentiamque in foro auspicari. Dicebantur ipsi *tyrones*, et illa actio *tyrocinium*. || *Nos porticus omnis.* Vna etiam deambulabamus sub porticibus Romanis.

11 Denique tantus amor nobis, carissime, semper,
Quantus in Aeacide Actorideque fuit.
12 Non ego, securae biberes si pocula Lethes,
Excidere haec credam pectore posse tuo.
13 Longa dies citius brumali sidere, noxque
Tardior hiberna solstitialis erit.
14 Nec Babylon aestum, nec frigora Pontus habebit,
Calthaque Paestanas vincet odore rosas :
15 Quam tibi nostrarum veniant oblivia rerum.
Non ita pars fati candida nulla mei.
16 Ne tamen haec dici possit fiducia mendax,
Stultaque credulitas nostra fuisse, cave :
17 Constantique fide veterem tutare sodalem
Qua licet, et quantum non onerosus ero.

Nos via. Sacram viam intellige. || *Curva theatra*. Theatra sinuosa. || *Iunctis locis*. Locis finitimis.

11 *In Aeacide*. In Achille Aeaci nepote. || *Actorideque*. Et in Patroclo Actoris nepote. Actor enim fuit pater Menoetii, Menoetius Patrocli.

12 *Pocula Lethes*. Pocula Lethaei fluminis securitatem et oblivionem inducentis. || *Posse excidere*. Posse amoveri.

13 *Longa dies*. Dies aestiva || *Brumali tempore*. Tempore hiemis quo dies sunt breviores. || *Noxque solstitialis*. Et nox aestiva || *Erit tardior*. Erit longior || *Hiberna*. Nocte hiemali, quae longa esse solet.

14 *Nec Babylon aestum*. Nec in Babylonia civitate calor ingens erit, quam Semiramis condidisse dicitur, fuitque caput Chaldaearum gentium: ibi est maximus calor propter australem et orientalem plagam finitimam. || *Nec frigora Pontus habebit*. Nec in regione Pontica quae est in septentrione, erit frigus: quod maximum est. || *Calthaque*. Caltha, violae genus est gravis odoris. || *Paestanas rosas*. Rosas nascentes apud Paestum oppidum, quae sunt gravioris odoris quam caltha. *Paestum* vero oppidum fuit Lucaniae, a Graecis *Possidonia* appellatum, a Doriensibus conditum.

15 *Quam tibi nostrarum*. Eclipsis est. Supplendum enim est adverbium *Citius*, vel *Ante*, ut sit sensus: Ante Babylon aestum non habebit, aut frigora Pontus: et ante caltha vincet Paestanas rosas odore, quam tibi nostrarum rerum veniat oblivio. || *Non pars*. Hoc est, pars aliqua meae fortunae prospera, non ita periit, ut credam te mei oblivionem cepisse. || *Candida*. Pars bona et fausta || *Ita nulla*. Non est ita inefficax et vana.

17 *Qua licet* Qua in re fas tibi

EPISTOLA V.

SALANO.

Argumentum. Ad Salanum scribit, agitque illi gratias, quandoquidem tam moleste tulerit relegationem suam, quamvis modico amicitiae usu illi iunctus fuerit; dicitque sibi gratum fuisse carmina sua a se esse laudata. Eum deinde rogat, ut si ad eius aures liber de triumpho Germanici pervenerit, eius tutelam suscipiat. Postremo docet quamdam esse coniunctionem ingeniorum.

1 Condita disparibus numeris ego Naso Salano
Praeposita misi verba salute meo;
2 Quae rata sit cupio, rebusque ut comprobet omen,
Te precor a salvo possit, amice, legi.
3 Candor, in hoc aevo res intermortua paene,
Exigit, ut faciam talia vota, tuus.
4 Nam fuerim quamvis modico tibi cognitus usu,
Diceris exsiliis ingemuisse meis.
5 Missaque ab extremo legeres cum carmina Ponto:
Illa tuus iuvit qualiacunque favor.

est, vel per Augustum, ne laedatur; vel per amicitiam nostram. || *Et quantum.* Et quanto potes studio. || *Non onerosus ero.* Non ero tibi et damno. Quasi dicat: nullum in me defendendo patieris detrimentum.

1 *Condita verba.* Verba composita. || *Disparibus numeris.* Versibus elegis.

2 *Quae sit rata.* Vt illa salus sit firma. || *Rebusque ut comprobet omen.* Et cupio ut omen meum reipsa assequaris, id est, ut sis salvus. || *Vt possit legi te salvo.* Vt salus ipsa praemissa in meo carmine legi queat te salvo et incolumi.

3 *Candor.* Probitas tua. || *Res pene intermortua.* Quasi innuit pene mortuam esse probitatem, vixque illam in ullo alio reperiri, quam in Salano ipso. || *Vt faciam talia vota.* Vt precer pro salute tua.

4 *Ab modico usu.* A parva consuetudine. || *Meis exsiliis.* Mea relegatione.

5 *Ab extremo Ponto.* A Tomitana civitate, quae erat in littore maris Euxini. || *Illa.* Scilicet, carmina mea. || *Tuus favor.* Quo carmen meum missum e Ponto Romam

6 Optastique brevem salvi mihi Caesaris iram ;
Quod tamen optari, si sciat, ipse sinat.
7 Moribus ista tuis tam mitia vota dedisti :
Nec minus idcirco sunt ea grata mihi.
8 Quoque magis movearc malis, doctissime, nostris,
Credibile est fieri conditione loci.
9 Vix hac invenias totum, mihi crede, per orbem,
Quae minus Augusta Pace fruatur, humum.
10 Tu tamen hic structos inter fera proelia versus
Et legis, et lectos ore favente probas:
11 Ingenioque meo, vena quod paupere manat,
Plaudis ; et e rivo flumina magna facis.
12 Grata quidem sunt haec animo suffragia nostro ;
Vix sibi cum miseros posse placere putes.
13 Dum tamen in rebus tentamus carmina parvis,
Materiae gracili sufficit ingenium.
14 Nuper ut huc magni pervenit Fama triumphi ;
Ausus sum tantae sumere molis opus.

prosecutus es.|| *Iuvit.* Ab aliis etiam laudari fecit, te ita bene de meis carminibus sentiendo.

6 *Optastique.* Optasti ut salvus sit Augustus pater patriae, et brevi mihi ignoscat.|| *Quod tamen optari.* Sensus est : Tanta est Augusti clementia et benignitas, ut etiamsi sciret id a te optari in meam utilitatem, tamen id permitteret, nec tibi irasceretur.

7 *Tuis moribus.* Tuae benignitati. Huiusmodi enim vota manant a benignis moribus. || *Idcirco.* Quasi dicat: non minus hoc mihi gratum est, quod ita exigentibus tuis moribus facis, quam si id dares aut amicitiae, aut alii amoris caussae.

8 *Conditione loci* Iniquitate loci.

9 *Augusta pace* Quiete et pace ab Augusto in toto mundo parta.

10 *Versus structos.* Compositos et factos. Qui non possunt esse admodum boni, cum carmina secessum scribentis et otia quaerant, et pacem mentis desiderent, quae mihi isto loco non contigunt.

11 *Vena paupere.* Rivo ingenii non ubere. || *Plaudis.* Gratularis. || *E rivo.* Ex parva poëticae facultate.

12 *Haec suffragia.* Haec auxilia parandi favorem Romae meis carminibus. || *Vix sibi cum miseros.* Sensus est: Grata sunt et laeta quae pro me facis: quamvis vix credibile sit, miserum quemque posse ulla re gaudere, et illi eam placere.

13 *In rebus parvis.* In exili et tenui materia.

14 *Magni triumphi.* Triumphi

15 Obruit audentem rerum gravitasque nitorque:
Nec potui coepti pondera ferre mei.
16 Illic, quam laudes, erit officiosa voluntas.
Cetera materia debilitata iacent.
17 Quod si forte liber vestras pervenit ad aures;
Tutelam, mando, sentiat ille tuam.
18 Hoc tibi facturo, vel si non ipse rogarem,
Accedat cumulus gratia nostra levis.
19 Non ego laudandus, sed sunt tua pectora, lacte,
Et non calcata candidiora nive.
20 Mirarisque alios, cum sis mirabilis ipse,
Nec lateant artes, eloquiumque tuum.
21 Te iuvenum Princeps, cui dat Germania nomen,
Participem studii Caesar habere solet.

Germanici. Imo, Illyrici, ut supra annotavimus. || *Tantae molis.* Tantae magnitudinis, sumendo gesta et triumphum Germanici.

15 *Rerum.* Subaudi, gestarum. || *Gravitasque nitorque. Gravitas* ad rerum magnitudinem, *nitor* vero ad pulchritudinem et nobilitatem illarum refertur. || *Nec potui ferre.* Nec potui aequare versu meo rerum magnitudinem; quia non respondebat carmen meum rebus gestis, quae erant maiores meo versu. || *Mei coepti.* Meae materiae susceptae.

16 *Illic quam laudes.* In describendo tamen huiusmodi triumpho, quamvis non ita eleganter rei magnitudinem assecutus sit, laudandam tamen esse dicit voluntatem officiosam. || *Cetera.* Reliqua omnia praeter voluntatem. || *Iacent.* Vilia sunt. || *Materia debilitata.* Materia superante ingenium et vires meas.

17 *Liber.* Carmen meum de triumpho Germanici. || *Tuam tutelam.* Tuam defensionem.

18 *Hoc tibi facturo.* Tibi suscepturo tutelam mei libelli. || *Vel si non ipse rogarem.* Etiam si ipse non peterem, ut tutelam susciperes libelli. || *Gratia.* Amor precatur verecunde, ut gratia Poëtae apud Salanum aliquid plusculum valeat in tuendis eius carminibus.

19 *Non ego laudandus.* Docet, ne videatur arrogans, libellum suum non esse laude dignum: sed si qua laus accesserit huiusmodi operi, id ascribendum esse candori et ingenio ipsius Salani. || *Lacte.* Subaudi, candidiora. || *Nive non calcata.* Tunc enim candidior esse solet.

20 *Miraris.* Admiratione dignus, propter virtutes. Magni certe animi est sua negligere, aliena magni facere. || *Artes.* Liberales disciplinae.

21 *Te iuvenum Princeps.* Probat Salanum virum esse doctissimum, si quidem Germanicus illum

22 Tu comes antiquus, tu primis iunctus ab annis,
Ingenio mores aequiparante, places.
23 Te dicente prius fit protinus impetus illi:
Teque habet, elicias qui sua verba tuis.
24 Cum tu desisti, mortaliaque ora quierunt,
Clausaque non longa conticuere mora;
25 Surgit Iüleo iuvenis cognomine dignus,
Qualis ab Eöis Lucifer exit aquis. (serti,
26 Dumque silens adstat, status est vultusque di-
Spemque decens doctae vocis amictus habet. (tum,
27 Mox, ubi pulsa mora est, atque os caeleste solu-
Hoc Superos iures more solere loqui.

doctrinae caussa in disciplinis liberalibus socium habet.

22 *Tu comes.* Subaudi, es Caesaris. || *Ingenio aequiparante mores.* Mores enim pares sunt ingenio tuo.

23 *Te dicente prius.* Te prius declamante. || *Fit protinus impetus illi.* Vis eloquentiae subito in Germanico exoritur; et excitatur cupiditas dicendi, et te aequandi. || *Teque habet.* Et habet in te studiis praevium et ducem quasi alterum praeceptorem. || *Elicias.* Evoces

24 *Mortaliaque ora quierunt.* Cessarunt. *Mortalia* autem appellat, ut ostendat Salanum mortalem, Germanicum vero Caesarem divum fuisse. || *Non longa mora.* Non diu: aliquantulum enim post verba Solani silentium fuit.

25 *Iuvenis.* Germanicus. || *Dignus cognomine Iüleo.* Dignus Caesaris cognomine, quo Iulius cognominabatur. || *Qualis Lucifer.* Tam pulcher ut stella Lucifer. Vnde superius eum comparavit Cupidinibus. || *Ortus ab aquis Eöis.* Ortus ab orientali *Oceano.* Fingunt enim poëtae sidera in Oceano mergi in occasu, et ab eodem etiam in ortu oriri.

26 *Dumque silens adstat.* Et dum firmat se Germanicus, ac silet aliquantulum antequam exordiatur. Non enim protinus erumpendum esse docent praestantes rhetores, sed dandam brevis cogitationis moram, priusquam illa eloquentiae procella effundatur. || *Status est vultusque diserti.* Et statu et vultu eloquens videtur. || *Spemque decens.* Decenti ratione complicata promittit dictam orationem.

27 *Vbi pulsa mora est.* Quando, silentium quod aliquandiu tenuit, rupit. || *Atque os caeleste solutum.* Et Germanici divinum os loqui coepit. || *Hoc more.* Eo pacto quo Germanicus. Est autem magna laus Germanici, quod eloquio Diis immortalibus comparetur.

28 Atque, Haec est, dicas, facundia Principe digna:
Eloquio tantum nobilitatis inest.
29 Huic tu cum placeas, et vertice sidera tangas,
Scripta tamen profugi vatis habenda putas.
30 Scilicet ingeniis aliqua est concordia iunctis,
Et servat studii foedera quisque sui.
31 Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiae navita puppis amat.
32 Tu quoque Pieridum studio, studiose, teneris;
Ingenioque faves, ingeniose, meo.
33 Distat opus nostrum; sed fontibus exit ab îsdem:
Artis et ingenuae cultor uterque sumus.
34 Thyrsus enim vobis, gestata est laurea nobis;
Sed tamen ambobus debet inesse calor.
35 Vtque meis numeris tua dat facundia nervos;
Sic venit a nobis in tua verba nitor.

29 *Huic tu cum placeas* Quando tu places tanto viro.|| *Et vertice sidera tangas.* Et cum sis felix. || *Scripta profugi vatis.* Carmina mea de triumpho Germanici || *Esse habenda.* Esse apud te tenenda.

30 *Ingeniis iunctis.* Ingeniis coniunctis et colligatis in aliqua disciplina. Ingeniorum enim similitudo amicitias conglutinat. || *Servat foedera sui studii.* Et retinet coniunctionem illam, quae est in ipsis studiis et disciplinis

31 *Dubiae puppis.* Navis ambiguae an sit mari obruendae.

32 *Tu quoque Pieridum.* Sic tu cum ames Musas et studium poëticum, amas et ingenium meum, meque ut poëta poëtam diligis. Indicat hic Solanum quoque poëtam fuisse.

33 *Distat opus nostrum.* Quia tu vacas eloquentiae, ego vero poëticae facultati. || *Ab îsdem fontibus.* Ab iisdem Musis. || *Artis ingenuae.* Liberalis disciplinae.

34 *Thyrsus.* Thyrsus erat hasta hedera involuta, qua ferri mucro abscondebatur: *Bacchi* telum.|| *Laurea.* Corona ex lauro, qua poëtae coronantur. Per *thyrsum* ergo oratoriam facultatem intelligit: per *lauream*, poëticam. Quasi dicat. Vos Bacchi stimulis agitamini, nos Appollinis: quibus tamen utrisque suus calor est, suusque impetus. || *Ambobus.* Et tibi et mihi. || *Calor.* Furor et ardor quidam contractus et a Baccho et a Phoebo.

35 *Meis numeris.* Meis carminibus. || *Tua facundia.* Tua eloquentia, quae necessaria est poëtae. || *Dat nervos.* Dat vires. || *A nobis.* A poëtica facultate. || *In tua.* In pedestri oratione. Oratori enim necessaria est poëticae quoque artis cognitio.

36 Iure igitur studio confinia carmina vestro,
Et commilitii sacra tuenda putas.
37 Pro quibus ut maneat, de quo censeris, amicus,
Comprecor ad vitae tempora summa tuae:
38 Succedatque tuis orbis moderator habenis.
Quod mecum populi vota precantur idem.

EPISTOLA VI.

GRAECINO.

ARGVMENTVM. Ad Graecinum scribens Poëta, eum monet, ne crimen admissum culpet; quandoquidem praeterita mutari non possint. Illum postremo monet, ut malit sibi lapso opem aliquam ferre, ut facit, quam ea damnare, quae potius excusanda sunt.

1 Carmine Graecinum, qui praesens voce solebat,
Tristis ab Euxinis Naso salutat aquis.
2 Exsulis haec vox est, praebet mihi litera linguam:
Et, si non liceat scribere, mutus ero.

36 *Sacra.* Versus sacros poëtarum, qui sunt Bacchi sacerdotes. || *Confinia.* Vicina. || *Iure.* Quae hactenus de societate duarum facultatum dixit, eo fine dixit, ut se merito illi esse cordi ostenderet. || *Et tuenda commilitii.* Et esse coniuncta ipsa sacra carmina cum re militari.

37 *Pro quibus.* Quod legis meos versus, et est quaedam inter nos communis studiorum coniunctio. || *De quo censeris.* Eius de quo existimaris: hoc est, Germanici. || *Ad vitae tempora summa tuae.* Vsque ad summum diem.

38 *Succedatque.* Ordo est: Et ille de quo censeris amicus, hoc est, Germanicus, succedat moderator orbis: id est, moderetur et imperet orbi post Augustum. || *Tuis habenis.* Tua administratione.

1 *Praesens.* Romae, scilicet. || *Ab Euxinis aquis.* A mari Pontico.

2 *Praebet mihi litera linguam.* Carmen meum est mihi loco linguae, ad salutandum amicos. || *Et ero mutus.* Et ero tanquam elinguis et sine voce, quia non potero amicos salutare alio modo: non enim mihi licet Romam accedere, et amicos alloqui, nisi versu.

3 Corripis, ut debes, stulti peccata sodalis:
Et mala me meritis ferre minora doces.
4 Vera facis, sed sera, meae convicia culpae.
Aspera confesso verba remitte reo.
5 Cum poteram recto transire Ceraunia velo,
Vt fera vitarem saxa, monendus eram.
6 Nunc mihi naufragio quid prodest discere facto,
Quam mea debuerit currere cymba viam?
7 Brachia da lasso potius prendenda natanti;
Nec pigeat mento supposuisse manum.
8 Idque facis, faciasque precor. Sic mater et uxor,
Sic tibi sint fratres, totaque salva domus.
9 Quodque soles animo, quod semper voce precari,
Omnia Caesaribus sic tua facta probes.
10 Turpe erit in miseris veteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tulisse tuum.

3 *Peccata stulti sodalis.* Mea crimina. Imo, et doces, quod poenas minores sustineam, quam pro quantitate peccati. || *Mala minora meritis.* Minora supplicia, quam deberem. Quasi dicat: Humane et amice agis, quod doles etiam meis malis, quae minora sunt meis criminibus.

4 *Sera.* Tarda: debebas enim hoc agere, antequam relegarer. || *Reo confesso.* Mihi, qui iam peccasse confessus sum. || *Verba aspera.* Acerbas reprehensiones.

5 *Recto velo.* Recto cursu. || *Ceraunia. Ceraunia* montes sunt altissimi Epiri. Dicuntur quoque *Acroceraunia*, a fulminibus et tempestatibus eo loco frequentioribus. || *Vt fera vitarem saxa.* Vt effugerem scopulosa littora.

6 *Naufragio facto.* Me in exsilium misso.

7 *Da potius brachia.* Porrige potius mihi brachia, et auxilium tuum || *Lasso natanti.* Mihi naufrago, et iam defesso. || *Prendenda.* Capienda, ut illis haeream, ne mergar.

9 *Quod soles semper precari animo* Quam rem semper mente et corde oras: ut scilicet probes omnia tua facta Caesaribus. || *Quod voce.* Quod etiam verbis, nedum animo soles precari. || *Caesaribus.* Augusto, Tiberio, Druso, ac ceteris. || *Probes.* Probabilia et laudabilia facias.

11 Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci:
Turpe laborantem deseruisse ratem.
12 Turpe sequi casum, et fortunae cedere, amicum
Et, nisi sit felix, esse negare suum. (ti:
13 Non ita vixerunt Strophio atque Agamemnone na-
Non haec Aegidae Pirithoique fides;
14 Quos prior est mirata, sequens mirabitur aetas:
In quorum plausus tota theatra sonant.
15 Tu quoque, per durum servato tempus amico,
Dignus es in tantis nomen habere viris.
16 Dignus es: et, quoniam laudem pietate mereris,
Non erit officii gratia surda tui.
17 Crede mihi, nostrum si non mortale futurum
Carmen, in ore frequens posteritatis eris.

11 *Turpe referre pedem.* Est turpe regredi ab amicitia. || *Passu tenaci.* Firmo et gravi passu A militia ductum. Boni enim et generosi milites pugnam ineuntes, a loco cui institerunt non dimoventur. || *Ratem laborantem.* Me in exsilio deprehensum, tanquam navem in arena vel littore.

12 *Amicum sequi casum.* Quo fortunam inclinatam viderit, eo et amicum inclinari. Debet enim amicus in quacunque fortuna persistere in fide, et nunquam amicum deserere. || *Et fortunae cedere.* Et fortunae amicum insequenti cedere. || *Esse suum.* Subaudi, amicum || *Nisi sit.* Nisi utatur prospera fortuna.

13 *Non ita vixerunt.* Non ita sequuti sunt casum, deferendo se in adversis. || *Nati Strophio atque Agamemnone.* Pyladem et Orestem optimos et caros amicos designat. Fuit enim Pylades Strophii Phocensis filius. || *Aegidae.* Thesei filii Aegei, Pirithoi amicissimi. || *Pirithoi.* Ixionis filius, cuius auxilio Theseus Centauros devicit, et cum quo ad inferos descendit, ut Proserpinam abduceret.

14 *In quorum plausus.* In quorum laetitiam et favores. || *Tota theatra sonant.* Tota theatra resonant, quum de illis tragoediae compositae recitantur.

15 *Per durum tempus.* Per hoc asperum relegationis meae tempus. || *Servato amico.* Me conservato.

16 *Pietate.* Amore erga amicum. || *Gratia tui officii.* Favor tuus erga me amicum. || *Non erit surda.* Intelliget gratitudinem meam: nempe, intelliget se laudari a me.

17 *Si non mortale futurum est.* Si non intercidet.

18 Fac modo permaneas lapso, Graecine, fidelis;
Duret et in longas impetus iste moras.
19 Quae tu cum praestes, remo tamen utor in aura.
Nil nocet admisso subdere calcar equo.

EPISTOLA VII.

ATTICO.

ARGVMENTVM. Ad Atticum scribens, primo eum salutat; deinde percunctatur quid agat, et an eum amet: queriturque de fortuna; ac mala sua breviter commemorat, et innumerabilia esse dicit. Postremo in tot, tantisque malis, solam sibi spem relictam solatio esse asserit; precaturque, ut in fide pristina permaneat, nec se amicum deserat.

1 Esse salutatum vult te mea litera primum
A male pacatis, Attice, missa Getis.
2 Proxima subsequitur, quid agas, audire voluptas,
Et si, quicquid agas, sit tibi cura mei.
3 Nec dubito quin sit: sed me timor ipse malorum
Saepe supervacuos cogit habere metus.
4 Da veniam, quaeso, nimioque ignosce timori.
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
5 Qui semel est laesus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis aera subesse putat.

18 *Lapso.* Mihi qui erravi. || *Iste impetus.* Iste ardor mihi favendi. || *In longas moras.* In longum tempus.

19 *Quae tu cum praestes.* Quae quum mihi exhibeas. || *Remo tamen utor in aura.* Tamen tuo auxilio et favori addam etiam preces et exhortationes meas. || *Nil nocet.* Ratio est, quare uti velit precibus.

1 *A Getis male pacatis.* A Getis nunquam quiescentibus: semper enim pugnant.

2 *Subsequitur audire.* Investigat intelligere.

3 *Nec dubito quin sit.* Subaudi, cura mei ||*Timor malorum.*Metus discriminum, quibus tam longo tempore sum obnoxius.

5 *Vnca aera.* Hamos ipsos.

6 Saepe canem longe visum fugit agna, lupumque
Credit; et ipsa suam nescia vitat opem.
7 Membra reformidant mollem quoque saucia tactum:
Vanaque sollicitis incutit umbra metum.
8 Sic ego Fortunae telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil nisi triste meo.
9 Iam mihi fata liquet, coeptos servantia cursus,
Per sibi consuetas semper itura vias.
10 Observare Deos, ne quid mihi cedat amice,
Verbaque Fortunae vix puto posse dari.
11 Est illi curae me perdere, quaeque solebat
Esse levis, constans et bene certa nocet.
12 Crede mihi, si sum veri tibi cognitus oris,
Nec fraus in nostris casibus esse potest;
13 Cinyphiae segetis citius numerabis aristas,
Altaque quam multis floreat Hybla thymis:

6 *Suam opem*. Canem, qui eam defendit a lupis.

7 *Mollem tactum*. Tactum solum citra ullum dolorem. || *Vana umbra*. Vmbra nihil nocitura. || *Sollicitis*. Anxiis ne laedantur.

9 *Fata*. Dii mihi adversi. || *Iam liquet mihi*. Iam mihi manifestum ac notum est. || *Coeptos cursus*. Tenorem adversum iamdiu coeptum.

10 *Nequid mihi cedat*. Deos observare, ne quid mihi amice, hoc est, prospere atque feliciter, cedat: fortunaeque vix posse verba dari, hoc est, imponi: ut verbum *Puto*, ad utrumque colon adhibeatur.

11 *Esse levis*. Esse mutabilis, et modo secunda, modo adversa. || *Constans et bene certa nocet*. Nunc non est amplius mutabilis aut levis, sed constans et firma in nocendo mihi: quod contra Fortunae naturam videtur.

12 *Veri oris*. Non mendacis, sed veridici sermonis. || *Nec fraus in nostris*. Non possunt casus nostri numerari.

13 *Cinyphiae segetis*. *Cinyphus* fluvius est Garamantum. Mela scribit fluvium esse in Libya, per uberrima arva decidentem, a quo Cinyphiae segetes appellantur a poëtis, hoc est, Libycae. Libya enim ob maximam frumenti copiam, horreum fuit Romanorum. || *Alta Hybla*. Vel generosa et nobilis, vel in monte sita. Fuit autem *Hybla* urbs Siciliae. Ea postea *Megara* appellata fuit, a qua Maro *apes Hyblaeas* appellavit, quae in Sicilia mel optimum conficiebant. || *Multis thymis*. Thymum herba apibus gratissima.

14 Et quot aves motis nitantur in aëra pennis:
Quotque natent pisces aequore, certus eris:
15 Quam tibi nostrorum statuatur summa laborum,
Quos ego sum terra, quos ego passus aqua.
16 Nulla Getis toto gens est truculentior orbe:
Sed tamen hi nostris ingemuere malis.
17 Quae tibi si memori coner perscribere versu,
Ilias est fatis longa futura meis.
18 Non igitur vereor, quod te rear esse verendum,
Cuius amor nobis pignora mille dedit: (go
19 Sed quia res timida est omnis miser; et quia lon-
Tempore laetitiae ianua clausa meae est.
20 Iam dolor in morem venit meus: utque caducis
Percussu crebro saxa cavantur aquis:
21 Sic ego continuo Fortunae vulneror ictu:
Vixque habet in nobis iam nova plaga locum.
22 Nec magis assiduo vomer tenuatur ab usu,
Nec magis est curvis Appia trita rotis;

14 *Motis pennis.* Agitatis alis. || *Nitantur in aëra.* Tollantur in aëra. Et subauditur, *citius numerabis.*||*Eris certus.* Et citius etiam cognosces. Quasi dicat: Facilius omnia impossibilia fient, quam possis mala nostra numerare.

15 *Statuatur tibi.* Tibi numeretur.

17 *Longa Ilias.* Longum opus, ut est Homeri *Ilias* de bello Troiano.

18 *Quod te rear esse verendum.* Quia existimem esse timendum, ne scilicet de me cures et cogites: quemadmodum superius dixerat se id maxime scire cupere. || *Mille pignora.* Mille signa.

19 *Sed quia.* Sed quia quilibet infelix timidus est. || *Et quia longo est tempore.* Et quare iamdiu assuevi nullam habere laetitiam.

20 *In morem.* In consuetudinem. || *Caducis aquis.* Aquis cadentibus. || *Crebro percussu.* Crebro casu.

21 *Nova plaga.* Novus aliquis fortunae ictus. || *Vix habet locum in nobis.* Vix potest me vulnerare.

22 *Ab assiduo usu.* Ab assidua cultura agri. || *Curvis rotis.* Curribus habentibus rotas curvas. || *Appia.* Via illa ab Appio censore strata et cognominata, de qua superius diximus.

23 Pectora quam mea sunt serie caecata laborum;
Et nihil inveni, quod mihi ferret opem.
24 Artibus ingenuis quaesita est gloria multis:
Infelix perii dotibus ipse meis.
25 Vita prior vitio caret, et sine labe peracta:
Auxilii misero nil tulit illa mihi.
26 Culpa gravis precibus donatur saepe suorum:
Omnis pro nobis gratia muta fuit.
27 Adiuvat in duris alios praesentia rebus:
Obruit hoc absens vasta procella caput.
28 Quae non horruerint tacitam quoque Caesaris iram?
Addita sunt poenis aspera verba meis.
29 Fit fuga temporibus levior: proiectus in aequor
Arcturum subii, Pleïadumque minas.

23 *Caecata.* Debilitata, et orbata sensibus.

24 *Artibus ingenuis.* Liberalibus disciplinis. || *Multis.* A quamplurimis. || *Perii meis dotibus.* Quasi dicat: Ego mihi excidium paravi artibus ingenuis, non gloriam, ut plerique.

25 *Vita prior.* Vita mea anteacta. || *Caret vitio.* Caret labe: vixi enim sine crimine. || *Illa.* Scilicet, vita recte acta.

26 *Culpa gravis.* Sensus est: Si quis admisit aliquod grave scelus, solet plerunque ille impune abire, quia amici imperatoris iram leniunt. || *Fuit muta pro nobis.* Deprecatio et supplicatio meorum nihil effecit, ac veluti muta ac nulla fuit.

27 *Adiuvat.* Suffragatur: quia praesentes possunt pro se caussam dicere, et ad amicos confugere, ac eorum uti patrocinio in rebus suis afflictis: quod auxilium sibi sublatum esse dicit Poëta, propter absentiam. || *Hoc caput absens.* Me absentem damnatum ab Augusto.

28 *Tacitam iram Caesaris.* Caesaris irati etiam non loquentis.

29 *Fit fuga temporibus levior.* Levius solet esse supplicium, quando exsules abeunt expectato tempore navigationi apto. Dicit ergo: Aliis incommodis meis hoc etiam accessit, quod fugatus sum tristi sidere ||*Proiectus in aequor.* Vt in exsilium proficiscerer. || *Arcturum subii.* Tempore quo Arcturus magnos imbres parabat, coepi navigare. *Arcturus* autem stella est, in cauda maioris Vrsae locata. Exoritur undecim diebus ante autumni aequinoctium, VIII.Cal.Oct. id est, die XXIV.Sept. || *Pleiadum.* Hae stellae numero septem dicuntur. *Vergilias* autem nostri dixere, quod post ver exoriuntur. Oriuntur autem IV. nonas Apriles.

30 Saepe solent hiemem placidam sentire carinae:
Non Ithacae puppi saevior unda fuit.
31 Recta fides comitum poterat mala nostra levare:
Ditata est spoliis perfida turba meis.
32 Mitius exsilium faciunt loca: tristior ista
Terra sub ambobus non iacet ulla polis.
33 Est aliquid, patriis vicinum finibus esse:
Vltima me tellus, ultimus orbis habet.
34 Praestat et exsulibus pacem tua laurea, Caesar:
Pontica finitimo terra sub hoste iacet.
35 Tempus in agrorum cultu consumere dulce est:
Non patitur verti barbarus hostis humum.
36 Temperie caeli corpusque animusque iuvantur:
Frigore perpetuo Sarmatis ora riget.
37 Est in aqua dulci non invidiosa voluptas:
Aequoreo bibitur cum sale mista palus.

30 *Placidam hiemem.* Placidam tempestatem. || *Carinae.* Ceterae naves praeter meam. || *Non fuit saevior Ithacae puppi.* Non fuit crudelior navi Vlyssis Ithacensis, qui per decennium erravit: *quam meae*, subintellige.

31 *Recta fides comitum.* Dicit se quoque ab amicis suis desertum: et ab his potissimum, quos sibi ille fidos esse existimabat. || *Ditata est meis spoliis.* Queritur Poëta de comitibus itineris sive profectionis, quorum perfidia bonis aut rebus quibusdam suis spoliatus fuit. Nam alibi satis clare significat, nihil sibi a Caesare, praeter patriam, ademptum fuisse.

32 *Mitius.* Loca etiam amoena solent exsilium imminuere. || *Sub ambobus polis.* Sub polo arctico et antarctico.

33 *Vltima tellus.* Tellus Pontica, in qua exsulabat.

34 *Tua laurea.* Imperium et victoriae tuae, quarum signum est laurus, reliquis per terras exsulibus Romanis praestant pacem, et tutos faciunt. || *Iacet sub hoste finitimo.* Manet sub hoste vicino. Quasi innuat, ubique terrarum esse pacem a Caesare partam, praeterquam in terra, ubi Poëta exsulabat.

35 *In agrorum cultu.* In Agricultura. || *Verti.* Coli. || *Barbarus hostis.* Getae et ceteri Scythae.

36 *Temperie caeli corpusque animusque.* Oportet locum eligere temperatum, ad salubritatem corporis conservandam, et per consequens etiam mentis. || *Ora Sarmatis.* Ora Sarmatiae, ubi ego sum.

37 *Est non invidiosa.* Est non plena invidiae in aliis locis; quia

38 Omnia deficiunt: animus tamen omnia vincit.
Ille etiam vires corpus habere facit.
39 Sustineas ut onus, nitendum vertice pleno est;
At flecti nervos si patiare, cadet.
40 Spes quoque, posse mora mitescere Principis iram,
Vivere ne nolim deficiamque, cavet.
41 Nec vos parva datis pauci solatia nobis,
Quorum spectata est per mala nostra fides.
42 Coepta tene, quaeso; nec in aequore desere navem:
Meque simul serva, iudiciumque tuum.

omnes pariter eam hauriunt, et sic nemo alteri invidet. || *Palus.* Aqua palustris: vel quae defluit ex Maeotide palude, eaque salsa.

38 *Omnia deficiunt.* Omnia mihi desunt in Pontica regione. || *Animus tamen omnia vincit.* Tamen omnia haec incommoda supero animi fortitudine. || *Habere vires.* Esse fortem in ferendis malis.

39 *Sustineas ut onus.* Vt pondus et causae meae difficultatem tueare. || *Vertice pleno.* Totis viribus ||*Nervos flecti.* Cervicem et caput. Hoc est: vires tuas curvari et infringi ipso pondere nimio, certum est.

40 *Vivere ne nolim.* Vt velim vivere ||*Deficiamque.* Et ne moriar.

41 *Nec vos parva datis.* Acquiescimus etiam, inquit, vestris solatiis, o amici quorum praesidia et fidem in malis meis et rebus dubiis cognovi.

42 *Coepta.* Quae pro metuendo coepisti. || *In aequore.* In periculo. || *Iudiciumque.* Quia iudicasti me dignum venia, aut defensione tua, et tua amicitia: vel, quod Caesar mihi ignosceret.

EPISTOLA VIII.

MAXIMO COTTAE.

ARGVMENTVM. Hanc Epistolam scribit ad Cottam, eique gratias agit quod ad se miserit Augusti Caesaris, Liviae, ac etiam Tiberii imagines: quos, quoniam praesentes, et aliter videre non poterat, pro Diis venerabatur. Rogat deinde eos, ut sibi mitius exsilium concedant; nec patiantur eorum imagines, quas habet semper secum, esse in hostili et inviso loco.

1 Redditus est nobis Caesar cum Caesare nuper,
Quos mihi misisti, Maxime Cotta, Deos. (ret,
2 Vtque tuum munus numerum, quem debet, habe-
Est ibi Caesaribus Livia iuncta suis.
3 Argentum felix, omnique beatius auro,
Quod, fuerat pretium cum rude, numen habet.
4 Non mihi divitias dando maiora dedisses,
Caelitibus missis nostra sub ora tribus.
5 Est aliquid, spectare Deos, et adesse putare;
Et quasi cum vero numine posse loqui.

1 *Est redditus.* Est datus. || *Caesar cum Caesare.* Augustus cum Tiberio. Sunt qui non Tiberii, sed Drusi maioris imaginem missam intelligant. || *Quos Deos.* Quem Augustum et Tiberium

2 *Numerum.* Scilicet trium personarum. || *Quem debet.* Quia cum Augusti signo debet esse etiam Liviae uxoris imago. Vel quia numerus trinarius perfectior est binario: *nam* Numero *Deus* impare *gaudet.*

3 *Omnique beatius auro.* Et felicius omni auro, propter Caesarum imaginem insculptam argento. ||*Pretium rude numen habet.* Quum argentum non signatum, et sine ulla Deorum effigie habebatur a mortalibus pro numine.

4 *Maiora.* Subaudi, *munera.* || *Caelitibus tribus.* Duobus Caesaribus et Livia. || *Nostra sub ora.* Sub nostrum conspecum.

5 *Spectare Deos.* Videre sua numina, id est, Caesares ipsos. || *Et adesse.* Et existimare ipsos esse in Scythia apud me.|| *Cum vero numine.* Cum Augusto, qui est Roma-

6 Praemia quanta, Dei! nec me tenet ultima tellus:
  Vtque prius media sospes in Vrbe moror.
7 Caesareos video vultus, velut ante videbam;
  Vix huius voti spes fuit ulla mihi.
8 Vtque salutabam, numen caeleste saluto.
  Quod reduci tribuas, nil, puto, maius habes.
9 Quid nostris oculis nisi sola Palatia desunt?
  Qui locus, ablato Caesare, vilis erit. (mam.
10 Hunc ego cum spectem, videor mihi cernere Ro-
  Nam patriae faciem sustinet ille suae.
11 Fallor? an irati mihi sunt in imagine vultus;
  Torvaque nescio quid forma minantis habet?
12 Parce, vir immenso maior virtutibus orbe,
  Iustaque vindictae supprime lora tuae.
13 Parce, precor, saecli decus indelebile nostri;
  Terrarum dominum quem sua cura facit.
14 Per patriae nomen, quae te tibi carior ipso est;
  Per nunquam surdos in tua vota Deos;

6 *Vltima tellus.* Scythiae regio. || *Vt prius.* Vt antea. Tantum ex aspectu trium numismatum percepisse se ait voluptatis, ut iam non in exsilio, sed Romae degere se arbitretur.

8 *Vt salutabam.* Vt antequam relegarer, solitus eram de more mane salutare: quod fieri solebat prima et secunda hora. || *Numen caeleste.* Augustum Deum. || *Quod tribuas reduci.* Quod exhibeas mihi a te in urbem revocato. || *Nil maius.* Quam scilicet salutare numen Caesaris, ut prius solebam.

9 *Nisi sola Palatia.* Nisi Romanae sedes. || *Qui locus.* Quae ipsa Palatia. || *Ablato Caesare.* Amoto Augusto, cuius praesentia nobilitat Romana Palatia, et totam urbem.

10 *Hunc.* Hanc Augusti effigiem. || *Faciem suae patriae.* Formam Romanae urbis, patriae Augusti.

11 *An sunt irati mihi.* An iram in me prae se ferunt.

12 *Supprime lora.* Coërce iracundiam tuam, qua videris exardescere ad me acerbius puniendum.

13 *Parce puer.* Ignosce tu, o Tibèri. Per puerum enim Tiberium intelligit. || *Sua cura.* Sua sollicitudo circa res imperii Romani.

14 *Per patriae numen.* Per Martem, vel Romulum, aut Deum tutelarem, cuius nomen ignotum fuit. Iterum autem precatur Augusti imaginem, ut sibi ignoscat.

15 Perque tori sociam, quae par tibi sola reperta (est,
Et cui maiestas non onerosa tua est;
16 Perque tibi similem virtutis imagine natum,
Moribus agnosci qui tuus esse potest;
17 Perque tuos, vel avo, vel dignos patre nepotes,
Qui veniunt magno per tua vota gradu;
18 Parte leva minima, nostras et contrahe poenas;
Daque, procul Scythico qui sit ab hoste, locum.
19 Et tua, si fas est, a Caesare proxime Caesar,
Numina sint precibus non inimica meis.
20 Sic fera quamprimum pavido Germania vultu
Ante triumphantes serva feratur equos.
21 Sic pater in Pylios, Cumaeos mater in annos
Vivant; et possis filius esse diu.
22 Tu quoque, conveniens ingenti nupta marito,
Accipe non dura supplicis aure preces.

15 *Perque tori sociam.* Liviam Augusti uxorem dicit. || *Et cui maiestas.* Et quae maiestatem tuam potest ferre.

16 *Perque tibi similem.* Tiberium dicit.

17 *Perque tuos nepotes.* Et per Tiberii filios, alterum naturalem, alterum adoptivum, ut supra dictum est. || *Vel avo.* Augusto. || *Vel patre.* Tiberio ||*Magno gradu.* Celeriter.||*Per tua vota.* Quemadmodum desideras: hoc est, qui fiunt clari.

18 *Contrahe.* Imminue.

19 *Et tua.* Nunc Tiberii imaginem precatur. || *Si fas est.* Si licet ut mihi faveas, quamvis me Augustus damnavit. || *Proxime a Caesare.* Valde vicine, o Tibêri, Caesari Augusto, et ei omnium proxime, ut sunt filii patribus.

20 *Pavido vultu.* Timido vultu, de more captivorum. || *Ante equo triumphantes.* Ante equos Tiberii, de Germania devicta triumphum agentis

21 *In annos Pylios.* In annos Nestoris, qui a poëtis dicitur trecentum annos vixisse. Per *patrem* autem, Augustum intellige: per *matrem* vero Liviam. || *In annos Cumaeos.* In annos longissimos, quemadmodum dicunt Sibyllam Cumanam vixisse. || *Et possis filius esse diu.* Et diu tu cum parentibus vivas

22 *Tu quoque conveniens nupta.* Tu quoque Livia digna uxor. Ad Liviae enim imaginem missam convertit sermonem Poëta, posteaquam Augustum et Tiberium precatus est. || *Non dura.* Sed placida me audi aure. || *Preces supplicis.* Preces supplicantis Ovidii.

23 Sic tibi vir sospes, sic sint cum prole nepotes,
Cumque bonis nuribus quas peperere nurus.
24 Sic, quem dira tibi rapuit Germania, Drusus
Pars fuerit partus sola caduca tui.
25 Sic tibi fraterni mature funeris ultor
Purpureus niveis filius instet equis.
26 Annuite o timidis, mitissima numina, votis.
Praesentes aliquid prosit habere Deos.
27 Caesaris adventu tota gladiator arena
Exit; et auxilium non leve vultus habet. (mus:
28 Nos quoque, vestra, iuvet, quod, qua licet, ora vide-
Intrata est Superis quod domus una tribus.
29 Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos,
Quique Deûm coram corpora vera vident.

23 *Vir.* Maritus Augustus. || *Cum prole nepotes.* Per *prolem*, Tiberium intelligit : per *nepotes* vero, filios Tiberii. || *Cumque bonis nuribus.* Et cum ipsis filiorum Drusi et Tiberii uxoribus. Et subauditur, sint *sospites.*

24 *Sic quem dira.* De Druso fratre Tiberii, Liviae filio, et Augusti privigno, qui in Germania periit, abunde diximus supra. || *Pars fuerit partus.* Nullus tuorum librorum moriatur amplius.

25 *Ultor fraterni funeris.* Vltor mortis fratris Drusi. || *Purpureus filius.* Tiberius Liviae filius, paludamento imperatorio et purpureo indutus. || *Equis niveis.* Equis candidis, victoriam portendentibus. Vel, equis triumphalibus. || *Instet.* Immineat hostibus, et eis adversetur.

26 *Annuite.* Favete. || *Timidis votis.* Precibus meis, quae videntur timorem prae se ferre. || *Deos praesentes* Augusti, Tiberii, et Liviae imagines missas Roma.

27 *Caesaris adventu.* Caesare in arenam veniente. Nam Gladiatores, qui servi erant, victi, confugiebant ad pedes Caesaris, et incolumes dimittebantur. Et si confugientes ad statuam, liberi erant, multo magis confugientes ad ipsum imperatorem. || *Exit arena.* Egreditur de Circo, arena strato. || *Vultus* Hoc est: Caesaris praesentia habet non modicum, sed magnum auxilium, quia ille liberatur.

28 *Nos quoque vestra iuvet.* Quemadmodum gladiatori profuit vidisse in arena Caesarem, ita, etc || *Vestra ora.* Vestras imagines. || *Qua licet.* Ea qua possum ratione: quia non possum Romae esse, et vera imperatoris ora videre, et suorum. || *Domus una.* Vna mea cella, et parva domus. || *Tribus superis.* Tribus diis; Augusto, Liviae, et Tiberio.

29 *Deûm.* Imperatorum.

30 Quod quoniam nobis invidit inutile fatum ;
Quos dedit ars votis, effigiemque colo.
31 Sic homines novere Deos, quos arduus aether
Occulit : et colitur pro Iove forma Iovis.
32 Denique, quae mecum est, et erit sine fine, cavete,
Ne sit in inviso vestra figura loco.
33 Nam caput e nostra citius cervice recedet,
Et patiar fossis lumen abire genis :
34 Quam caream raptis, o publica numina, vobis.
Vos eritis nostrae portus et ara fugae.
35 Vos ego complectar, Geticis si cingar ab armis :
Vosque meas aquilas, vos mea signa sequar.
36 Aut ego me fallo, nimiaque cupidine ludor :
Aut spes exsilii commodioris adest.
37 Nam minus et minus est facies in imagine tristis;
Visaque sunt dictis annuere ora meis.
38 Vera precor fiant timidae praesagia mentis :
Iustaque quamvis est, sit minor ira Dei.

30 *Inutile fatum.* Infortunium mihi damnosum. || *Quos dedit ars vultus.* Vultus imperatorum , quos ars potuit effingere.

31 *Sic homines novere Deos.* Hoc pacto , scilicet per imagines et simulacra , Deos immortales cognoscimus : nam propriam eorum formam nulli licet videre || *Quos arduus aether Occulit.* Qui a nobis aethere separantur.

32 *Quae mecum est.* Quae est in Scythia.|| *In inviso loco.* In terra hostili. || *Vestra figura.* Vestrum simulacrum.

33 *E nostra cervice.* E nostro corpore. || *Lumen.* Oculos || *Et patiar fossis.* Patiar mihi oculos erui, quibus homini nihil carius. || *Genae.* Membranae , quibus oculi aperiuntur et clauduntur.

34 *Vobis raptis.* Vobis mihi ereptis a Scythis Intelligit autem Augustum , Liviam, et Tiberium, tanquam publica numina: nam Augusto etiam viventi honores divini constituti fuere.|| *Portus et aura.* Salus et favor.

35 *Vt meas aquilas.* Tanquam mea vexilla Romana, quae aquilas pictas habebant. || *Vestra signa.* Vestras imagines.

36 *Nimia cupidine.* Quia nimium cupio mitius exsilium.

37 *In imagine.* In signo Augusti.|| *Visaque sunt dictis.* Imagines istae visae sunt mihi assentire, ut velint concedere locum exsilii magis commodum.

38 *Praesagia.* Vaticinia. || *Ti-*

EPISTOLA IX.

COTYI REGI.

ARGVMENTVM. Ad Cotyum filium Coty Regis Thraciae hanc epistolam scribit laudatque illum a generis origine, monetque, regium ac divinum esse miseris succurrere, et sibi potissimum, ob studia poeticae facultatis, siquidem illa quasi quoddam amicitiae vinculum habent. Postremo eum rogat, ut oranti terra sua bellicosa, in qua exulabat, sit ei fida et amica.

1 Regia progenies, cui nobilitatis origo
Nomen in Eumolpi pervenit usque, Coty:
2 Fama loquax vestras si iam pervenit ad aures,
Me tibi finitimi parte iacere soli;
3 Supplicis exaudi, iuvenum mitissime, vocem:
Quamque potes profugo, nam potes, affer opem.
4 Me Fortuna tibi, de qua ne conquerar, hoc est,
Tradidit; hoc uno non inimica mihi.
5 Excipe naufragium non duro littore nostrum,
Ne fuerit terra tutior unda tua.
6 Regia, crede mihi, res est, succurrere lapsis:
Convenit et tanto, quantus es ipse, viro.

midae mentis. Animi mei, qui semper formidat adversa. || *Iustaque quamvis.* Et quamvis iuste mecum iratus sit Augustus, tamen precor ut mecum mitius agat.

1 *Regia progenies.* Filii regis.|| *Coty.* Hunc Cotyum filium regis Thraciae et Getarum fuisse libet suspicari, quem Tranquillus *Cotysonem* appellat.|| *Pervenit usque.* Descendit usque ab Eumolpo. Eumolpus enim Neptuni et Chiones Boreae et Orithyae filiae filius fuit, et ex Thracia in Atticam venit. Eum sane Homerus carmine suo *fortem* appellat.

2 *De qua queror.* Quasi dicat: De fortunae malis omnibus queror, hoc uno excepto, quod ea me tibi vicinum esse voluit || *Tradidit me tibi.* Me tibi vicinum exhibuit.||*Hoc uno non inimica mihi.* In hoc mihi non infensa: nam in reliquis mihi fuit inimica.

5 *Excipe naufragium nostrum.* Accipe meum infortunium, et me

7 Fortunam decet hoc istam: quae maxima cum sit,
Esse potest animo vix tamen aequa tuo.
8 Conspicitur nunquam meliore potentia caussa,
Quam quoties vanas non sinit esse preces.
9 Hoc nitor ille tui generis desiderat; hoc est
A Superis ortae nobilitatis opus.
10 Hoc tibi et Eumolpus, generis clarissimus auctor,
Et prior Eumolpo suadet Erichthonius.
11 Hoc tecum commune Deo : quod uterque rogati
Supplicibus vestris ferre soletis opem.
12 Nam quid erit, quare solito dignemur honore
Numina, si demas velle iuvare Deos?

relegatum in tuo solo. || *Non duro littore.* Non aspero, sed benigno, placido, et propitio solo. Quasi dicat: Ego relegatus tanquam naufragus, supplex ad littus tuum confugio, precorque ut me benigne excipias || *Nec fuerit terra tutior unda.* Nec tutior fuisse videar in mari, quam terra tua.

7 *Fortunam decet hoc istam.* Hoc etiam, scilicet miseris succurrere, convenit tuae fortunae. || *Quae maxima cum sit.* Quum habeas, inquit, magnum imperium: maiori tamen dignus esses || *Vix tamen.* Tamen vix potest esse aequalis, et tanta, quantam animi tui magnitudo exposceret.

8 *Potentia.* Fortuna felix alicuius. || *Meliore caussa.* Probabiliori materia.

9 *Desiderat hoc.* Requirit ut meas preces exaudias.||*Nitor.* Splendor familiae tuae. || *A superis.* Nobilitatis a Diis originem ducentis. Hoc autem dicit propter Eumolpum filium Neptuni et Chiones filiae Boreae, generis sui auctorem.

10 *Et Eumolpus.* Et Chiones filius. || *Prior Eumolpo.* Maior natu ipso Eumolpo. || *Erichthonius.* Erichthonius, seu Erechtheus, rex fuit Athenarum, quem Minerva e rure, ubi natus erat, suscepit, educavitque, et Atheniensi populo pro rege tradidit, ideoque illi annua solemnia Athenienses agebant taurorum agnorumque sacrificiis.

11 *Hoc.* Hoc est, tibi cum Diis commune, quod preces exaudias, quemadmodum et illi || *Supplicibus vestris* Hominibus vos suppliciter precantibus.

12 *Num quid erit.* An caussa erit.||*Quare solito.* Quare Diis sacrificia exhibeamus, eosque colamus. || *Si demas.* Si adimas, si removeas. || *Deos velle iuvare.* Deos velle hominibus et miseris opem ferre : qua re adempta, nemo illos colet.

13 Iupiter oranti surdas si praebeat aures;
Victima pro templo cur cadat icta Iovis?
14 Si pacem nullam pontus mihi praestet eunti,
Irrita Neptuno cur ego tura feram?
15 Vana laborantis si fallat vota coloni,
Accipiat gravidae cur suis exta Ceres?
16 Nec dabit intonso iugulum caper hostia Baccho,
Musta sub adducto si pede nulla fluant.
17 Caesar ut imperii moderetur frena precamur,
Tam bene quo patriae consulit ille suae.
18 Vtilitas igitur magnos hominesque Deosque
Efficit; auxiliis quoque favente suis.
19 Tu quoque fac prosis intra tua castra iacenti,
O Coty, progenies digna parente tuo.
20 Conveniens homini est, hominem servare, voluptas,
Et melius nulla quaeritur arte favor.

13 *Surdas aures.* Aures inexorabiles.|| *Victima icta.* Victima caesa. || *Pro templo* In templo.

14 *Nullam pacem.* Nullam tranquillitatem. || *Mihi eunti.* Mihi naviganti. || *Irrita tura.* Tura nihil proficientia.

15 *Fiant vana.* Non exaudiantur a Diis, ut sibi multas fruges concedant. || *Accipiet exta.* Cur, inquit, sacrificabitur Cereri porca, si preces agricolarum incassum funduntur. || *Suis gravidae.* Porcae praegnantis. Mactabatur autem porcus Cereri quia hoc animal frugibus nocet. Solebant enim victimae pro qualitate numinum immolari: et vel caedebantur, quae obsunt eorum muneribus; ut caper Libero, quia vitibus nocet: et in omnibus sacris foeminini generis victimae potiores sunt.

16 *Intonso Baccho.* Baccho crinito: cui caper mactatur ob causam supra dictam. || *Caper hostia.* Appositio figura est. || *Sub pede inducto.* Sub pede imposito uvae. Bacchus enim vindemiae dicitur praeesse.

17 *Quo.* H. e. quo imperio; quia tam bene imperium gerit, et publicam rem saluberrime administrat.

18 *Auxiliis quoque favente suis.* Vnoquoque utilitatem suam amante.

19 *Intra tua castra iacenti.* Mihi in terra Tomitana, tuo imperio subiecta, relegato.

20 *Conveniens voluptas.* Voluptas quae homini convenit. || *Et melius nulla.* Et favor nullo alio modo melius quaeritur, quam quum homo hominem servat.

21 Quis non Antiphaten Laestrygona devovet? aut quis
Munifici mores improbat Alcinoi?
22 Non tibi Cassandreus pater est, gentisve Pheraeae;
Quive repertorem torruit arte sua:
23 Sed quam Marte ferox, et vinci nescius armis,
Tam nunquam, facta pace, cruoris amans.
24 Adde, quod ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.
25 Nec regum quisquam magis est instructus ab illis,
Mitibus aut studiis tempora plura dedit.
26 Carmina testantur; quae, si tua nomina demas,
Threïcium iuvenem composuisse negem.

21 *Quis non Antiphaten Laestrygona.* Laestrygones populi fuere in extremo Italiae Siciliam versus, efferis moribus, habitantes prius urbem Formiarum inter Terracinam et Sinuessam. Eorum rex fuit Antiphates. Homerus docet Antiphatem unum ex Vlyssis sociis devorasse. || *Aut quis improbat.* Aut quis vituperat? Quasi dicat: nemo; imo omnes laudant. || *Munifici Alcinoi.* Liberalis Alcinoi. Fuit enim Alcinous rex Phaeacum iustissimus, Nausithoi filius, apud quem Vlysses naufragus divertit: ubi regio convivio honorifice susceptus, errores suos exponebat.

22 *Cassandreus.* Apollodorus, ab urbe Macedoniae, Cassandrea, cuius tyrannus crudelis erat || *Gentisve Pheraeae.* H. e. tam crudelis, quam fuit Alexander Pheraecum Phaeraearum in Thessalia tyrannus. || *Quive repertorem.* Phalaris, qui Perillum repertorem aenei bovis, quo homines inclusi torrentur, ipsum sua arte excrucivit, eidemque bovi inclusum torruit.

23 *Sed quam Marte ferox.* Sed quantum in praelio ferox et nescius vinci, tantum superatis hostibus et confecta pace, minime es avidus caedis et cruoris. Quibus verbis colligit illum mitem esse, et minime crudelem.

24 *Ingenuas artes.* Liberales disciplinas.|| *Emollit mores.* Mores tuos placidos reddit et mansuetos.

25 *Magis est instructus ab illis.* Magis est in illis eruditus || *Mitibus studiis.* Mansuetioribus disciplinis. || *Dedit plura tempora.* Plus temporis consumpsit.

26 *Carmina testantur.* Versus tui sunt testes, te multum temporis consumpsisse in artibus ingenuis et studiis poëticis.|| *Si tua nomina demas.* Si te auctorem eorum non feceris.|| *Threïcium iuvenem.* Negem a Thrace, hoc est, barbaro, composita, si nomen tuum absit: sed a Romano quopiam, eoque optimo vate condita iudicem.

27 Neve sub hoc tractu vates foret unicus Orpheus;
Bistonis ingenio terra superba tua est.
28 Vtque tibi est animus, cum res ita postulat, arma
Sumere, et hostili tingere caede manum;
29 Atqui, ut es, excusso iaculum torquere lacerto,
Collaque velocis flectere doctus equi;
30 Tempora sic data sunt studiis ubi iusta paternis,
Vtque suis humeris forte quievit opus;
31 Ne tua marcescant per inertes otia somnos,
Lucida Pieria tendis in astra via.
32 Haec quoque res aliquid tecum mihi foederis affert:
Eiusdem sacri cultor uterque sumus.
33 Ad vatem vates orantia brachia tendo,
Terra sit exsiliis ut tua fida meis.
34 Non ego caede nocens in Pontica littora veni;
Mistave sunt nostra dira venena manu:

27 *Sub hoc tractu.* Sub hac Thraciae regione. || *Foret unicus vates.* Foret solus poëta. Orpheus enim Thrax fuit, poëtaque et theologus excellentissimus. || *Bistonis terra.* Terra Thraciae, sic dicta a Thraciae stagno Bistonio Abderae urbi vicino. || *Est superba.* Est nobilis.

28 *Vtque tibi est animus.* Quam sit animosus in pugna, tam esse ferventem in studio poëtico, et in otio fugere otium.

29 *Colla flectere.* Colla in gyrum torquere.

30 *Tempora sic studiis.* Quando, inquit, patris tui studiis et bellicae exercitationi operam dedisti, et humeris tuis sustentasti molem et negotia regni paterni; ne per somnum aut ignaviam corpus marcescat, poëtica facultate tibi immortalitatem comparas.

31 *Tua otia.* Tua a labore vacatio, et a regni negotiis. || *Marcescant.* Veterno putrescant. || *In astra lucida.* In caelum, ubi sunt sidera lucentia. || *Pieria via.* Musarum, hoc est, studiis poëtices.

32 *Haec res.* Haec facultas poëtica. || *Aliquid foederis.* Aliquod amoris vinculum. Solent enim studia communia homines maxime conciliare. || *Eiusdem sacri.* Eiusdem studii. Poëtae enim Apollinis sacerdotes esse dicuntur.

33 *Ad vatem.* Ad te poëtam. || *Vt tua terra.* Vt Tomitana urbs relegationis meae sedes.

34 *Caede nocens.* Aliquo interfecto. || *Sunt mista. Non*, subaudiendum est: hoc est, nemini etiam adhuc venenum potandum ego propinavi.

35 Nec mea subiecta convicta est gemma tabella
Mendacem linis imposuisse notam.
36 Nec quidquam, quod lege veter committere, feci:
Et tamen his gravior noxa fatenda mihi est.
37 Neve, roges quid sit; stultam conscripsimus Ar-
Innocuas nobis haec vetat esse manus. (tem.
38 Ecquid praeterea peccarim, quaerere noli:
Vt pateat sola culpa sub Arte mea.
39 Quidquid id est, habui moderatam vindicis iram:
Qui nisi natalem nil mihi demsit humum.
40 Hac quoniam careo; tua nunc vicinia praestet,
Inviso possim tutus ut esse loco.

35 *Convicta est.* Est in iudicio superata. || *Gemma mea.* Meus annulus et sigillum, tanquam falso signaverim testamenta. || *Subiecta tabella.* Supposita testamentaria tabella. || *Mendacem notam.* Falsum sigillum. Hi autem a Romanis deprehensi, et convicti, mittebantur in exilium.

36 *Quod veter lege.* Quod legibus facere prohibear. || *Gravior noxa.* Maius peccatum: quia laesi non privatam personam, sed publicam, hoc est, Augustum.

37 *Quae sit.* Quod crimen et noxam admiserim. || *Stultam artem.* Praecepta artis amatoria a me stulte composita ||*Manus innocuas.* Ea enim ars amatoria me nocentem facit, et dignum hac poena.

38 *Pateat sub sola arte.* Solummodo dicatur fuisse caussa relegationis meae.

39 *Quidquid id est.* Qualecunque est id, cuius caussa relegatus sum. || *Moderatam.* Modestam: quia non tali supplicio affectus sum, quale merebar. || *Nil.* Nihil aliud. Intelligit autem fortunas. || *Nisi natalem humum.* Nisi solum Romanum, ubi educatus sum, mittendo me in exilium.

40 *Tua vicinia.* Tui populi vicini Tomitanae urbi.|| *Inviso loco.* Loco mihi odioso propter exilium, aut loci incommoda.

EPISTOLA X.

MACRO.

ARGVMENTVM. Ad Macrum poëtam scribens multis indiciis ostendit, debere eum esse memorem sui et pristinae amicitiae: cuius fructus et amoris signa si illi in mentem venerint, dicit se absentem futurum illi tanquam praesentem semper ante oculos: quod ut ipse quoque efficiat, impense precatur Poëta.

1 Ecquid ab impressae cognoscis imagine gemmae
Haec tibi Nasonem scribere verba, Macer?
2 Auctorisque sui si non est annulus index,
Cognitane est nostra litera facta manu?
3 An tibi notitiam mora temporis eripit horum?
Nec repetunt oculi signa vetusta tui?
4 Sis licet oblitus pariter gemmaeque manusque,
Exciderit tantum ne tibi cura mei;
5 Quam tu vel longi debes convictibus aevi,
Vel mea quod coniux non aliena tibi;

1 *Ecquid cognoscis.* Nunquid cognoscis? || *Ab imagine impressae cerae.* A signo insculpto, et impresso literis.

2 *Auctoris sui.* Ovidii haec scribentis. || *Si annulus.* Si gemma in annulo inclusa. || *Cognita est.* An est tibi manifesta, utpote a te cognita?

3 *Notitiam horum* Cognitionem annuli mei et sigilli, et manum meam || *Mora temporis.* Temporis diuturnitas, quae oblivionem rerum inducit. || *Nec repetunt.* Nec memoriam reducunt. || *Signa vetusta.* Antiquam imaginem annuli mei.

4 *Sis licet oblitus.* Concedatur quod te ceperit oblivio. || *Gemmae.* Sigilli mei. || *Exciderit tantum.* Liceat te esse oblitum gemmae, et manus meae, dum tamen ne obliviscaris mei.

5 *Quam debes.* Cuius curae mei es debitor. || *Convictibus.* Simul vivendo. || *Non aliena.* Vel sanguine coniuncta, vel amica.

6 Vel studiis, quibus es, quam nos, sapientius usus;
Vtque decet, nulla factus es Arte nocens.
7 Tu canis aeterno quidquid restabat Homero,
Ne careant summa Troica bella manu.
8 Naso parum prudens, Artem dum tradit amandi,
Doctrinae pretium triste magister habet.
9 Sunt tamen inter se communia sacra poëtis ;
Diversum quamvis quisque sequamur iter.
10 Quorum te memorem, quamquam procul absumus,
Suspicor ; et casus velle levare meos. (esse
11 Te duce, magnificas Asiae perspeximus urbes :
Trinacris est oculis, te duce, nota meis.
12 Vidimus Aetnaea caelum splendescere flamma ;
Suppositus monti quam vomit ore gigas ;
13 Hennaeosque lacus, et olentia stagna Palici,
Quaque suis Cyanen miscet Anapus aquis.

6 *Vel studiis.* Subaudi, vel quam curam mei debes communibus studiis : nam studia homines invicem conciliare solent ac debent. || *Nulla Arte.* Nullis praeceptis amatoriis.

7 *Quidquid restabat.* Quidquid post ea, quae ipse composuit, permanebat. Homerus enim bellum Troianum descripsit usque ad mortem Hectoris: Troiam captam non describit, etc. Reliqua vero Macer scribenda assumpserat. || *Summa manu.* Postrema fine.

8 *Habet triste pretium doctrinae.* Habet exsilium ob doctrinam et praecepta amatoria ab ipso composita.

9 *Diversum iter.* Quia Macer heroico carmine, Ovidius elego florebat.

10 *Quorum* Subaudi, sacrorum. || *Esse memorem.* Quia Macer viderat Ovidii poëmata, et illum eiusdem studii, et sacrorum cultorem amabat, antequam in exsilium proficisceretur. || *Et casus velle levare meos.* Et velle mihi opem ferre propter communia studia.

11 *Te duce.* Cum Macro enim in Asiam navigavit Poëta, et in Siciliam. || *Trinacris.* Sicilia: sic dicta a triangula specie.

12 *Flamma Aetnaea.* Igne erumpente ex Aetna Siciliae monte. || *Caelum splendescere.* Aëra nimia flamma ardere. || *Suppositus monti.* Fingunt poëtae a Iove fulminatum Typhoeum ; ut cecinit in libro V. *Metamorph.*

13 *Hennaeosque lacus. Hennaus* seu *Ennaeus* deducuntur ab *En-*

14 Nec procul hinc Nymphen, quae, dum fugit Elidis
Tecta sub aequorea nunc quoque currit aqua. (amnem,
15 Hic mihi labentis pars anni magna peracta est.
Eheu quam dispar est locus ille Getis!
16 Et quota pars haec sunt rerum, quas vidimus ambo,
Te mihi iucundas efficiente vias!
17 Seu rate caeruleas picta sulcavimus undas:
Esseda nos agili sive tulere rota.
18 Saepe brevis nobis vicibus via visa loquendi;
Pluraque, si numeres, verba fuere gradu.
19 Saepe dies sermone minor fuit; inque loquendum
Tarda per aestivos defuit hora dies.

na, quae est urbs et umbilicus Siciliae: prope quam visitur lacus Ennaeus ab ea dictus hoc loco. || *Et olentia stagna Palici*. Per diversa verba lacus Aenneos designat. *Palici* autem fuerunt duo fratres, Iovis et Thaliae nymphae filii. *Olentem* autem appellat Palici lacum Poëta, propter aquam sulphuream. || *Quaque suis Cyanen*. Per omnia subanditur, *Vidimus*. Cyane autem nympha fuit Sicula, socia Proserpinae, quae ob raptam a Plutone Proserpinam adeo flevit, ut in fontem sui nominis mutata fuerit.

14 *Nec procul hinc Nymphen* Arethusam dicit Arethusa autem virgo fuit venatrix, comes Dianae, quae cum aestu fatigata, se in Alpheo flumine lavaret, dum deus illa amata potiri cupit, aufugit. Ille vero dum pertinacius insequitur, Arethusa implorato Dianae subsidio in fontem sui nominis conversa est. Cuius undis quum Alpheus commiscere se vellet, illa vero per subterraneos meatus diffugeret, usque in Siciliam prosecutus est, ubi rursus erumpit. *Nymphen* autem nominativi casus.

15 *Hic*. In hac Sicilia. || *Est dispar*. Est inaequalis et longe differens. Quasi dicat, multo melior.

16 *Et quota pars*. Et rara, vel minima pars || *Haec*. Ista quae paulo ante dixi.

17 *Esseda nos agili*. Essedum, est vehiculum Gallicum. Hinc dicti *essedarii*, qui esseda agunt.

18 *Vicibus loquendi*. Alternatim sermonem habendo, fecit ut iter nobis breve videretur. || *Fuere plura gradu*. Fuere numerosiora ipsis gressibus et gradibus nostris.

19 *Saepe dies sermone minor fuit*. Dies saepe visus fuit brevior sermone. || *Dies tarda*. Dies ipsa quae aestate est tardior et longior.

20 Est aliquid, casus pariter timuisse marinos ;
Innctaque ad aeqqereos vota tulisse Deos :
21 Et modo res egisse simul ; modo rursus ab illis,
Quorum non pudeat, posse referre iocos.
22 Haee tibi si subeant, absim licet, omnibus horis
Ante tuos oculos, ut modo visus, ero.
23 Ipse quidem extremi cum sim sub cardine mundi,
Qui semper liquidis altior exstat aquis ;
24 Te tamen intueor, quo solo pectore possum :
Et tecum gelido saepe sub axe loquor.
25 Hic es, et ignoras : et ades celeberrimus absens :
Inque Getas media visus ab Vrbe venis.
26 Redde vicem : et, quoniam regio felicior ista est,
Illic me memori pectore semper habe.

20 *Est aliquid.* Habet aliquam vim ad amorem. || *Casus marinos.* Simul fuisse in aliquo mortis periculo, ut nos, qui inter navigandum in Asiam pene naufragium fecimus || *Iuncta vota.* Vota simul facta in ea tempestate.

21 *Et modo res egisse simul.* Et modo, subaudi, est aliquid, negotium aliquod una administrasse, et serias res inter nos tractasse. || *Modo rursus ab illis.* Interdum iterum post res illas, et negotia simul administrata.

22 *Haec tibi si subeant.* Haec supradicta simul acta si tibi in mentem veniant. || *Absim licet.* Quamvis sim in Scythia. || *Vt modo visus ero.* Ita memineris mei, quasi paulo ante abs te discesserim.

23 *Sub cardine mundi.* Sub polo Arctico. Duo enim sunt poli, qui sunt mundi cardines, *polus* scilicet *articus*, et *antarcticus.*|| *Qui altior extat aquis.* Mundus enim erigitur in septentrionalem plagam, et vergit in australem.

24 *Sub axe gelido.* Sub septentrionali plaga frigida.

25 *Hic es.* Es in Scythia.|| *In Getas.* In populos Scythiae.

26 *Redde vicem.* Esto tu quoque mei memor, quemadmodum ego sum tui. || *Ista regio.* Regio Italiae ubi tu es||*Est felicior.* Facit homines magis felices, aut habet maiorem felicitatem, quam Scythia.

EPISTOLA XI.

RVFO.

ARGVMENTVM. Ad Rufum Fundanum, uxoris suae avunculum, hanc epistolam scribit Poëta, cuius merita dicit se habere in memoria, quamvis sit longissimo intervallo remotus. Demum Deos precatur, ut illi meritas gratias referant.

1 Hoc tibi, Rufe, brevi properatum tempore mittit
Naso, parum faustae conditor Artis, opus:
2 Vt, quamquam longe toto sumus orbe remoti,
Scire tamen possis nos meminisse tui.
3 Nominis ante mei venient oblivia nobis,
Pectore quam pietas sit tua pulsa meo.
4 Et prius hanc animam vacuas reddemus in auras,
Quam fiat meriti gratia vana tui.
5 Grande voco lacrimas meritum, quibus ora rigabas,
Cum mea concreto sicca dolore forent.
6 Grande voco meritum, moestae solatia mentis;
Cum pariter nobis illa tibique dares.

1 *Hoc opus.* Hanc epistolam. Vel fortasse hunc secundum librum: quod magis etiam placet. || *Properatum.* Brevi a me compositum. || *Artis parum faustae.* Artis amatoriae parum felicis: quia eius causa relegatus sum.

2 *Toto orbe.* Alter ab altero seiunctus longissimis terrarum tractibus.

3 *Tua pietas.* Tuus amor arctissimus.

4 *Et prius hanc animam.* Prius, inquit, moriar. || *Fiat vana.* Fiat inanis et mandetur oblivioni.

5 *Cum mea.* Subaudi *ora.* || *Forent sicca.* Carerent lacrymis, nimio dolore tanquam frigore quodam congelatis, et torpentibus.

6 *Moestae solatia mentis.* Consolationes tuas adhibitas conturbatae et consternatae menti meae propter relegationem. || *Nobis.* Mihi quem consolabaris. || *Tibique.* Quia tibi ipsi consolationem etiam adhibebas.

7 Sponte quidem, per seque mea est laudabilis uxor;
Admonitu melior fit tamen illa tuo.
8 Namque quod Hermiones Castor fuit, Hector Iüli,
Hoc ego te laetor coniugis esse meae.
9 Quae, ne dissimilis tibi sit probitate, laborat;
Seque tui vita sanguinis esse probat.
10 Ergo, quod fuerat stimulis factura sine ullis,
Plenius auctorem te quoque nacta facit.
11 Acer, et ad palmae per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.
12 Adde, quod absentis cura mandata fideli
Perficis, et nullum ferre gravaris onus.
13 O referant grates, quoniam non possumus ipsi,
Dì tibi: qui referent, si pia facta vident.
14 Sufficiatque diu corpus quoque moribus istis,
Maxima Fundani gloria, Rufe, soli.

7 *Admonitu tuo.* Tuo consilio. || *Fit melior.* Redditur magis pudica hoc tempore quo ab urbe absumus.

8 *Hermione Castor fuit.* Hermione filia fuit Helenae sororis Castoris. Castor ergo avunculus fuit Hermiones. || *Hector Iulo.* Hector frater fuit Creusae, uxoris Aeneae, avunculus Ascanii: qui etiam *Iulus* appellatus fuit. || *Hoc.* Avunculum scilicet.

9 *Quae ne dissimilis tibi sit.* Quae mea uxor, ut mores tuos imitetur. || *Esse tui sanguinis.* Esse tui generis. || *Vita.* Vitae honestate et recte vivendo, ut tu facis.

10 *Sine ullis stimulis.* Sine tuo aut cuiusquam suasu et hortamine. || *Plenius.* Uberius || *Nacta te auctorem.* Assecuta te magistrum. || *Facit.* Agit, scilicet illud quod fuerat factura sine ullis stimulis.

11 *Ad honores palmae.* Ad victoriam curulem.

12 *Adde.* Adiunge, scilicet, supradictis commodis. || *Mandata absentis.* Quae a me absente tibi mandantur. || *Nullum onus.* Nullum laborem et magnitudinem rerum mearum.

13 *Si pia facta vident.* Si vident quae a te pie pro me geruntur.

14 *Sufficiat diu.* Diu duret et subministret. || *Istis moribus.* Talibus tuis moribus. || *Soli Fundani.* Fundi oppidum fuit Campaniae, patria huius Rufi, ad quem scribit Ovidius.

P. OVIDII NASONIS
EPISTOLARVM EX PONTO
LIBER TERTIVS.

EPISTOLA I.

VXORI.

ARGVMENTVM. Hanc huius libri primam epistolam ad uxorem mittit, cui Ponticae regionis, ubi exulabat, incommoda narrat, quibus dicit debere illi minime mirum videri, si mitioris soli exilium petat; qua in re ipsa pro marito debeat prae ceteris laborare, si vult bonae uxoris officio fungi. Docet deinde, id sibi praestari posse, si ad Liviae Augusti uxoris praesidium confugerit; cuius clementiam ac benignitatem exponit; ad quam rem peragendam eligendum esse tempus idonem admonet. Quo pacto aùtem id agendum, quidve petendum sit, elegantissime colligit Poëta.

1 Aequor, Iäsonio pulsatum remige primum,
Quaeque nec hoste fero, nec nive, terra, cares,
2 Ecquod erit tempus, quo vos ego Naso relinquam,
In minus hostilem iussus abire locum?
3 An mihi Barbaria vivendum semper in ista?
Inque Tomitana condar oportet humo?
4 Pace tua, si pax ulla est tibi, Pontica tellus,
Finitimus rapido quam terit hostis equo;

1 *Iäsonio remige.* Nautis Iasonis, qui per mare Ponticum primum navigavit, cum Argo navi profectus est ad rapiendum aureum vellus. || *Hoste fero.* Scythis. || *Nive.* Frigoribus. || *Terra.* Scythia.
3 *Condar.* Sepeliar.
4 *Rapido equo.* Veloci equo.

5 Pace tua dixisse velim; tu pessima duro
Pars es in exsilio, tu mala nostra gravas.
6 Tu neque Ver sentis cinctum florente corona:
Tu neque messorum corpora nuda vides.
7 Nec tibi pampineas Autumnus porrigit uvas:
Cuncta sed immodicum tempora frigus habent.
8 Tu glacie freta vincta tenes: et in aequore piscis
Inclusus tecta saepe natavit aqua.
9 Nec tibi sunt fontes, laticis nisi paene marini:
Qui potus dubium sistat, alatne, sitim.
10 Rara, neque haec felix, in apertis eminet arvis
Arbor; et in terra est altera forma maris.
11 Non avis obloquitur: silvis nisi si qua remotis
Aequoreas rauco gutture potat aquas.

5 *Pace tua.* Bona venia tua. || *Tu pessima duro.* Tu malorum in exsilio tolerandorum maximum es, et gravissimum. || *Gravas.* Gravia facis et intolerabilia.

6 *Tu neque Ver sentis.* Tu neque vernalem temperiem agnoscis: quia illic sunt perpetua frigora et nives. || *Corpora messorum.* Corpora metentium frumenta. Ex quo aestatem significat.

7 *Pampineas uvas.* Vvas cum suis pampinis. || *Cuncta tempora.* Omnes anni partes. || *Immodicum frigus.* Quia regio Pontica sub ipso septentrione sita est, nimio frigori obnoxia.

8 *Freta vincta glacie.* Mare Ponticum gelu astrictum. || *Tecta aqua.* Aqua superius gelata, et ideo tecta.

9 *Nisi pene marini.* Nisi aquae salsae, ac fere talis qualis est aqua maris, a qua parum differt. || *Sistat.* Reprimat. || *Alatne sitim.* An sitim magis inducat, propter aquarum salsedinem.

10 *Felix.* Foecunda, et ferens fructus. || *Altera forma maris.* H. e. Ita sterilis et vacua ipsa terra est, ut formam ac speciem maris intuentibus praebeat, in quo neque arbores, neque fruges ullae nascuntur.

11 *Non avis obloquitur.* Nullius avis cantus auditur. || *Aequoreas rauco gutture potet aquas.* Nisi si aliqua avis in aquis marinis degat: ut sunt mergi, gaviae, et aliae id generis. || *Remotis silvis.* Quia in littore, non in sylvis, versari solitae sunt.

12 Tristia per vacuos horrent absinthia campos,
Conveniensque suo messis amara loco.
13 Adde metus, et quod murus pulsatur ab hoste:
Tinctaque mortifera tabe sagitta madet;
14 Quod procul haec regio est, et ab omni devia cursu
Nec pede quo quisquam, nec rate, tutus eat.
15 Non igitur mirum, finem quaerentibus horum
Altera si nobis usque rogatur humus.
16 Te magis est mirum non hoc evincere, coniux;
Inque meis lacrimas posse tenere malis.
17 Quid facias, quaeris? quaeras hoc scilicet ipsum
Invenies, vere si reperire voles.
18 Velle parum est: cupias, ut re potiaris, oportet;
Et faciat somnos haec tibi cura breves. (us,
19 Velle reor multos. Quis enim mihi tam sit iniqu-
Optet ut exsilium pace carere meum?
20 Pectore te toto, cunctisque incumbere nervis,
Et niti pro me nocte dieque decet.

12 *Tristia absinthia.* Amarae illae herbae, quarum copia maxima est in Ponto || *Horrent.* Horrida videntur, squalida et inculta.|| *Per campos vacuos.* Per campos sine ullis arboribus. || *Conveniens suo loco.* Conveniens regioni Ponticae infructuosae.

13 *Murus.* Lapideus ambitus Tomitanae civitatis. || *Mortifera tabe.* Veneno lethali.

14 *Ab omni devia cursu* Remota ab omni navigatione: nemo enim fere navigat in plagam illam septentrionalem incultam, et desertam || *Tutus eat.* Propter latrocinia.

15 *Finem horum.* Finem horum malorum. || *Altera humus.* Alia terra et mitius exsilium

16 *Hoc non evincere te.* Hoc malum, quod patior, non flectere animum tuum ad misericordiam: et ideo mitiorem ab imperatore pro me exsilii locum petere deberes.

18 *Et faciat somnos haec.* Et oportet, ut noctu invigiles quid die pro me faciendum sit.

19 *Velle reor multos.* Arbitror hac in re me multos habere amicos, qui tibi etiam opem ferent.|| *Carere pace.* Carere animi tranquillitate et curis.

21 Vtque iuvent alii, tu debes vincere amicos,
Vxor; et ad partes prima venire tuas.
22 Magna tibi imposita est nostris persona libellis.
Coniugis exemplum diceris esse bonae.
23 Hanc cave degeneres: ut sint praeconia nostra
Vera, vide; Famae quo tuearis opus.
24 Vt nihil ipse querar; tacito me Fama queretur,
Quae debet, fuerit ni tibi cura mei.
25 Exposuit mea me populo Fortuna videndum;
Et plus notitiae, quam fuit ante, dedit.
26 Notior est factus Capaneus a fulminis ictu:
Notus humo mersis Amphiaraus equis.
27 Si minus errasset, notus minus esset Vlixes;
Magna Philoctetae vulnere fama suo est.

21 *Tu debes vincere amicos, Vxor.* Debes tu diligentia et opera alios superare in me iuvando, propterea quod es mihi uxor. || *Ad tuas partes.* Ad tuum munus.

22 *Magna persona.* Quasi dicat, magnum nomen. || *Nostris libellis* Nostris operibus et carminibus.

23 *Hanc cave degeneres.* Ne degenerem et vilem facias hanc famam et personam. || *Vt sint praeconia.* Cura, ne ego mentitus inveniar, et ut famae tuae respondeas. Venies enim per carmina mea in ora hominum ||*Famae quo tuearis opus.* Vt famae tuae opus defendas.

24 *Tacito me fama queretur, Quae debet.* Me vel tacente, fama de te obloquetur et queretur illa quae debet queri. Iuste enim incusamus uxorem, quum ab ea conspicimus maritum deseri. || *Fuerit ni tibi cura mei.* Ni mihi opitulari curaveris.

25 *Fortuna.* A qua in exsilium missus sum. || *Videndum populo.* Conspiciendum Romano populo. || *Et dedit plus notitiae.* Et tribuit mihi plus famae: me enim haec mea calamitas magis notum fecit, quam prius fuerim.

26 *Notior est factus Capaneus.* Capaneus quoque dux in oppugnatione Thebarum notior fuit, quam antea. ||*Amphiaraus.* Amphiaraus, Graecus vates et augur Apollinis, invitus ad expeditionem Thebanam profectus erat || *Mersis humo equis.* Terrae enim hiatu Amphiaraus cum equis et curru absorptus est.

27 *Si minus errasset.* Si breviori locorum et temporum intervallo a patria abfuisset. Cuius errores noti sunt.|| *Magna Philoctetae.* Philoctela, Poeantis filius, comes Herculis. In pede a serpente vulneratus, a Machaone sanitatem recuperavit.

28 Si locus est aliquis tanta inter nomina parvis;
Nos quoque conspicuos nostra ruina facit.
29 Nec te nesciri patitur mea pagina; qua non
Inferius Coa Battide nomen habes.
30 Quidquid ages igitur, magna spectabere scena:
Et pia non parvis testibus uxor eris.
31 Crede mihi; quoties laudaris carmine nostro,
Qui legit has laudes, an mereare, rogat.
32 Vtque favere reor plures virtutibus istis,
Sic tua non paucae carpere facta volent.
33 Quare, tu praesta, ne livor dicere possit:
Haec est pro miseri lenta salute viri.
34 Cumque ego deficiam, nec possim ducere currum;
Fac tu sustineas debile sola iugum.
35 Ad medicum specto, venis fugientibus, aeger:
Vltima pars animae dum mihi restat, ades.
36 Quodque ego praestarem, si te magis ipse valerem,
Id mihi, cum valeas fortius, ipsa refer.
37 Exigit hoc socialis amor, foedusque maritum:
Moribus hoc, coniux, exigis ipsa tuis.

28 *Inter tanta nomina.* Inter summos viros. || *Parvis.* Subaudi, nominibus et personis. || *Conspicuos.* Magis notos.

29 *Te nesciri.* Te ignotam esse. || *Coa Battide.* Philetas ex Coo insula oriundus, quem Strabo aliorum scriptorum iudicem severissimum fuisse tradit, Battida amavit, et eam carmine laudavit.

30 *Scena magna.* Magno theatro, et hominum frequentia. || *Non paucis testibus.* Quia multos habebis testes tuae erga me fidei.

32 *Virtutibus istis.* Tuis miris laudibus, quas de te praedico. || *Carpere.* Propter invidiam tibi detrahere.

33 *Haec est lenta.* Haec est pigra et tarda.

34 *Cumque ego deficiam.* Et quum mihi vires desint. || *Nec possim ducere currum.* Tanquam auriga; hoc est, nec possim rebus meis praeesse, quia ab urbe absum. || *Debile iugum.* Res meas debiles et afflictas.

35 *Ad medicum specto.* Ad te confugio, tanquam aegroti ad medicum. || *Venis fugientibus.* Deficiente spiritu et sanguine. Qua similitudine dicit parum vitae sibi superesse. || *Vltima pars animae.* Vltima pars vitae. || *Ades.* Faveas mihi.

36 *Refer.* Redde.

38 Hoc domui debes, de qua censeris, ut illam
Non magis officiis, quam probitate, colas.
39 Cuncta licet facias; nisi sis laudabilis, uxor,
Non poterit credi Marcia culta tibi.
40 Nec sumus indigni; nec, si vis vera fateri,
Debetur meritis gratia nulla meis.
41 Redditur illa quidem grandi cum foenore nobis,
Nec te, si cupiat laedere, livor habet.
42 Sed tamen hoc factis adiunge prioribus unum;
Pro nostris ut sis ambitiosa malis.
43 Vt minus infesta iaceam regione, labora;
Clauda nec officii pars erit ulla tui.
44 Magna peto, sed non tamen invidiosa roganti.
Vtque ea non teneas, tuta repulsa tua est.

38 *Hoc domui debes.* Familiae tuae, Marciae, vel, ut aliis placet, Fabiae, quae erga suos officiosa est, fidem debes imitari. || *De qua censeris.* De qua numeraris in censu. Vnaquaeque enim familia, et totus populus censebatur.

39 *Non poterit credi Marcia.* Non erit credibile, aut verisimile, te consuetudine et conversatione Marciae usam esse, ut cui pietate et officiis dissimilis sis. Intelligit autem Marciam, non Catonis, sed Maximi uxorem, filiam Marcii Philippi, vitrici Augusti.

40 *Nec sumus indigni.* Dignus sum, cui opem feras || *Nec nulla gratia.* Aliqua gratitudo. || *Meis meritis.* Meis erga te officiis: qui fui erga te officiosus, ergo debes parem etiam referre.

41 *Redditur.* A te praestatur. || *Grandi cum foenore.* Quia plus praestas mihi, quam acceperis. || *Si cupiat laedere.* Si velit te offendere.

42 *Prioribus factis.* Prioribus meritis erga me tuis. || *Pro nostris malis.* Pro meis incommodis, et hoc meo exsilio. || *Vt sis ambitiosa.* Vt sis captatrix favoris et misericordiae.

43 *Minus infestu.* In terra minus tumultuosa, et hostibus exposita. || *Clauda nec officii pars erit ulla tui.* Si hoc mihi, inquit, praestiterit, nullam officii tui partem desiderabo, et omni ex parte perfectum erit officium tuum.

44 *Sed non tamen invidiosa roganti.* Sed tamen nullam tibi invidiam et detrectationem, seu odium conciliatura. || *Vtque ea non teneas.* Et quamvis non obtineas quae pro me petes. || *Tuta repulsa tua est.* Si reiicieris re infecta, nihil ob id tibi mali continget.

45 Nec mihi succense, toties si carmine nostro,
Quod facis, ut facias, teque imitere, rogo.
46 Fortibus assuevit tubicen prodesse; suoque
Dux bene pugnantes incitat ore viros.
47 Nota tua est probitas, testataque tempus in omne
Sit virtus etiam non probitate minor.
48 Non tibi Amazonia est pro me sumenda securis,
Aut excisa levi pelta gerenda manu.
49 Numen adorandum est; non ut mihi fiat amicum,
Sed sit ut iratum, quam fuit ante, minus.
50 Gratia si nulla est, lacrimae tibi gratia fient.
Hac potes, aut nulla, parte movere Deos.
51 Quae tibi ne desint, bene per mala nostra cavetur:
Meque viro flendi copia dives adest.
52 Vtque meae res sunt; omni, puto, tempore flebis.
Has Fortuna tibi nostra ministrat opes.
53 Si mea mors redimenda tua, quod abominor, esset:
Admeti coniux, quam sequereris, erat.
54 Aemula Penelopes fieres, si fraude pudica
Instantes velles fallere nupta procos.

45 *Vt facias quod facis.* Vt mihi opituleris, quemadmodum facis.|| *Teque imitere.* Et rogo etiam, ut velis morem et naturam tuam imitari, qua soles sponte semper de omnibus bene mereri.

46 *Fortibus assuevit.* Quemadmodum in bello tubicen cantu fortes milites accendit, et bonus etiam imperator oratione alacriores reddit, sic se dicit eo modo uxorem sponte incitatam etiam hortari.

47 *Sit virtus.* Virtutem appellat fortitudinem et animum, dando sibi auxilium apud imperatorem.

48 *Amazonia securis.* Securis qua in bello Amazones utebantur || *Aut pelta excisa.* Aut scutum ad similitudinem lunae iam mediae, quo Amazones utebantur. || *Laeva manu.* Manu sinistra, qua scuta gestabantur.

49 *Numen.* Augustum.

53 *Tua.* Scilicet morte.|| *Quod abominor.* Quod detestor, et precor ut absit. || *Admeti coniux.* Alcestis Peliae filia, uxorque Admeti regis, ita maritum amavit, ut pro eo mori non dubitarit.|| *Quam sequereris.* Quam imitareris.

54 *Aemula Penelopes fieres.* Fieres eiusdem rei studiosa, cuius fuit Penelope. || *Fraude pudica.* Penelope coacta multis procis eam

55 Si comes exstincti manes sequerere mariti,
Esset dux facti Laodamia tui.
56 Iphias ante oculos tibi erat ponenda, volenti
Corpus in accensos mittere forte rogos.
57 Morte nihil opus est, nil Icariotide tela.
Caesaris at coniux ore precanda tuo:
58 Quae praestat virtute sua, ne prisca vetustas
Laude pudicitiae saecula nostra premat:
59 Quae Veneris formam, mores Iunonis habendo,
Sola est caelesti digna reperta toro.
60 Quid trepidas, et adire times? non impia Procne,
Filiave Aeëtae voce movenda tua est:
61 Nec nurus Aegypti, nec saeva Agamemnonis uxor:
Scyllave, quae Siculas inguine terret aquas:

uxorem petentibus, absente marito alicui nubere, se id quidem facturam recepit, ni Vlysses veniret toto eo tempore, quo telam coeptam absolvisset. Hac autem arte eos elusit: quicquid enim die toto laboraverat, id nocte retexebat. Interim Vlysses rediit, et Penelope eo astu fidem marito servavit, et habita fuit pudicissima. || *Instantes.* Procos te uxorem petentes, quemadmodum Penelopen.

55 *Manes extincti mariti.* Manes mortui Proteslai. *Laodamia* enim interfecti in bello troiano mariti umbram optavit videre: quo impetrato in eius amplexu expiravit.

56 *Iphias ante oculos.* Evadne, Iphiae filia se in ardentem Capanei mariti rogum ob nimium amorem praecipitavit.

57 *Icariotide tela.* Tela et fraude Penelopes Icari filiae || *Caesaris coniux.* Livia Augusti uxor.

58 *Quae praestat.* Quae Augusti uxor facit. || *Virtute sua.* Propria pudicitia. || *Ne prisca vetustas.* Ne priscae foeminae || *Premat nostra saecula.* Vincat nostrum aevum

59 *Quae habendo.* Magna Liviae laus, quum eam dicat pulchritudine Veneri, moribus vero Iunoni comparandam. || *Toro caelesti.* Divi Augusti coniugio.

60 *Impia Procne.* Crudelis Progne Terei uxor, quae filium Itym patri epulandum apposuit, in ultionem sororis Philomenae, quam ille violaverat. || *Filia Aeëtae.* Medea filia Aeëtae regis Colchorum.

61 *Nec nurus Aegypti.* Nec aliqua Danaidum, quae maritos omnes una nocte occiderunt, praeter Hypermnestram, quae maritum servavit || *Nec saeva Agamemnonis uxor.* Nec crudelis Clytemnaestra, quae Agamemnonem maritum occidit. || *Scyllaque.* Subaudi, non

62 Telegonive parens vertendis nata figuris;
Nexave nodosas angue Medusa comas.
63 Femina sed Princeps, in qua Fortuna videre
Se probat, et caecae crimina falsa tulit.
64 Qua nihil in terris, ad finem Solis ab ortu,
Clarius, excepto Caesare, mundus habet.
65 Eligito tempus, captatum saepe, rogandi,
Haereat adversa ne tua navis aqua.
66 Non semper sacras reddunt oracula sortes;
Ipsaque non omni tempore fana patent.
67 Cum status Vrbis erit, qualem nunc auguror esse;
Et nullus populi contrahet ora dolor:
68 Cum domus Augusti, Capitolî more colenda,
Laeta, quod est, et sit, plenaque pacis erit;

est roganda. || *Terret inguine.* Reddet aquas terribiles naviganti-bus, ventre suo monstruoso, cui adhaerere canes finguntur.

62 *Telegonive parens.* Subaudi, *non est roganda.* Circen autem designat, ex qua natus dicitur Telegonus, patre Ulysse, cuius ea socios in bruta mutavit. || *Vertendis figuris.* Mutandis hominibus in monstra. || *Nexa comas nodosas angue.* Habens capillos anguibus implexos. Fingunt enim poëtae, Medusae capillos, quibus maxime placebat, a Pallade in angues mutatos.

63 *Femina sed princeps.* Sed Livia femina primaria, aut principis Augusti uxor; et subauditur, *est roganda.* || *In qua Fortuna videre se probat.* In qua femina, Fortuna ostendit se non caecam esse, nec temere ad principatum evexisse. || *Et tulit falsa crimina caecae.* Falso caeca appellata fuit.

64 *Ad finem* Ad occasum. || *Clarius.* Nobilius ipsa Livia || *Excepto Caesare.* Excepto Augusto.

65 *Captatum saepe.* Hac in re saepius a te captatum, et quasi tentatum. || *Ne tua navis.* Ne tua materia et sermo. || *Aqua adversa.* Aqua contraria.

66 *Sacras sortes.* Sacra responsa. || *Ipsa fana.* Ipsa templa.

67 *Nullus dolor populi.* Nulla alicuius populi clades aut rebellio || *Contrahet ora.* Corrugabit faciem prae moestitia.

68 *Capitolî more.* Eo modo quo Capitolium: quod non colebatur, nisi quum triumphabant, aut in publica aliqua laetitia. Ex quo designat, tunc tempus fore verba de se faciendi apud Liviam, quum viderit in aedibus Augusti esse laetitiam aliquam, qualis esse solet in Capitolio. *Capitolî* pro Capitolii.

69 Tum tibi, Dî faciant, adeundi copia fiat,
Profectura aliquid tum tua verba puta.
70 Si quid aget maius, differ tua coepta; caveque
Spem festinando praeciptare meam.
71 Nec rursus iubeo, dum sit vacuissima, quaeras.
Corporis ad cultum vix vacat illa sui.
72 Curia cum patribus fuerit stipata verendis;
Per rerum turbam tu quoque oportet eas.
73 Cum tibi contigerit vultum Iunonis adire,
Fac sis personae, quam tueare, memor. (est,
74 Nec factum defende meum: mala caussa silenda
Nil nisi sollicitae sint tua verba preces. (rae
75 Tum lacrimis demenda mora est: submissaque ter-
Ad non mortales brachia tende pedes.
76 Tum pete nil aliud, saevo nisi ab hoste recedam:
Hostem Fortunam sit satis esse mihi.
77 Plura quidem subeunt: sed iam turbata timore
Haec quoque vix poteris ore tremente loqui.
78 Suspicor hoc damno tibi non fore; sentiat illa
Te maiestatem pertimuisse suam.

69 *Adeundi.* Vt tibi adire liceat Liviam.|| *Profectura aliquid.* Aliquid mihi opis allatura.

71 *Dum sit vacuissima.* Dum sit et vacua, ac libera ab aliis negotiis. || *Vix vacat.* Vix tempus habet.

72 *Verendis patribus.* Venerandis senatoribus, qui ad Augusti aedes et curiam gratulabundi in publica aliqua laetitia convenire soliti erant.

73 *Iunonis.* Liviae: quam Iunoni comparat, quemadmodum aliquando Iovi Augustum.|| *Personae, quam tueare.* Memento te esse uxorem meam, cui prae omnibus pro me laborandum, et causa mea fidelissime agenda sit.

75 *Tum lacrimis.* Deinde incipies flere sine ulla cunctatione. || *Ad pedes non mortales.* Ad divinos Liviae pedes.

76 *Ab saevo hoste.* Ab immanis Scythis.

77 *Haec quoque.* Haec, quae a me dicta sunt tibi.

78 *Non fore tibi damno.* Quia tremor ille indicabit quandam erga illam venerationem.

79 Nec, tua si fletu scindentur verba, nocebit.
Interdum lacrimae pondera vocis habent.
80 Lux etiam coeptis facito bona talibus adsit:
Horaque conveniens, auspiciumque favens.
81 Sed prius imposito sanctis altaribus igni,
Tura fer ad magnos vinaque pura Deos.
82 E quibus ante omnes Augustum numen adora;
Progeniemque piam, participemque tori.
83 Sint utinam mites solito sibi more; tuasque
Non duris lacrimas vultibus adspiciant.

EPISTOLA II.

COTTAE.

ARGVMENTVM. Ad Cottam Romanum scribens, eius fidem laudat Poëta, quod quum alii amicum in rebus adversis deseruerint, ipse semper in amicitiae firma opinione permanserit; cuius merita dicit futura sibi semper in memoria, quoad vixerit, ac etiam post eius mortem, si modo eius scripta ad posteros pervenerint.

1 Quam legis a nobis missam tibi, Cotta, salutem,
Missa sit ut vere, perveniatque, precor.

79 *Scindentur fletu.* Abrumpentur et cessabunt lacrimando solum. || *Pondera vocis.* Vim verborum.

80 *Lux bona.* Dies felix, et non atra aut infausta. || *Horaque conveniens.* Et hora apta: hoc est, nec nimis matutina, aut vespertina, aut qua aliquid aget Livia. || *Auspiciumque favens.* Et prospero captato etiam augurio.

81 *Ad magnos Deos.* Ad Augustum et Liviam.

82 *Progeniemque piam.* Tiberium. || *Participemque tori.* Liviam uxorem.

83 *Solito more.* Quemadmodum solent omnibus. || *Non duris.* Placidis vultibus.

1 *Salutem missam a nobis.* Solemus enim in epistolis eos salutare, ad quos scribimus. || *Missa sit ut vere.* Ita ut vere salvus sis, nec mendax fuerim in mittenda salute.

2 Namque meis sospes multum cruciatibus aufers;
Vtque sit e nobis pars bona salva, facis.
3 Cumque labent alii, iactataque vela relinquant;
Tu lacerae remanes ancora sola rati.
4 Grata tua est igitur pietas: ignoscimus illis,
Qui cum Fortuna terga dedere fugae.
5 Cum feriant unum, non unum fulmina terrent;
Iunctaque percusso turba pavere solet.
6 Cumque dedit paries venturae signa ruinae,
Sollicito vacuus fit locus ille metu.
7 Quis non e timidis aegri contagia vitat,
Vicinum metuens ne trahat inde malum?
8 Me quoque amicorum nimio terrore metuque,
Non odio, quidam destituere mei.
9 Non illis pietas, non officiosa voluntas
Defuit: adversos extimuere Deos.

2 *Meis cruciatibus.* Meis doloribus. || *Multum aufers.* Multum adimis: quia spero te incolumi, te mihi fauturum apud Augustum. || *Pars bona.* Uxor, et fortunae meae.

3 *Labent.* Corruant. || *Iactataque vela relinquant.* Et deserant vela a ventis agitata. Per *vela* autem, amicitiae fidem et officium intellige. || *Sola ancora.* Solum munimen et praesidium.

4 *Ignoscimus illis.* Parcimus illis amicis. || *Qui cum fortuna.* Qui ubi me prostratum et relegatum videre, coeperunt fugere.

5 *Cum feriant unum.* Quum aliquem, hoc est, me percutiant. || *Non unum.* Non te solum. || *Iunctaque percusso turba.* Et turba hominum proxima ei, quem fulmen percussit. || *Solet pavere.* Solet timere, ne fulmen etiam se percutiat, quod Cottam non fecisse laudat.

6 *Cumque dedit paries.* Et cum paries coepit scindi, et ruinam minari. || *Sollicito metu.* Timore qui homines sollicitos reddit.

7 *Quis e timidis.* Quis meticulosus. || *Non vitat.* Non fugit morbum contagiosum.

8 *Nimio terrore.* Nimio Augusti metu. || *Quidam amicorum.* Aliqui amici. || *Destituere.* Deseruere.

9 *Pietas.* Amor erga me amicum. || *Officiosa.* Plena officii erga me. || *Adversos Deos.* Caesarem Augustum mihi contrarium.

10 Vtque magis cauti possunt timidique videri,
Sic appellari non meruere mali.
11 At meus excusat caros ita candor amicos;
Vtque habeant de me crimina nulla, favet.
12 Sint hac contenti venia, signentque licebit,
Purgari factum me quoque teste suum.
13 Pars estis pauci potior, qui rebus in arctis
Ferre mihi nullam turpe putastis opem.
14 Tunc igitur meriti morietur gratia vestri,
Cum cinis absumto corpore factus ero.
15 Fallar, et illa meae superabit tempora vitae.
Si tamen a memori posteritate legar.
16 Corpora debentur moestis exanguia bustis:
Effugiunt structos nomen honorque rogos.
17 Occidit et Theseus, et qui comitavit Oresten:
Sed tamen in laudes vivit uterque suas.
18 Vos etiam seri laudabunt saepe nepotes;
Claraque erit scriptis gloria vestra meis.
19 Hic quoque Sauromatae iam vos novere Getaeque:
Et tales animos barbara turba probat.

12 *Sint hac contenti venia.* Amici qui me deseruere, contententur me illis ignoscere, nec de eis queri. || *Signentque.* Referant inter sua testimonia. Testium enim est *signare*, quando aliquid et subscritione et sigillo confirmant.

13 *Pars estis pauci.* Dicit amicos paucos fuisse, qui tanquam meliores in fide permanserunt. || *In rebus arctis.* In rebus meis afflictis et difficilibus.

14 *Morietur.* Tradetur oblivioni. || *Factus ero cinis.* Combustum fuerit cadaver meum: hoc est, quum ad mortem pervenero.

15 *Fallar.* Decipiar. || *Et illa.* Et illa gratia vestrae in me fidei et officiorum, diuturnior erit vita mea. || *Legar.* Legentur monumenta et carmina mea vestra in me merita testatura.

17 *Et qui comitavit Oresten.* Et Pyladem, qui Orestem in Tauricam regionem prosequutus est. || *In suas laudes.* In gloriam tantae amicitiae, quae fuit inter eos.

19 *Tales animos.* Animos tam fidos et constantes.

20 Cumque ego de vestra nuper probitate referrem;
Nam didici Getice Sarmaticeque loqui;
21 Forte senex quidam, coetu cum staret in illo,
Reddidit ad nostros talia verba sonos: (spes,
22 Nos quoque amicitiae nomen bene novimus, ho-
Quos procul a vobis frigidus Ister habet.
23 Est locus in Scythia, Tauros dixere priores,
Qui Getica longe non ita distat humo.
24 Hac ego sum terra, patriae nec poenitet, ortus.
Consortem Phoebi gens colit illa Deam.
25 Templa manent hodie vastis innixa columnis;
Perque quater denos itur in illa gradus.
26 Fama refert illic signum caeleste fuisse.
Quoque minus dubites, stat basis orba Dea.
27 Araque, quae fuerat natura candida saxi,
Decolor affuso tincta cruore rubet.
28 Femina sacra facit, taedae non nota iugali;
Quae superat Scythicas nobilitate nurus.

21 *In illo coetu.* In ea virorum corona, ubi amicitiae vestrae constantiam praedicabam.

22 *Hospes.* O peregrine Ovidi. || *Procul a vobis.* Longe a Romana civitate.

23 *Est locus in Scythia.* Haec est narratio senis cuiusdam, quem Poëta inducit referentem amicitiam Pyladis et Orestis, quos in Tauricam regionem venisse dicit, ubi regnabat Thoas. || *Tauros dixere priores.* Taurica regio (autore Plinio) in Scythia est, et a Carcinite incipit, quondam mari circumfusa et ipsa, quaque nunc iacent campi, deinde vastis attollitur iugis. || *Qui Getica.* Quae tellus Taurica non nimia longe remota est a Getis.

24 *Consortem Phoebi.* Sororem Phoebi, hoc est Dianam.

25 *Innixa.* Sustentata || *Per quater denos gradus.* Per gradus quadraginta. Ex quo templi altitudinem et magnificentiam demonstrat.

26 *Signum caeleste.* Statua Dianae. || *Stat basis orba Dea.* Basis restat sola, orbata simulacro Dianae, quod abstulit Orestes fugiens cum Iphigenia, et Ariciam portavit, ut Servius docet. Est autem *basis* sessio columnarum, seu simulacrorum pedamenta.

27 *Natura saxi.* E marmore, cuius natura fuerat candida. || *Decolor.* Alterius coloris.

28 *Taedae non nota iugali.* Virgo, quia in nuptiis taedae prae-

29 Sacrifici genus est, sic instituere priores,
Advena virgineo caesus ut ense cadat.
30 Regna Thoas habuit, Maeotide clarus in ora:
Nec fuit Euxinis notior alter aquis.
31 Sceptra tenente illo, liquidas fecisse per auras
Nescio quam dicunt Iphigenian iter.
32 Quam levibus ventis sub nube per aëra vectam
Creditur his Phoebe deposuisse locis.
33 Praefuerat templo multos ea rite per annos,
Invita peragens tristia sacra manu.
34 Cum duo velifera iuvenes venere carina:
Presseruntque suo littora nostra pede.
35 Par fuit his aetas, et amor: quorum alter Orestes,
Alter erat Pylades. Nomina fama tenet.
36 Protinus immitem Triviae ducuntur ad aram,
Evincti geminas ad sua terga manus.
37 Spargit aqua captos lustrali Graia sacerdos,
Ambiat ut fulvas infula longa comas.

ferri solebant. || *Quae superat nobilitate*. Quae est nobilior genere. Huiusmodi enim eligebatur Dianae sacerdos in Taurica regione.

29 *Sacrifici genus est* Genus sacrificii est quod Dianae offertur. || *Priores*. Maiores. || *Vt advena caesus*. Vt peregrinus interemptus. || *Ense virgineo*. Cultro virginis sacerdotis.

30 *Regna Thoas habuit*. Regnabat in Taurica tunc temporis Thoas. || *In ora Maeotide*. In regione Maeotidi paludi contermina. Est autem *Maeotis* lacus in Scythia, qui Tanaim recipit. || *In aquis Euxinis*. In aquis maris Euxini.

31 *Per liquidas auras*. Per purum aëra. Nota est fabula, ereptam Iphigeniam Dianae sacrificandam, et a Dea delatam per aëra in Tauricam regionem, cervamque pro ea suppositam, ut Servius docet.

32 *Phoebe*. Diana.

33 *Praefuerat* Praeposita fuerat Iphigenia templo illi Tauricae Dianae. || *Invita manu* Manu recusante eam crudelitatem. || *Sacra tristia*. Sacra plena tristitiae, utpote in quibus homines mactabantur.

35 *Par fuit his aetas*. Coaevi erant. || *Ad aram immitem Triviae*. Statim mactandi Dianae ad templum perducuntur. *Trivia* porro dicitur Diana, quae triviis praeesset. || *Evincti geminas*. Erat enim consuetudo, ut ita victimae, et homines praesertim ligarentur.

37 *Spargit aqua*. Pyladem et

38 Dumque parat sacrum, dum velat tempora vittis;
Dum tardae caussas invenit usque morae;
39 Non ego crudelis, iuvenes ignoscite, dixit;
Sacra suo facio barbariora loco.
40 Ritus is est gentis. Qua vos tamen urbe venitis?
Quove parum fausta puppe petistis iter?
41 Dixit: et, audito patriae pia nomine virgo,
Consortes urbis comperit esse suae.
42 Alter at e vobis, inquit, cadat hostia sacri;
Ad patrias sedes nuntius alter eat.
43 Ire iubet Pylades carum periturus Oresten.
Hic negat: inque vicem pugnat uterque mori.
44 Exstitit hoc unum, quo non convenerit illis.
Caetera par concors et sine lite fuit.
45 Dum peragunt pulchri iuvenes certamen amoris;
Ad fratrem scriptas exarat illa notas.
46 Ad fratrem mandata dabat, cuique illa dabantur,
Humanos casus adspice, frater erat.

Orestem immolatura sacerdos prius aqua aspersit, hoc est, quae lustrandis ac purgandis hostiis adhibebatur. || *Graia sacerdos.* Iphigenia Graeca. || *Vt infula longa ambiat.* Vt infula circumdet. Erat enim *infula* fascia in modum diadematis, a qua vittae ab utraque parte dependebant.

38 *Dumque parat sacrum.* Et dum praeparat Iphigenia omnia necessaria sacrificio.|| *Dum velat tempora vittis.* Dum caput vittis coronat. || *Caussas.* Excusationes.

39 *Non ego crudelis.* Non ego immitis sum. || *Suo loco.* Hac terra Taurica, quae est crudelis: et ideo sacra etiam crudelia celebrantur a me tamen non crudeli.

40 *Ritus is est gentis.* Talis mos est Tauricis populis, Dianae hospites immolare. || *Puppe parum fausta.* Navi parum felici, quae vos detulit ad haec loca vobis et peregrinis infesta.

41 *Nomine patriae.* Nomine Mycenarum. || *Consortes suae urbis.* Eiusdem patriae, in qua et ipsa orta fuerat.

42 *Cadat.* Intereat. || *Ad sedes.* In Graeciam, Mycenas.

44 *Exstitit hoc unum.* Hoc solum adparuit in tota eorum amicitia || *Quod non convenerit illis.* In quo non fuerant concordes. || *Caetera pars concors.* Quod ad caetera, concordes et unanimes fuerunt.

45 *Ad fratrem.* Ad Orestem: quia eum illic esse nesciebat. || *Notas.* Literas.

47 Nec mora; de templo rapiunt simulacra Dianae:
Clamque per immensas puppe feruntur aquas.
48 Mirus amor iuvenum, quamvis abiere tot anni,
In Scythica magnum nunc quoque nomen habet.
49 Fabula narrata est postquam vulgaris ab illo;
Laudarunt omnes facta piamque fidem.
50 Scilicet hac etiam, qua nulla ferocior, ora
Nomen amicitiae barbara corda movet.
51 Quid facere Ausonia geniti debetis in Vrbe,
Cum tangant diros talia facta Getas?
52 Adde, quod est animus semper tibi mitis, et altae
Indicium mores nobilitatis habet;
53 Quos Volesus patrii cognoscat nominis auctor;
Quos Numa maternus non neget esse suos:
54 Adiectique probent genitiva ad nomina Cottae,
Si tu non esses, interitura domus.
55 Digne vir hac serie, lapso succurrere amico
Conveniens istis moribus esse puta.

47 *Nec mora.* Subito cognito fratre.

48 *Quamvis abiere tot anni.* Quamvis tot anni praeterierint.

49 *Fabula vulgaris.* Hic sermo amoris Pyladis et Orestis, vulgo cognitus.

50 *Hac.* In hac regione Taurica. || *Est ferocior.* Est magis fera et crudelis.

51 *Cum tangant.* Afficiant.

53 *Quos.* Subaudi, mores.||*Volesus.* A Voleso paternum genus traxit Cotta. Fuit autem Volesus Sabinus, qui cum Tatio Romam venit. || *Numa.* Secundus rex Romanorum Numa Pompilius: a quo per matrem ducebat originem Cotta. || *Esse suos.* Quia Cotta erat religiosus, et vir bonus, quemadmodum fuit Numa rex.

54 *Adiectique probent.* Ordo est: Et domus interitura, si tu non esses, probet agnomina genitiva Cottae adiecti, hoc est, Cottae additi maioribus vestris, fortasse ab Alpibus Cotiis subditis populo Romano.||*Ad nomina genitiva.* Agnomina gentilitia. || *Si tu non esses.* Si tu eam non ornares, et illustrem redderes tua virtute.

55 *Hac serie.* Hac maiorum origine || *Lapso succurrere amico.* Puta esse conveniens istis moribus, succurrere amico lapso, id est, mihi qui erravi.

EPISTOLA III.

FABIO MAXIMO.

ARGVMENTVM. Ad Fabium Maximum scribens fingit sibi in lecto cubanti sese obtulisse Cupidinem, Poëtamque de illo questum quod, quum eius causa in exilium eiectus sit, velit etiam efficere, ut Augustus placatus mitius exilium concedat. Postremo inducit etiam Cupidinem ad ea respondentem.

1 Si vacat exiguum profugo dare tempus amico,
O sidus Fabiae, Maxime, gentis, ades:
2 Dum tibi, quae vidi, referam; seu corporis umbra,
Seu veri species, seu fuit ille sopor.
3 Nox erat: et bifores intrabat Luna fenestras,
Mense fere medio quanta nitere solet.
4 Publica me requies curarum somnus habebat,
Fusaque erant toto languida membra toro;
5 Cum subito pennis agitatus inhorruit aër;
Et gemuit parvo mota fenestra sono.
6 Territus in cubitum relevo mea membra sinistrum:
Pulsus et e trepido pectore somnus abit.
7 Stabat Amor vultu, non quo prius esse solebat,
Fulcra tenens laeva tristis acerna manu.

1 *Sidus.* Splendor et gloria Fabiorum. || *Ades.* Attende animum.

2 *Seu corporis umbra.* Seu est umbra alicuius corporis. || *Seu veri species.* Vere a me visum. || *Seu sopor.* Seu ille fuit somnus, et visio nocturna.

3 *Bifores fenestras.* Fenestras bipartitas, duas habentes valvas || *Medio mense.* Medio spacio temporis, quo luna peragit cursum suum.

4 *Publica requies curarum.* Requies quae communis est omnibus. || *Languida.* Deficientia propter curas: aut inertia propter somnum.

5 *Agitatus.* Percussus. || *Inhorruit.* Intonuit, intremuit. || *Gemuit.* Crepuit leviter.

6 *E pectore trepido.* E mente pavida ex somno.

7 *Amor.* Cupido, Deus || *Stabat.* Ante me apparebat || *Fulcra acerna.* Baculum de acere factum.

8 Nec torquem collo, nec habens crinale capillis;
Nec bene dispositas comtus,ut ante, comas.
9 Horrida pendebant molles super ora capilli;
Et visa est oculis horrida penna meis.
10 Qualis in aëriae tergo solet esse columbae,
Tractantum multae quam tetigere manus.
11 Hunc, simul agnovi, neque enim mihi notior alter,
Talibus affata est libera lingua sonis:
12 O puer, exsilii decepto caussa magistro,
Quem fuit utilius non docuisse mihi;
13 Huc quoque venisti, pax est ubi tempore nullo,
Et coit adstrictis barbarus Ister aquis?
14 Quae tibi caussa viae? nisi uti mala nostra videres?
Quae sunt, si nescis, invidiosa tibi.
15 Tu mihi dictasti iuvenilia carmina primus:
Apposui senis, te duce, quinque pedes.
16 Nec me Maeonio consurgere carmine, nec me
Dicere magnorum passus es acta ducum.
17 Forsitan exiguas, aliquas tamen, arcus et ignis
Ingenii vires comminuere mei.
18 Namque ego dum canto tua regna, tuaeque parentis,
In nullum mea mens grande vacavit opus.

8 *Crinale*. Est fascia, qua cohibentur crines, ne in frontem defluant.

9 *Penna*. Alae.|| *Horrida*. Asperae et impexae propter aquilonem: qui ad ea loca volantem Cupidinem afflaverat, et impexum reddiderat.

12 *Decepto Magistro*. Deluso me Ovidio. || *Quem* Subaudi, Cupidinem puerum. || *Non docuisse*. Non erudiisse in arte amandi: se enim amoris praeceptorem appellat.

13 *Huc* In Scythiam, ubi exulo. || *Adstrictis aquis*. Gelatis áquis.

14 *Invidiosa*. Invidiam et detractationem tibi concitantia.

15 *Senis*. Subaudi, pedibus; hoc est versu hexametro, qui constat ex sex pedibus.|| *Quinque*. Scilicet, pedes: per quos intelligit versum pentametrum.

16 *Carmine Maeonio*. Carmine quali usus est Homerus; ex quo designat heroicum carmen.

17 *Arcus et ignis*. Arma ipsius Cupidinis, scilicet arcus et faces. || *Comminuere*. Alienum reddidere a rebus ducum maximorum gestis describendis.

18 *Tuaeque parentis*. Veneris

19 Nec satis id fuerat; stultus quoque carmina feci,
Artibus ut posses non rudis esse meis.
20 Pro quibus exsilium misero mihi reddita merces:
Id quoque in extremis, et sine pace, locis.
21 At non Chionides Eumolpus in Orphea talis;
In Phryga nec Satyrum talis Olympus erat.
22 Praemia nec Chiron ab Achilli talia cepit,
Pythagoraeque ferunt non nocuisse Numam.
23 Nomina neu referam longum collecta per aevum,
Discipulo perii solus ab ipse meo.
24 Dum damus arma tibi, dum te, lascive, docemus,
Haec te discipulo dona magister habet.
25 Scis tamen, ut liquido iuratus dicere possis,
Non me legitimos sollicitasse toros.
26 Scripsimus haec istis, quarum nec vitta pudicos
Contingit crines, nec stola longa pedes.
27 Dic, precor, ecquando didicisti fallere nuptas;
Et facere incertum par mea iussa genus?
28 An sit ab his omnis rigide submota libellis,
Quam lex furtivos arcet habere viros?

tuae matris. || *In nullum grande opus* In nullam grandem materiam || *Vacavit.* Scribendo operam dedit.

21 *Eumolpus Chionides* Eumolpus, Neptuni et Chiones filius. || *In Orphea* Erga praeceptorem Orpheum || *Eumolpus.* Plerique non Thracium Eumolpum, sed Eleusinium, ex Deiope Triptolemi natum, misteria Cereris Eleusine docuisse voluit, eiusque rei autorem Istrum citant. Hinc et Eumolpi, qui tradita ab Eumolpo sacra, Eleusine procurarunt. || *In Phryga, nec Satyrum.* Nec etiam Olympus talis fuit in Satyrum Marsyam, ut tu in me fuisti.

22 *Praemia nec Chiron.* Notum est Statii et aliorum monumentis, Achillem sub Chironis disciplina maxima benevolentia nutritum. || *Pythagoraeque ferunt.* Hic loquitur ex eorum opinione qui credidere Numam Pompilium regem Pythagorae philosophi discipulum fuisse.

23 *Ab meo discipulo.* Quia scribendo et docendo ipsum amorem, Poëta in exilium eiectus est.

26 *Quarum nec vitta.* Quae non sunt virgines, aut Vestales, quae vitta utebantur. || *Nec stola longa.* Nec sunt matronae, quae stola utebantur. Ea enim vestis erat, quae ad imos pedes defluebat.

29 Quid tamen hoc prodest, vetiti si lege severa
Credor adulterii composuisse notas?
30 At tu, sic habeas ferientes cuncta sagittas;
Sic nunquam rapido lampades igne vacent;
31 Sic regat imperium, terrasque coërceat omnes
Caesar, ab Aenea qui tibi fratre nepos;
32 Effice, sit nobis non implacabilis ira;
Meque loco plecti commodiore velit.
33 Haec ego visus eram puero dixisse volucri.
Hos visus nobis ille dedisse sonos:
34 Per, mea tela, faces, et per, mea tela, sagittas,
Per matrem iuro, Caesareumque caput;
35 Nil, nisi concessum, nos te didicisse magistro;
Artibus et nullum crimen inesse tuis.
36 Vtque hoc, sic utinam defendere caetera posses!
Scis aliud, quod te laeserit, esse magis. (ri,
37 Quidquid id est, neque enim debet dolor ille refer-
Non potes, a culpa, dicere, abesse tua.
38 Tu licet erroris sub imagine crimen obumbres:
Non gravior merito vindicis ira fuit.

30 *Ferientes cuncta.* Quos voles omnes vulnerantes et consaucientes. || *Lampades.* Faces.

31 *Caesar.* Augustus filius Iulii per adoptionem. || *Ab Aenea fratre.* Aeneas enim et Cupido fratres fuerunt, et ambo matrem Venerem habuere.

32 *Plecti.* Puniri.

33 *Puero volucri.* Cupidini alato. || *Dedisse hos sonos.* Respondisse haec verba sequentia.

35 *Nisi concessum.* Nisi legibus permissum. || *Tuis artibus.* Tuis carminibus et praeceptis de Arte amandi.

36 *Vtque hoc.* Quae scripsisti. || *Caetera.* Hoc est, quae laeserunt Augustum || *Aliud magis esse.* Aliud magis nocere, quam carmina amatoria. Quibus verbis liquido apparet, exilii Poëtae causam aliam fuisse, quam carmina amatoria.

37 *Abesse a tua culpa.* Carere tuo crimine.

38 *Sub imagine erroris.* Sub specie erroris, quod scilicet errasti per imprudentiam. || *Obumbres.* Tegas. || *Non fuit gravior merito.* Non fuit gravior culpa tua: hoc est, ira Augusti fuit minor, quam merebaris. || *Vindicis* Augusti.

39 Vt tamen adspicerem, consolarerque iacentem,
Lapsa per immensas est mihi penna vias.
40 Haec loca tum primum vidi, cum matre rogante
Phasias est telis fixa puella meis.
41 Quae nunc cur iterum post saecula longa revisam,
Tu facis, o castris miles amice meis.
42 Pone metus igitur; mitescet Caesaris ira:
Et veniet votis mollior hora tuis. (stat:
43 Neve moram timeas, tempus, quod quaerimus, in-
Cunctaque laetitiae plena triumphus habet.
44 Dum domus, et nati, dum mater Livia gaudet;
Dum gaudes Patriae magne Ducisque Pater:
45 Dum tibi gratatur populus, totamque per Vrbem
Omnis odoratis ignibus ara calet:
46 Dum faciles aditus praebet venerabile templum;
Sperandum nostras posse valere preces.
47 Dixit; et aut ille est tenues dilapsus in auras,
Coeperunt sensus aut vigilare mei.

40 *Haec loca* Hanc regionem Ponticam frigori obnoxiam.|| *Matre rogante.* Precante me Venere. || *Puella Phasias.* Medea sic dicta, a Phasi Colchorum fluvio.

41 *Post saecula longa.* Post mille annos et amplius.

43 *Tempus quod quaerimus.* Tempus quod idoneum requirimus, ut Caesar mitescat. || *Triumphus.* Triumphum hic designari seu ovationem arbitror, de quo abunde dictum est superius ||*Triumphus habet.* Triumphum Tiberii de Dalmatis et Illyriis actum intellige.

44 *Et nati.* Et filii Augusti, Tiberius scilicet et reliqui. || *Dum mater Livia.* Dum Livia mater Tiberii.|| *Magne Pater patriae.* Augustum denotat, qui Pater patriae dictus est.||*Ducisque.* Et imperatoris qui triumphabit. Tiberium autem designat.

45 *Odoratis ignibus.* Ignibus thuricremis: et ideo fragrantibus.

46 *Faciles aditus.* Faciles vias ad precandum Augustum propter hanc publicam laetitiam.||*Templum.* Augusti forte domus, vel Iovis Capitolini templum ad quod triumphator vehebatur.

47 *Dixit.* Cupido. || *Est dilapsus.* Evanuit.||*Vigilare.* Coeperunt somnum excutere.

48 Si dubitem, quin his faveas, o Maxime, dictis,
Memnonio cygnos esse colore putem.
49 Sed neque mutatur nigra pice lacteus humor:
Nec, quod erat candens, fit terebinthus, ebur.
50 Conveniens animo genus est tibi: nobile namque
Pectus, et Herculeae simplicitatis habes.
51 Livor, iners vitium, mores non exit in altos;
Vtque latens ima vipera serpit humo.
52 Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum:
Grandius ingenio nec tibi nomen inest.
53 Ergo alii noceant miseris, optentque timeri:
Tinctaque mordaci spicula felle gerant.
54 At tua supplicibus domus est assueta iuvandis:
In quorum numero me precor esse velis.

48 *O Maxime.* O Fabi. || *His dictis.* His verbis Cupidinis || *Memnonio colore.* Colore nigro, quali fuit Memnon, quem Tithonus Laomedontis filius in Asia orientem versus usque in Aethiopiam militans, dicitur genuisse ex Ida: qui cum Troianis praesidium tulisset, postea ab Achille est interfectus.

49 *Nigra pice.* Colore nigro: hoc est, inhumanitate. || *Lacteus humor.* Lac ipsum, quod natura est candidum: hoc est, humanitas ipsa et animi candor. || *Candens ebur.* Candidum ebur. || *Terebinthus.* Arbor est, quae in Syria nascitur: eius materies admodum lenta est, ac fidelis ad vetustatem, eximii ac nigri splendoris, ut docet Plinius.

50 *Nobile pectus.* Animum generosum || *Herculeae simplicitatis.* Et veri ac ingenui animi, qualis fuit in Hercule, nec duplicis.

51 *Livor iners vitium.* Invidia est dolor alienae felicitatis, vitium quod obsidet tantum et aggreditur ignavos. || *In altos mores.* In mentes generosas, et qualia est tua. || *Vt latens vipera.* Tanquam serpens. Quia quemadmodum viperae nunquam altius a terra tolluntur, sic invidia infima quaeque pectora, non generosa, depopulatur.

52 *Supra ipsum genus.* Plusquam gens tua Maximorum. Quasi dicat, est plusquam maxima. || *Grandius ingenio.* Quia tantum est ingenium tuum, quantum est nomen. H. e. es maximus et nomine et ingenio.

53 *Felle mordaci.* Verbis sinistris et amaris.

54 *Iuvandis supplicibus.* Benemerendo de calamitosis.

EPISTOLA IV.

RVFINO.

ARGVMENTVM. Tiberii ovationem seu triumphum de Germania, vel potius de Illyrico, Romam mittens Poëta, Rufino amico et doctissimo viro commendat; excusatque se multis rationibus, quod non ita eleganter materiam istam absolvat, ut aequum fuerat. Postremo vertit sermonem ad Liviam Caesaris matrem, vaticinaturque fore ut brevi alterum etiam triumphum de Germania ipsa consequatur.

1 Haec tibi non vanam portantia verba salutem
Naso Tomitana mittit ab urbe tuus;
2 Vtque suo faveas mandat, Rufine, Triumpho:
In vestras venit si tamen ille manus.
3 Est opus exiguum, vastisque paratibus impar:
Quale tamen cunque est, ut tueare, rogo. (runt;
4 Firma valent per se, nullumque Machaona quae-
Ad medicam dubius confugit aeger opem.
5 Non opus est magnis placido lectore poëtis:
Quamlibet invitum difficilemque tenent.
6 Nos, quibus ingenium longi minuere labores,
Aut etiam nullum forsitan ante fuit,
7 Viribus infirmi, vestro candore valemus.
Quem mihi si demas, omnia rapta putem.

1 *Non vanam*. Non mendacem: ex animo tibi optatam.

2 *Suo Triumpho* Suo operi de triumpho Tiberii.

3 *Vestris paratibus*. Vestrae huic pompae triumphali. || *Vt tueare*. Vt tutelam eius suscipias.

4 *Nullumque Machaona* Et nullum medicum, qualis fuit Machaon requirunt. Hoc est, et nullius praesidio indigent. Fuit autem *Machaon* filius Aesculapii, fraterque Podalirii.

5 *Placido lectore*. Favorabili aliquo, qui legat eorum opera. || *Quamlibet invitum*. Quamvis etiam nolentem legere eorum opera. || *Tenent*. Morantur et alliciunt.

7 *Viribus infirmis*. Debiles ingenio. || *Vestro candore*. Vestro favore et commendatione. || *Valemus*. Probamur.

8 Cunctaque cum mea sint propenso nixa favore,
Praecipuum veniae ius habet ille liber.
9 Spectatum vates alii scripsere triumphum.
Est aliquid memori visa notare manu.
10 Nos ea vix avidam vulgo captata per aurem
Scripsimus: atque oculi fama fuere mei.
11 Scilicet affectus similes, aut impetus idem,
Rebus ab auditis conspicuisque venit?
12 Nec nitor argenti, quem vos vidistis, et auri,
Quod mihi defuerit, purpuraque illa, queror.
13 Sed loca, sed gentes formatae mille figuris
Nutrissent carmen, proeliaque ipsa, meum.
14 Et regum vultus, certissima pignora mentis,
Iuvissent aliqua forsitan illud opus.
15 Plausibus ex ipsis populi, laetoque favore,
Ingenium quodvis incaluisse potest.
16 Tamque ego sumsissem tali clamore vigorem,
Quam rudis audita miles ad arma tuba.

8 *Favore propenso.* Inclinata in me aura. || *Sint nixa.* Sint sustentata. || *Praecipuum habet ius veniae.* In primis et ante alia opera mea indiget et exposcit, ut ignoscatur. || *Ille liber.* Libellus ille quem mitto, ubi describitur Caesaris triumphus, materia ampla et magna, quae aliud exposceret ingenium, quam meum.

9 *Spectatum.* Triumphum oculis conspectum. || *Visa.* Ea quae vidit.

10 *Vix captata.* Vix a me audita. || *Per aurem avidam vulgi.* Per vulgum haec audiendi cupidum: qui haec tantum audivit, nec vidit.

11 *Scilicet affectus similes.* In describendo haec quae audivi talis est affectus et impetus dicendi, qualis est etiam fama. Quasi innuat, quod non ita afficimur, nec eo animi calore describimus, quae audivimus, quo ea quae vidimus.

13 *Formatae.* H. e. pictae; quia locorum in quibus pugnando partae fuerant victoriae, urbium captarum, et gentium victarum descriptiones, triumphantes Imperatores praecedebant. || *Nutrissent carmen.* Carmini meo materiam attulissent.

14 *Et regum vultus.* Et reges ipsi captivi, vi vincti ante currum.|| *Pignora.* Indicia. | *Aliqua.* Scilicet, parte. || *Illud opus.* Illum triumphum a me compositum.

16 *Rudis miles.* Tyro et belli inexpertus.

17 Pectora sint nobis nivibus glacieque licebit,
Atque hoc, quem patior, frigidiora loco:
18 Illa ducis facies, in curru stantis eburno,
Excuteret frigus sensibus omne meis.
19 His ego defectus, dubiisque auctoribus usus,
Ad vestri venio iure favoris opem. (rum
20 Nec mihi nota ducum, nec sunt mihi nota loco-
Nomina: materiam vix habuere manus.
21 Pars quota de tantis rebus, quam Fama referre,
Aut aliquis nobis scribere posset, erat?
22 Quo magis, o lector, debes ignoscere, si quid
Erratum est illic, praeteritumve mihi.
23 Adde, quod, assiduam domini meditata querelam,
Ad laetum carmen vix mea versa lyra est.
24 Vix bona post tanto quaerenti verba subibant:
Et gaudere aliquid, res mihi visa nova est.
25 Vtque reformidant insuetum lumina Solem,
Sic ad laetitiam mens mea segnis erat.
26 Est quoque cunctarum novitas carissima rerum:
Gratiaque officio, quod mora tardat, abest.

13 *In curru eburno.* Triumphalia ornamenta ſuere, toga praetexta, tunica palmata, toga picta, corona laurea, scipio eburneus, et sella curulis eburnea, de qua hîc Ovidius intelligit. || *Excuteret frigus:* Eiiceret animi torporem.

19 *His ego defectus.* Ego qui rebus his praedictis carui. *Defectus* enim participium est significationis activae in voce passiva. || *Dubiis auctoribus.* Auctoribus rem etiam ignorantibus. || *Vestri favoris.* Ad vestrum auxilium, o poëtae.

20 *Materiam vix habuere manus.* Quia cum non viderim duces, et picta, et caetera quae in triumphis praeſerebantur, vix potui ea scribere, quae non videram.

21 *Pars quota.* Rara, vel nulla.

22 *Illic.* In descriptione huius triumphi.

24 *Post tanto.* Subaudi, *tempore*: ut sit Archaïsmos. || *Verba bona.* Verba laeta et felicia. || *Subibant.* In mentem veniebant. || *Et gaudere aliquid.* Et aliqua laetari. || *Res nova.* Res inusitata.

25 *Lumina.* Oculi.

26 *Officio.* Rei illi quam facimus, ut puta scribendo triumphum, aut aliud aliquid simile. || *Abest.* Deest.

27 Caetera certatim de magno scripta triumpho
Iam pridem populi suspicor ore legi.
28 Illa bibit sitiens lector, mea pocula plenus:
Illa recens pota est, nostra tepescit aqua.
29 Non ego cessavi, nec fecit inertia serum:
Vltima me vasti sustinet ora freti. (fiunt,
30 Dum venit huc rumor, properataque carmina
Factaque eunt ad vos, annus abisse potest.
31 Nec minimum refert, intacta rosaria primus,
An sera carpas paene relicta manu.
32 Quid mirum, lectis exhausto floribus horto,
Si duce non facta est digna corona suo?
33 Deprecor, haec vatum contra sua carmina ne quis
Dicta putet. Pro se Musa locuta mea est.
34 Sunt mihi vobiscum communia sacra, poëtae;
In vestro miseris si licet esse choro.
35 Magnaque pars animae mecum vixistis, amici:
Hac ego vos absens nunc quoque parte colo.

27 *Certatim* A multis poëtis.

28 *Illa.* Scilicet carmina aliorum. || *Lector sitiens.* Lector desiderans. || *Plenus.* Iam satur et ideo fastidiens. || *Mea pocula.* Subaudi, *bibit.* Hoc est, legit meum carmen. || *Nostra tepescit.* Nostra aqua iamdiu hausta erit tepida. Hoc est, carmen meum serum nullam habebit gratiam post aliorum carmina prius composita.

29 *Ora ultima.* Postrema regio. || *Vasti freti.* Magni maris Pontici.

30 *Rumor.* Fama triumphi. || *Properata.* Etiam celeriter facta.

31 *Nec minimum refert.* Interest plurimum. || *Intacta rosaria.* Rosaria ex quibus nullae adhuc decerptae sunt rosae. || *Sera manu.* Manu tarda ad decerpendos huiusmodi flores.

32 *Lectis floribus.* Optimis floribus. Allegorice. || *Exhausto horto.* Evacuato campo, et quasi adempta omni materia. || *Corona.* Triumphus. || *Digna suo duce.* Digna suo imperatore.

33 *Deprecor haec vatum.* Ne Poëta videatur questus de poëtis, qui huiusmoquoque triumphum scripserant, hic se excusat. || *Pro se.* Pro utilitate sua, non ut aliquem culparem.

35 *Magna pars animae.* Amici enim eleganter nunc pars, nunc dimidium animae amicorum esse dicuntur.

36 Sint igitur vestro mea commedanda favori
Carmina, non possum pro quibus ipse loqui.
37 Scripta placent a morte fere: quia laedere vivos
Livor, et iniusto carpere dente solet.
38 Si genus est mortis male vivere; terra moratur:
Et desunt fatis sola sepulcra meis.
39 Denique opus nostrae culpetur ut undique curae,
Officium, nemo, qui reprehendat, erit.
40 Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas:
Hac ego contentos auguror esse Deos. (aras;
41 Haec facit, ut veniat pauper quoque gratus ad
Et placeat caeso non minus agna bove.
42 Res quoque tanta fuit, quantae subsistere summo
Aeneïdos vati grande fuisset onus.
43 Ferre etiam molles elegi tam vasta triumphi
Pondera disparibus non potuere rotis.
44 Quo pede nunc utar, dubia est sententia nobis;
Alter enim de te, Rhene, triumphus adest.

36 *Pro quibus*. Pro ipsis scilicet carminibus, quia non possum Romae esse vobiscum, et illa vobis commendare.

37 *A morte fere*. Quasi post mortem.

38 *Male vivere*. Vitam male et duriter agere, ut ego facio in hac Scytharum barbarie. || *Terra moratur*. Sepulcrum me expectat.|| *Fatis meis*. Meae morti.

39 *Opus nostrae curae*. Opus hoc de triumpho in quo magnam curam adhibui || *Officium*. Studium et voluntatem meam.

40 *Vt*. Quamvis. || *Hac ego*. Scilicet bona voluntate.

41 *Haec*. Ista bona voluntas

42 *Res*. Materia huius triumphi Caesaris.|| *Tanta*. Tam laboriosa et onerosa. || *Quantae*. Quantum suis humeris sustinere cum difficultate potuisset felix auctor Aeneidos P. Virgilius Maro.|| *Fuisset grande onus*. Fuisset arduum et difficile pondus || *Summo vati Aeneidos*. Maximo illi poëtae Virgilio, qui Aeneida conscripsit.

43 *Rotis disparibus*. Imparibus versibus.

44 *Quo pede*. Quo versu, elegone an heroïco. || *Alter triumphus adest*. Secundus triumphus prope est. *Rhenum* autem fluvium pro Germania posuit, quae a Gallis, Rhetiis, et Pannonis Rheno et Danubio fluminibus separatur, quae flumina magnam vim habent aquarum.

45 Irrita verorum non sunt praesagia vatum.
Danda Iovi laurus, dum prior illa viret.
46 Nec mea verba legis, qui sum submotus ad Istrum,
Non bene pacatis flumina pota Getis:
47 Ista Dei vox est: Deus est in pectore nostro.
Haec duce praedico vaticinorque Deo. (phis,
48 Quid cessas currum, pompamque parare trium-
Livia? iam nullas dant tibi bella moras.
49 Perfida damnatas Germania proiicit hastas.
Iam pondus dices omen habere meum.
50 Crede, brevique fides aderit; germinabit honorem
Filius, et iunctis, ut prius, ibit equis.
51 Prome, quod iniicias humeris victoribus, ostrum.
Ipsa potest solitum nosse corona caput.
52 Scuta, sed et galeae gemmis radientur et auro,
Stentque super vinctos trunca trophaea viros.

45 *Danda.* Triumphus dandus est Iovi Capitolino, cui imperatores lauro coronati ibant sacrificatum. || *Dum prior.* Dum corona illa Tiberii, qua paulo ante ovans ob debellatum Illyricum, coronatus urbem intravit, adhuc est recens et viridis.

46 *Mea verba.* Haec quae futura auguror, non sunt verba mea, sed Apollinis. || *Flumina pota.* Flumen Istrum epotum.

47 *Est Dei.* Est Apollinis. || *Deus.* Apollo.

48 *Dant nullas moras.* Tibi nullam afferunt causam tarditatis.

49 *Perfida Germania.* Germania quae fidem rupit Romanis, caeso Varo et tribus legionibus. || *Damnatas hastas.* Bella et arma, quae detestatur et damnat. || *Habere pondus.* Habere effectum.

50 *Germinabit honorem filius.* Tiberius alium consequetur triumphum. || *Et iunctis.* Et quadrigis triumphans in Capitolium vehetur, quemadmodum prius, quando urbem praetextatus, et laurea coronatus intravit.

51 *Prome.* Exime et para. || *Ostrum.* Purpuream togam, qua Imperatores induti triumphabant. || *Ipsa corona.* Ipsa laurea.

52 *Trunca trophaea.* Trophaea, quae amputatis arboribus fingebantur. Amputabant enim ramos arborum, ac deinde armis spoliisque hosti detractis ornabant. || *Super vinctos.* Super caesos hostes. Omnia enim ut gesta fuerant, pingebantur, et praeferebantur in triumphis.

53 Oppida turritis cingantur eburnea muris;
Fictaque res vero more putetur agi.
54 Squalidus immissos fractas sub arundine crines
Rhenus, et infectas sanguine portet aquas.
55 Barbara iam capti poscunt insignia reges,
Textaque fortuna divitiora sua.
56 Et quae praeterea virtus invicta tuorum
Saepe parata tibi, saepe paranda facit.
57 Dî, quorum monitu sumus eventura locuti,
Verba, precor, celeri nostra probate fide.

53 *Oppida eburnea.* Civitatum simulacra ex ebore compacta. || *Muris turritis.* Moenibus suis turres habentibus.

54 *Squalidus Rhenus.* Rhenus, fluvius Germaniae, squalore ac sorde confectus, quod victus sit. Deum autem fluminis designat. || *Immissos crines.* Impositos capillos suos. || *Sub harundine fracta.* Sub corona harundinea lacera, propterea quod victus sit. Fingunt autem poëtae flumina coronas harundineas gestare. || *Infectas sanguine.* Tinctas cruore interfectorum.

55 *Reges capti.* Reges Germanorum captivi. || *Textaque.* Vestes regias. || *Divitiora sua fortuna.* Quia reges illi nihil habebant; omnia enim iure belli amiserant: et eo pacto preciosiores erant vestes ipsis regibus.

56 *Virtus tuorum.* Virtus Augusti et liberorum. || *Saepe parata tibi.* Quia saepenumero parasti tuis triumphalia ornamenta. || *Saepe paranda.* Quoniam alios etiam triumphos comparabunt, et tu quoque triumphalia ornamenta parabis.

57 *Quorum monitu.* Apollinem significat, cuius monitu et furore potëse vaticinantur. || *Celeri.* Celeri exitu et effectu.

EPISTOLA V.

MAXIMO COTTAE.

ARGVMENTVM. Ad Maximum Cottam hanc epistolam mittit, ad quem etiam superius scripserat; laudatque eius orationem, quam Romae in iudicio centumvirali habitam sibi legendam sul.miserat, precaturque, ut crebro studii sui huiusmodi pignora impertiat. Deinde dicit se absentem illum tamquam praesentem intueri, viderique cum eo Romae esse, tamquam in caelo. Quum vero meminit se esse in Scythia, dicit videri se ad inferos reverti.

1 Quam legis, unde tibi mittatur epistola, quae-
Hinc, ubi caeruleis iungitur Ister aquis. (ris?
2 Vt regio dicta est, succurrere debet et auctor,
Laesus ab ingenio Naso poëta suo.
3 Qui tibi, quam mallet praesens afferre salutem,
Mittit ab hirsutis, Maxime Cotta, Getis.
4 Legimus, o iuvenis, patrii non degener oris,
Dicta tibi pleno verba diserta foro. (per horas
5 Quae, quamquam lingua mihi sunt properante
Lecta satis multas, pauca fuisse queror.

1 *Hinc.* Subaudi, mittitur. || *Iungitur.* Miscetur. Ister enim per multas regiones delapsus, in Pontum cadit. || *Aquis caeruleis.* Aquis maris Pontici quibus regionem Ponticam designat.

2 *Vt regio dicta est.* Postquam regionem Ponticam descripsi. || *Succurrere.* Debet in mentem venire. || *Et auctor.* Naso. || *Laesus ab suo ingenio.* Offensus et relegatus propter artem poëticam, scribendo praecepta amatoria.

3 *Praesens.* Tecum Romae. || *Ab Getis hirsutis.* A Getis squalidis, barbatis, et impexis.

4 *O iuvenis.* O Cotta Maxime qui non degeneras a tuis || *Oris patrii.* Eloquentiae patris tui, qui fuit summus orator. Vel, facie patrem tuum referens. || *Dicta pleno foro.* Habita frequenti turba, quae erat in foro iudiciali. || *Verba diserta.* Eloquentem orationem tuam

5 *Lingua properante.* Celeritate legendi.

6 Plura sed haec feci relegendo saepe; nec unquam
Non mihi, quam primo, grata fuere magis.
7 Cumque nihil toties lecta e dulcedine perdant,
Viribus illa suis, non novitate, placent.
8 Felices, quibus haec ipso cognoscere in actu,
Et tam facundo contigit ore frui!
9 Nam quamquam sapor est allata dulcis in unda,
Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae.
10 Et magis adducto pomum decerpere ramo,
Quam de caelata sumere lance iuvat.
11 At nisi peccassem, nisi me mea Musa fugasset,
Quod legi, tua vox exhibuisset opus.
12 Vtque fui solitus, sedissem forsitan unus
De centum iudex in tua verba viris.
13 Maior et implesset praecordia nostra voluptas,
Cum traherer dictis annueremque tuis.
14 Quem quoniam fatum, vobis patriaque relictis,
Inter inhumanos maluit esse Getas:
15 Quod licet, ut videar tecum magis esse, legenda
Saepe, precor studii pignora mitte tui:

7 *Toties*. Tam crebro a me lecta. || *E dulcedine*. E sua verborum suavitate et elegantia || *Perdant*. Amittant. || *Suis viribus*. Peculiari dicendi vi, et inventionis, ac argumentorum efficacia. || *Non novitate*. Non novo dicendi genere, nec ulla affectatione, aut lenocinio.

8 *In ipso*. In ipsa recitatione.

10 *Adducto ramo*. Tracto ad se ramo. || *Quam de lance caelata*. Quam de aliqua patina, et vase sculpto.

11 *Nisi peccassem*. Nisi amatoria scripsissem. || *Mea Musa*. Carmina a me facta. || *Fugasset*. In exilium eiecisset. || *Tua vox*. Tua recitatio. Multo magis enim viva vox afficit. || *Exhibuisset*. Hoc est, audivissem, non legissem orationem tuam.

12 *Vt fui solitus*. Vt consuevi; quia Poëta Centumvir fuit.

13 *Cum traherer tuis dictis*. Dum dicentem te audirem, et in tua verba et sententiam adducerer tuis rationibus. || *Annueremque*. Et probarem.

15 *Quod licet*. Quod fas est, quod conceditur, scilicet ut mittas pignora tui studii. || *Pignora tui studii*. Vel carmen, vel orationem, vel aliud huiusmodi.

16 Exemploque meo, nisi dedignaris id ipsum,
Vtere: quod nobis rectius ipse dares. (vobis,
17 Namque ego, qui perii iam pridem, Maxime,
Ingenio nitor non periisse meo.
18 Redde vicem: nec rara tui monumenta laboris
Accipiant nostrae, grata futura, manus.
19 Dic tamen, o iuvenis studiorum plene meorum;
Ecquid ab his ipsis admoneare mei? (micis,
20 Ecquid ubi aut recitas factum modo carmen a-
Aut, quod saepe soles, exigis ut recitent,
21 Interdum queritur tua mens, oblita quid absit?
Nescio quid certe sentit abesse sui.
22 Vtque loqui de me multum praesente solebas,
Nunc quoque Nasonis nomen in ore tuo est?
23 Ipse quidem Getico peream violatus ab arcu;
Et sit periuri quam prope poena vides;
24 Te nisi momentis video paene omnibus absens.
Gratia Dis, menti quolibet ire licet.

16 *Exemplo meo.* || Quia saepe aliquid compono, et ad te scribo. || *Nisi dedignaris id ipsum.* Nisi indignum putas me imitari, et ad me tua scripta mittere. || *Quod nobis.* Quod exemplum rectius tu ipse potes mihi praestare, ut me maior et nobilior.

17 *Qui perii.* Qui iam ante relegatus sum || *Ingenio.* Scribo ad vos saepius, et eo pacto conor vobis absentibus, tamquam praesentibus frui, et videri esse vobiscum, et non in exilio.

18 *Redde vicem.* Fac tu idem vicissim ad me etiam scribendo. || *Nec rara.* Monumenta rara tui laboris, hoc est, literas tuas.

19 *Plene studiorum meorum.* Plene meorum carminum, quae multa ad te misi. Vel, plene studiorum artis poëticae, quam a me didicisti. Id quod inferius apertius etiam exprimit. || *Ab his ipsis.* Ab his meis studiis. || *Admoneare mei.* Mei erga te animi moneri te sentias.

21 *Oblit quid absit.* Quod eius, hoc est mei, qui absum a te, obliviscatur.

23 *Ab arcu Getico.* A sagittis, quibus Getae perite utuntur. || *Periuri.* Mei falso iurantis. Vt dicat: Afficiar ea poena, qua falso iurantes afficiuntur. || *Quam prope vides.* Qua poena, ut scilicet sagittis Geticis confodiar, pene vides me affici: nam Getae infestant quotidie haec loca ubi sum, et parum a morte disto.

25 Hac ubi perveni, nulli cernendus, in Vrbem,
Saepe loquor tecum; saepe loquente fruor.
26 Tum mihi difficile est, quam sit bene, dicere; quamque
Candida iudiciis hora sit illa meis.
27 Tum me, si qua fides, caelesti sede receptum
Cum fortunatis suspicor esse Deis.
28 Rursus, ut huc redii, caelum Superosque relinquo.
A Styge nec longe Pontica distat humus.
29 Vnde ego si fato nitor prohibente reverti:
Spem sine profectu, Maxime, tolle mihi.

EPISTOLA VI.

AMICORVM CVIDAM.

Argvmentvm. Ad amicum quemdam, qui nolebat a Poëta in scriptis suis propter Augustum nominari, hanc epistolam scribit, colligitque nihil timendum esse, quandoquidem Caesare nihil sit clementius: tamen pollicetur se non ulterius eius nomen monumentis suis inserturum. Postremo rogat, ut siquidem tuto non possit eum aperte amare, latenter saltem amicitiae velit meminisse.

1 Naso suo, nomen posuit cui paene, sodali
Mittit ab Euxinis hoc breve carmen aquis.

25 *Hac*. Scilicet, mente mea.

26 *Sit candida*. Sit felix et benigna || *Illa hora*. Illud tempus, quo tecum esse videor. || *Meis iudiciis*. Meis cogitationibus, iudicando de animo erga me tuo.

27 *Si qua fides*. Si quid mihi creditur.

28 *A Styge*. Ab inferis. || *Non longe distat*. Non est multum dissimilis.

29 *Vnde*. A qua terra Pontica. || *Si nitor reverti* Si conor Romam redire. || *Fato prohibente*. Diis nolentibus. || *Tolle spem mihi*. Adime, hanc mihi spem redeundi, ostendendo per literas non posse fieri, ut redeam. || *Sine profectu*. Quae spes nihil profectura est.

1 *Paene*. Cuius nomen paene expressit. || *Ab aquis Euxinis*. A Pontica regione

2 At si cauta parum scripsisset dextra, quis esses,
Forsitan officio parta querela foret.
3 Cur tamen, hoc aliis tutum credentibus, unus,
Appellent ne te carmina nostra, rogas?
4 Quanta sit in media clementia Caesaris ira,
Ex me, si nescis, certior esse potes.
5 Huic ego, quam patior, nil possem demere poenae,
Si iudex meriti cogerer esse mei.
6 Non vetat ille sui quemquam meminisse sodalis:
Nec prohibet tibi me scribere, teque mihi.
7 Nec scelus admittas, si consoleris amicum:
Mollibus et verbis aspera fata leves.
8 Cur, dum tuta times, facis ut reverentia talis
Fiat in Augustos invidiosa Deos?
9 Fulminis afflatos interdum vivere telis
Vidimus, et refici, non prohibente Iove.
10 Nec, quia Neptunus navem lacerarat Vlixis,
Leucothëe nanti ferre negavit opem.
11 Crede mihi, miseris caelestia numina parcunt:
Nec semper laesos, et sine fine, premunt.

2 *Officio.* Dum crederem esse officiosus. || *Forsitan foret parta.* Forsitan foret acquisita: quia de me fortasse quereris.

3 *Aliis credentibus tutum.* Aliis existimantibus non esse timendum, et ideo tutum. || *Hoc.* Scilicet nomen ponere meis scriptis. || *Vnus.* Solus.

4 *Ex me.* Quia quum essem meritus maius supplicium, ille clementius mecum egit, meque tantum relegavit.

7 *Mollibus verbis.* Placito et dulci sermone. || *Aspera fata.* Infortunia mea. || *Leves.* Imminuas.

8 *Dum times tuta.* Dum formidas ea, quae non possunt te laedere. || *Vt talis reverentia.* Vt talis erga Augustum honor et timor. || *Fiat invidiosa.* Invidiam illis et detractionem conciliet. || *In Deos Augustos.* Augustum et eius filios.

9 *Afflatos telis.* Fulmine percussos.

10 *Nec quia.* Notum est, Neptunum insequutum fuisse Vlyssen, propterea quod eius filium Polyphemum occaeverat, cui naufrago et natanti Leucothoe maris nympha opem tulit, eumque servavit. Quo exemplo docet Augustum minime offendi, si quis fuerit sibi amicus: quandoquidem nec Neptunus iratus est, quod Leucothoe Vlyssi naufrago auxiliata fuit.

12 Principe nec nostro Deus est moderatior ullus.
Iustitia vires temperat ille suas.
13 Nuper eam Caesar facto de marmore templo,
Iampridem posuit mentis in aede suae.
14 Iupiter in multos temeraria fulmina torquet,
Qui poenam culpa non meruere pari.
15 Obruerit saevis cum tot Deus aequoris undis,
Ex illis mergi pars quota digna fuit?
16 Cum pereant acie fortissima quaeque, vel ipso
Iudice, delectus Martis iniquus erit.
17 At, si forte velis in nos inquirere, nemo est,
Qui se, quod patitur, commeruisse neget.
18 Ad, quod exstinctos vel aqua, vel Marte, vel igni,
Nulla potest iterum restituisse dies.
19 Restituit multos, aut poenae parte levavit
Caesar; et in multis me velit esse precor.
20 An tu, cum tali populus sub Principe simus,
Alloquio profugi credis inesse metum?

12 *Temperat iustitia* Moderatur Clementia.

13 *Eam.* Scilicet *iustitiam.* Augustus enim Iustitiae templum marmoreum erexit Romae. || *In aede suae mentis.* In thesauro sui pectoris: hoc est, multo antequam aedificaret aedem Romae, colebat ipsam Deam.

14 *Fulmina temeraria.* Fulmina temere et sine consilio iacta.

15 *Deus aequoris.* Neptunus. || *Vndis obruerit.* Vndis immerserit. || *Tot.* Scilicet homines.

16 *Vel ipso iudice.* Vel iudice Marte. || *Delectus Martis.* Electio ipsa Martis, qui fortissimos tantum facit in bello cadere, ignavi vero servantur. || *Erit iniquus.* Erit iniustus: quia fortes tantum perimit.

17 *In nos.* In nos Romanos.

18 *Vel aqua.* Vel mari. || *Vel Marte.* Vel in praelio. || *Vel igni.* Vel fulmine.

19 *Restituit multos.* Multis poenam illatam Caesar ademit, aut totam, aut ex parte || *Et in multis.* Et oro ut me faciat esse in eorum numero, quos restituit, aut quibus partem poenae ademit.

20 *An tu.* An tu, ad quem scribo suppresso nomine. || *Cum populus.* Cum nos Romani. || *Simus sub Principe.* Simus sub tam clemente imperatore. || *Alloquio profugi.* Alloquendo hominem profugum, et me relegatum.

21 Forsitan haec domino Brusiride iure timeres,
Aut solito clausos urere in aere viros.
22 Desine mitem animum vano infamare timore.
Saeva quid in placidis saxa vereris aquis?
23 Ipse ego, quod primo scripsi sine nomine vobis;
Vix excusari posse mihi videor.
24 Sed pavor attonito rationis ademerat usum:
Cesserat omne novis consiliumque malis.
25 Fortunamque meam metuens, non vindicis iram,
Terrebar titulo nominis ipse mei.
26 Hactenus admonitus memori concede poëtae,
Ponat ut in chartis nomina cara suis.
27 Turpe erit ambobus, longo mihi proximus usu
Si nulla libri parte legare mei.
28 Ne tamen iste metus somnos tibi rumpere possit;
Non ultra, quam vis, officiosus ero.
29 Teque tegam, qui sis: nisi cum permiseris ipse.
Cogetur nemo munus habere meum.
20 Tu modo, quem poteras vel aperte tutus amare,
Si res est anceps ista, latenter ama.

21 *Domino Busiride.* Si haberemus talem dominum, qualis fuit Busiris rex Aegypti crudelissimus. || *Aut solito urere clausos.* Aut domino Phalaride, qui in aereo tauro igni subdito homines necabat.

24 *Ademerat usum rationis.* Fecerat me rationis expertem. || *Attonito.* Mihi stupenti hac mea ruina. || *Cesserat.* Recesserat.

25 *Fortunam meam.* Meum infortunium. || *Non iram vindicis.* Non iram Augusti vindicantis iniuriam a me acceptam. || *Terrebar titulo.* Quia non audebam facere mentionem mei nominis in meis libellis.

26 *Admonitus.* Tu a me doctus multis rationibus. || *Memori poëtae.* Mihi Ovidio tui non oblito.

27 *Ambobus.* Et tibi et mihi || *Si proximus mihi longo usu.* Si tu mihi coniunctus longa consuetudine, et amore.

28 *Rumpere somnos.* Reddere sollicitum. || *Ero officiosus.* Ero plenus officii, et diligens in ponendo tuo nomine.

29 *Teque tegam.* Et te celabo. || *Nisi cum permiseris ipse.* Nisi cum ipse concesseris te non tegi.

30 *Si ista res est anceps.* Si res ista est dubia et periculosa, ut me aperte diligas. || *Latenter ama.* Me clam dilige, et non aperte.

EPISTOLA VII.

AMICIS.

ARGVMENTVM. Ad amicos e Ponto scribens Poëta, ab eis queritur, quod suis precibus nullus iam finis imponatur; sibique, quum antea variis epistolis ab eisdem petierit, ut scilicet eorum opera aut reditus, aut mitius exsilium ab Augusto impetretur, dicit iam verba deesse, variandamque nunc esse materiam, ne illis molestus sit, ac etiam uxori, quae prae timore non audet sibi opem ferre. Ea autem omnia sibi ferenda aequo animo proponit, quandoquidem maiora etiam tulerit. Postremo in exsilio sibi moriendum esse colligit.

1 Verba mihi desunt eadem tam saepe roganti,
Iamque pudet vanas fine carere preces.
2 Taedia consimili fieri de carmine vobis,
Quidque petam, cunctos edidicisse reor. (vis
3 Nostraque quid portet iam nostis epistola, quam-
Charta sit a vinclis non labefacta suis.
4 Ergo mutetur nostri sententia scripti,
Ne toties contra, quam rapit amnis, eam.
5 Quod bene de vobis speravi, ignoscite, amici:
Talia peccandi iam mihi finis erit.

1 *Eadem.* Illa ipsa, quae toties rogavi.|| *Vanas.* Irritas, et incassum missas. || *Fine carere.* Nunquam ad exitum et finem perduci, sed semper idem precari.

2 *Taedia fieri.* Subaudi, pudet.|| *De consimili carmine.* Eiusdem semper similitudinis et materiae. Nam eadem res saepius iterata, et toties inculcata, taedium habet. || *Quid petam.* Vel reditum, vel mitius exsilium.|| *Cunctos.* Vos omnes amicos.

4 *Scripti sententia nostri.* Institutum scribendi genus, quo hactenus usus sum.

5 *Peccandi talia.* Committendi tale crimen: si crimen dicendum est, bene sperare de amicis || *Finis erit.* Iam finem imponam: quia de hac re nunquam ulterius ad vos scribam, me vobis commendando.

6 Nec gravis uxori dicar: quae scilicet in me (rum.
Quam proba, tam timida est, experiensque pa-
7 Haec quoque, Naso, feres: etenim peiora tulisti.
Iam tibi sentiri sarcina nulla potest.
8 Ductus ab armento taurus detrectat aratrum:
Subtrahit et duro colla novella iugo.
9 Nos, quibus assuevit fatum crudeliter uti,
Ad mala iam pridem non sumus ulla rudes.
10 Venimus in Geticos fines; moriamur in illis:
Parcaque ad extremum, qua mea coepit, eat. (per;
11 Spem iuvet amplecti; quae non iuvat irrita sem-
Et fieri cupias si qua, futura putes. (lutem,
12 Proximus huic gradus est; bene desperare sa-
Seque semel vera scire perisse fide.
13 Curando fieri quaedam maiora videmus
Vulnera, quae melius non tetigisse fuit.
14 Mitius ille perit, subita qui mergitur unda;
Quam sua qui tumidis brachia lassat aquis.
15 Cur ego concepi Scythicis me posse carere
Finibus, et terra prosperiore frui?
16 Cur aliquid de me speravi lenius unquam?
An Fortuna mihi sic mea nota fuit?

6 *Vxori.* Nec ero ulterius molestus uxori meae, ad eam idem etiam scribendo.|| *Experiens.* Solers.

7 *Haec quoque Naso feres.* Seipsum alloquitur, dicens se etiam laturum ea esse, siquidem multo peiora tulit.

8 *Ductus ab armento taurus.* Taurus indomitus aratro admotus. *Armentum* vero multitudo pecorum maiorum est, *grex* minorum, proprie || *Detrectat.* Recusat.|| *Et subtrahit.* Et removet. || *Colla iugo.* Iugo quod sibi durum et difficile videtur. || *Novella.* Colla primum ad aratrum venientia.

9 *Fatum.* Deorum voluntas. || *Vti crudeliter.* Crudeliter tractare. || *Rudes.* Non sumus novi, sed duri et inveterati.

14 *Subita unda.* Celeri morte in fluctibus. || *Quam qui lassat sua brachia* Quam qui natando fatigatur ne pereat, et tamen tandem perit.

15 *Cur ego concepi.* Cur cogitavi. || *Posse carere.* Posse me e Scythia removeri. || *Prosperiore.* Magis benigna.

17 Torqueor en gravius: repetitaque forma locorum
Exsilium renovat triste, recensque facit.
18 Est tamen utilius, studium cessasse meorum:
Quam, quas admorint, non valuisse preces.
19 Magna quidem res est, quam non audetis, amici:
Sed si quis peteret, qui dare vellet, erat.
20 Dummodo non vobis hoc Caesaris ira negarit ;
Fortiter Euxinis immoriemur aquis.

EPISTOLA VIII.

MAXIMO.

ARGVMENTVM. Ad Maximum Poëta pharetram cum sagittis a Scythia mittens, ostendit se nullum aliud munus habere, rogans eum, ut id accipiat, et qualecumque boni consulat.

1 Quae tibi, quaerebam, memorem testantia cu-
Dona Tomitanus mittere posset ager. (ram
2 Dignus es argento, fulvo quoque dignior auro:
Sed te, cum donas, ista iuvare solent.
3 Nec tamen haec loca sunt ullo pretiosa metallo.
Hostis ab agricola vix sinit illa fodi.

17 *Torqueor en gravius.* En gravius angor, quam primo. || *Repetita.* In memoriam reducta.|| *Forma locorum.* Species ipsa Romanae civitatis. || *Exsilium renovat.* Facit exsilium meum novum videri.

18 *Studium meorum.* Consensum et favorem amicorum. || *Cessasse.* Nihil tentasse de reditu meo apud Augustum. || *Non valuisse.* Nihil mihi profuisse apud Augustum.

20 *Hoc.* Scilicet mori in Scythia. || *Fortiter.* Forti et constanti animo. || *Aquis Euxinis.* In Tomitana civitate, proxima mari Pontico, quod Euxinum dicunt.

1 *Curam memorem.* Quae testarentur curam hominis tui memoris.

2 *Ista.* Sed aurum et argentum magis soles donare aliis, quam accipere.

3 *Hostis ab agricola.* Vix, inquit, Scythae hostes Tomitani populi permittunt agrum coli.

4 Purpura saepe tuos fulgens praetexit amictus:
Sed non Sarmatica tingitur illa manu.
5 Vellera dura ferunt pecudes, et Palladis uti
Arte Tomitanae non didicere nurus.
6 Femina pro lana Cerealia munera frangit:
Suppositoque gravem vertice portat aquam.
7 Non hic pampineis amicitur vitibus ulmus:
Nulla premunt ramos pondere poma suo.
8 Tristia deformes pariunt absinthia campi,
Terraque de fructu quam sit amara docet.
9 Nil igitur tota Ponti regione sinistri,
Quod mea sedulitas mittere posset, erat.
10 Clausa tamen misi Scythica tibi tela pharetra:
Hoste precor fiant illa cruenta tuo. (bellos.
11 Hos habet haec calamos, hos haec habent ora li-
Haec viget in nostris, Maxime, Musa locis. (tur,
12 Quae quamquam misisse pudet, quia parva viden-
Tu tamen haec, quaeso, consule missa boni.

4 *Purpura.* Toga purpurea. || *Praetexit.* Velavit. || *Tuos amictus.* Tuas vestes, quae gestabantur sub ipsa toga.

5 *Vellera dura.* Lanas villi crassioris, et pexis vestibus alienas, quales sunt in Istria et Liburnia. || *Arte Palladis.* Arte Lanificii cui praeest Pallas || *Tomitanae nurus.* Foeminae Tomitanae civitatis.

6 *Frangit Cerealia munera.* Molit frumenta. || *Pro lana.* Loco lanificii || *Supposito vertice.* Supposito capite ferunt aquam. || *Gravem aquam.* Grave vas aquae.

7 *Hic.* In agro Tomitano || *Amicitur.* Integitur, maritatur. || *Pampineis vitibus.* Vitibus pampinos in palmitibus habentibus.

8 *Tristia absinthia.* Amara absinthia: quae herba vulgo in Scythicis campis nascebatur. || *Deformes campi.* Campi inculti. || *De fructu.* De absinthio, herba amara. || *Amara.* Misera

9 *Ponti sinistri.* Ponticae regionis infelicis, ad laevam Euxini maris sita || *Mea sedulitas* Meum studium et diligentia in perquirendo aliquo munere te digno.

10 *Clausa pharetra.* Inclusa in ipsa theca. || *Tela Scythica.* Sagittas quibus Scythae utuntur.

11 *Hos calamos* Haec scribendi instrumenta. Nam Romani calamis scribunt; Scythae vero sagittas faciunt, quas quotidie tractant, ut nos Romani libros et calamos || *Haec Musa.* Tale studium.

12 *Haec missa.* Haec dona ad te data || *Consule boni.* In bonam partem accipias.

EPISTOLA IX.

BRVTO.

ARGVMENTVM. Ad Ovidium scripserat Brutus, quemdam carpere sua carmina, quod in his nihil aliud contineretur, quam querela locorum, in quibus exsulabat, rogaretque, ut frueretur propiore terra; cui Poëta respondet, dicens in suis carminibus plura esse vitia: foreque bene si unum tantum vitium in iis deprehenderetur. Cur autem ea non emendet, caussas assignat. Postremo respondens ad ea, quae Brutus scripserat, rationem refert quare idem saepius scripserit.

1 Quod sit in his eadem sententia, Brute, libel-
Carmina nescio quem carpere nostra refers: (lis,
2 Nil nisi me terra fruar ut propiore rogare;
Et, quam sim denso cinctus ab hoste, queri.
3 O quam de multis vitium reprehenditur unum!
Hoc peccat solum si mea Musa, bene est.
4 Ipse ego librorum video delicta meorum;
Cum sua plus iusto carmina quisque probet.
5 Auctor opus laudat. Sic forsitan Agrius olim
Thersiten facie dixerit esse bona.
6 Iudicium tamen hic nostrum non decipit error;
Nec, quidquid genui, protinus illud amo.

1 *Eadem sententia.* Eadem materia qua usus sum etiam in reliquis huius operis libellis.|| *Carpere.* Reprehendere.

2 *Fruar propiore terra.* Romanae urbis propius mihi exsilium assignetur.|| *Ab hoste denso.* A frequenti Scytharum acie, quae Tomitanam urbem infestat.

3 *Peccat hoc solum.* Hoc unum crimen admittit.|| *Bene est.* Bene se res habet.

4 *Delicta.* Errores.|| *Plus iusto.* Plusquam aequum sit.

5 *Thersiten.* Graecum illum turpissimum, quem pugno percussum, Vlysses occidit.|| *Facie bona.* Pulchra et eleganti facie

6 *Quidquid genui.* Quidquid composui.

7 Cur igitur, si me videam delinquere, peccem,
Et patiar scripto crimen inesse, rogas:
8 Non eadem ratio est sentire et demere morbos.
Sensus inest cunctis; tollitur arte malum.
9 Saepe aliquod cupiens verbum mutare, relinquo:
Iudicium vires destituuntque meum.
10 Saepe piget, quid enim dubitem tibi vera fateri?
Corrigere, et longi ferre laboris onus.
11 Scribentem iuvat ipse favor, minuitque laborem;
Cumque suo crescens pectore fervet opus.
12 Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
Magnus Aristarcho maior Homerus erat.
13 Sic animum lento curarum frigore laedit,
Vt cupidi cursor frena retentat equi.
14 Atque ita Dî mites minuant mihi Caesaris iram,
Ossaque pacata nostra tegantur humo;

7 *Si me videam delinquere.* Si cognosco me errare. || *Crimen.* Errorem.

8 *Non eadem ratio est.* Non idem est modus. || *Sentire et demere morbos.* Cognoscere et curare infirmitates. || *Sensus inest cunctis.* Omnibus est intelligentia. || *Tollitur arte malum.* Vitium carminis non indiget solum ut deprehendatur, sed arte opus est, quae non potest nisi a laeto animo proficisci.

11 *Scribentem.* Poëtam componentem.|| *Ipse favor.* Populi Sophos illud grande, quo delectabantur animi gloriae et laudis cupidi. || *Minuitque laborem* Et levat corrigendi difficultatem.|| *Cum suo pectore.* Cum sua mente, quae inflatur furore poëtico: vel cum sua doctrina et stimulis furoris, qui in pectore et corde excitantur. || *Fervet.* Calore animi et gloriae accenditur, augescit, aut frequentatur.

12 *Magis ardua.* Magis difficilis, quam scilicet componere.|| *Aristarcho.* Aristarchus Homeri interpres, qui fuit optimus grammaticus Alexandrinus. Aelianus tradit hunc tam castigato fuisse iudicio, ut Homeri versus non putaretur, quem ipse non probaret. Hinc scriptorum alienorum censores et iudices proverbio *Aristarchi* appellantur.

13 *Laedit animum.* Mentem gravat et molestia afficit.|| *Lento frigore curarum.* Quadam pigritia curarum, quae animum lentum laedunt.|| *Vt cupidi cursor.* Sicut frena retentant equum cupidum cursus. || *Retentat.* Remoratur.

14 *Di mites.* Dii placidi.|| *Pacata humo.* Terra pacifica.

15 Vt mihi conanti nonnunquam intendere curas,
Fortunae species obstat acerba meae.
16 Vixque mihi videor, faciam quod carmina, sanus;
Inque feris curem corrigere illa Getis.
17 Nil tamen e scriptis magis excusabile nostris,
Quam sensus cunctis paene quod unus inest.
18 Laeta fere laetus cecini, cano tristia tristis.
Conveniens operi tempus utrumque suo est.
19 Quid, nisi de vitio scribam regionis amarae?
Vtque solo moriar commodiore, precer?
20 Cum toties eadem dicam, vix audior ulli:
Verbaque profectu dissimulata carent. (isdem:
21 Et tamen haec eadem cum sint, non scribimus
Vnaque per plures vox mea tentat opem.
22 An, ne bis sensum lector reperiret eundem,
Vnus amicorum, Brute, rogandus erat?
23 Non fuit hoc tanti; confesso ignoscite, docti.
Vilior est operis fama salute mea.

15 *Intendere curas.* Mihi applicanti animum ad corrigendum. || *Fortunae meae.* Mei exsilii || *Acerba species.* Tristis forma.

16 *Sanus.* Sanae mentis, quandoquidem scribo carmina, quae solent provenire non nisi ab animo sereno.

17 *Quam quod unus sensus.* Quam quod una et eadem sententia tristis et lugubris. || *Paene inest cunctis.* Quasi inest omnibus meis scriptis.

18 *Laeta.* Res plenas laetitia. || *Laetus.* Nondum relegatus. || *Tristia.* Res luctuosas.

19 *Regionis amarae.* Regionis Ponticae plenae amaritudinis.

20 *Vix audior ulli.* Vix ullus amicus me auscultat ea querentem, nedum opem fert || *Verba dissimulata.* Verba mea, quae amici dissimulant: et ostendunt aut non accepisse literas meas, aut verba mea non intellexisse. || *Carent profectu.* Quia nihil mihi proficiunt.

21 *Per plures* Per diversas vias. || *Tentat opem.* Quaerit auxilium, cum me commendo omnibus amicis.

23 *Non fuit hoc tanti.* Non tanti facio scilicet idem ad unum tantum scribere. || *Fama operis.* Fama quam consequerer opus scribendo, quod varias materias complecteretur. || *Salute mea.* Meo reditu in patriam, cuius rei gratia haec scribo, quae continentur in hoc opere.

24 Denique materiae, quam quis sibi finxerit ipse,
Arbitrio variat multa poëta suo.
25 Musa mea est index nimium quoque vera malorum;
Atque incorruptae pondera testis habet.
26 Nec liber ut fieret, sed uti sua cuique daretur
Litera, propositum curaque nostra fuit.
27 Postmodo collectas, utcunque sine ordine, iunxi:
Hoc opus electum ne mihi forte putes.
28 Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Caussa, sed utilitas officiumque, fuit.

24 *Denique materiae* Ostendit licere aliis poëtis, uti varietate in scribendo poëmata, quod sibi non licet. || *Quam quis sibi finxerit.* Quam sibi aliquis poëta ficte scribendam susceperit, non veram, ut mea est.

25 *Pondera testis incorrupti.* Efficaciam hominis in testificandis et comprobandis illis minime aut prece aut precio corrupti.

26 *Sua litera.* Sua epistola.|| *Curaque nostra.* Et nostra solicitudo ac mens.

27 *Collectas.* Literas istas. || *Utcunque.* Qualitercunque potui.|| *Electum mihi.* Collectum a me, eligendo tantum bonas epistolas, et suo quemque ordine digerendo.

28 *Da veniam scriptis.* Ignosce huic operi. || *Non gloria.* Quia non scripsi haec gloriae cupiditate. || *Sed utilitas.* Quia scripsi eam ob caussam, ut scribendo reditum procurarem. || *Officium.* Et ut in re mea facerem quod deberem.

P. OVIDII NASONIS

EPISTOLARVM EX PONTO

LIBER QVARTVS.

EPISTOLA I.

SEXTO POMPEIO.

ARGVMENTVM. Ad Sextum Pompeium scribens Poëta, impium esse dicit, quod nusquam illum in suis scriptis nominaverit, quandoquidem eius erga se beneficia tanta sint, ut nulli oblivioni tradi debeant. Postremo fatetur, se servatum esse eius opera, eiusque munere se vivere.

1 Accipe, Pompeï, deductum carmen ab illo,
Debitor est vitae qui tibi, Sexte, suae.
2 Qui si non prohibes a me tua nomina poni,
Accedet meritis haec quoque summa tuis.
3 Sive trahis vultus; equidem peccasse fatebor.
Delicti tamen est caussa probanda mei.

1 *Carmen deductum.* Carmen subtile et tenue. Translatio est a lana, quae in tenuitatem deducitur. || *Ab illo, qui.* A me Ovidio, qui vitam meam tibi acceptam refero.

3 *Sive trahis vultus.* Sive frontem contrahis, et irasceris, quod ponam in meis scriptis tua nomina. || *Caussa mei delicti.* Caussa huius mei peccati, quod ponam tua nomina in meis scriptis contra tuam voluntatem. || *Est probanda.* Est laudanda: quia cupio te immortalem fieri meis carminibus; non autem, ut te laedam.

4 Non potuit mea mens, quin esset grata, teneri.
Sit precor officio non gravis ira pio.
5 O quoties ego sum libris mihi visus in istis
Impius, in nullo quod legerere loco!
6 O quoties, alii vellem cum scribere, nomen
Retulit in ceras inscia dextra tuum!
7 Ipse mihi placuit mendis in talibus error:
Et vix invita facta litura manu est.
8 Viderit ad summum, dixi. Licet ipse queratur;
Hanc pudet offensam non meruisse prius!
9 Da mihi, si quid ea est, hebetantem pectora Lethen
Oblitus potero non tamen esse tui.
10 Idque sinas oro: nec fastidita repellas
Verba: nec officio crimen inesse putes.
11 Et levis haec meritis referatur gratia tantis.
Sin minus; invito te quoque gratus ero.

4 *Non potuit teneri.* Non potuit cohiberi. || *Esset quin grata.* Quod non gratitudinem tuorum officiorum aliqua ex parte testaretur. || *Officio pio.* Huic officiosae pietati erga te.

5 *In istis libris.* In hoc de Ponto opere. || *In nullo loco.* In nulla pagina.

6 *Nomen.* Scilicet eorum ad quos scribebam. || *Retulit.* Posuit. || *In ceras.* In tabulas ceratas. || *Dextra inscia.* Manus mea ignara, quod nomen tuum poneret.

7 *Ipse error.* Eiusmodi inscitia dextrae ponentis nomen tuum, cum ad alios vellem scribere. || *In talibus mendis.* In eiusmodi erroribus. || *Et litura.* Expunctio nominis tui. || *Manu invita.* Manu recusante delere nomen tuum.

8 *Ad summum.* Postremo. *Dixi* cohaeret cum voce *summum.* || *Licet ipse queratur.* Licet de me queri possit, quod eum nomino. || *Offensam non meruisse prius.* Non multo antea posuisse tuum nomen, et te ita laesisse.

9 *Da mihi Lethen.* Da mihi fluvium illum, qui oblivionem inducit. || *Hebetantem pectora.* Pectora obtusa ac obliviosa reddentem. || *Si quid ea est.* Si verum est quod hoc flumen sit apud inferos.

10 *Idque sinas oro.* Et precor, ut id permittas, me tui non oblivisci. || *Nec repellas.* Nec reiicias verba mea, tuum nomen complectentia, tanquam rem molestam. || *Officio.* Pietati huic erga te meae.

11 *Et haec levis gratia.* Et haec parva gratitudo, quod nomen tuum consecro immortalitati. || *Referatur tantis meritis.* Reddatur tantis tuis

12 Nunquam pigra fuit nostris tua gratia rebus :
Nec mihi munificas area negavit opes.
13 Nunc quoque nil subitis clementia territa fatis
Auxilium vitae fertque feretque meae.
14 Vnde, roges forsan, fiducia tanta futuri
Sit mihi: quod fecit quisque tuetur opus.
15 Vt Venus artificis labor est et gloria Coi,
Aequoreo madidas quae premit imbre comas:
16 Arcis ut Actaeae vel eburna vel aenea custos
Bellica Phidiaca stat Dea facta manu:
17 Vindicat ut Calamis laudem, quos fecit, equorum;
Vt similis verae vacca Myronis opus;
18 Sic ego pars rerum non ultima, Sexte, tuarum;
Tutelaeque feror munus opusque tuae.

erga me officiis: quandoquidem aliter non possum. || *Sin minus* Si non permiseris me referre hanc gratiam.

12 *Nunquam pigra fuit.* Nunquam defuit. || *Nostris rebus.* In nostris necessitatibus. || *Tua gratia.* Tuus favor et benevolentia. || *Munificas opes.* Divitias hominis munifici et liberalis.

13 *Subitis fatis.* Subito casu et infortunio meo, et hac relegatione. || *Clementia.* Lenitas tua. || *Fert.* Dat. || *Refertque.* Et iterum dat, hoc est, cumulate reddit.

14 *Futuri.* Futurae opis tuae.

15 *Vt Venus.* Venerem illam celebrem intelligit, quam pinxit Apelles Cous e mari exeuntem. || *Artificis Coi.* Apellis Coi pictoris. || *Labor est.* Opus est. || *Quae premit comas.* Quae capillos premere videbatur, et aquam exprimere. || *Madidas imbre.* Madefactos capillos aqua aequoris, unde videbatur emergere. E mari enim natam Venerem fabulantur poëtae.

16 *Arcis Actaeae.* Arcis Athenarum, in qua fuit Minervae simulacrum, de quo fama increbuit, quod de caelo ceciderit. || *Custos bellica.* Dea belli Minerva, arcium custos, et praeses. || *Stat.* Non sedet, sed erecta et stans posita fuit. || *Manu Phidiaca.* Manu Phidiae Atheniensis, qui floruit olympiade LXXXIII, circiter CCC Romanae urbis anno.

17 *Vindicat ut Calamis.* Calamis sui temporis egregius artifex: fecit enim quadrigas maxime celebres. || *Myronis.* Myron statuarius Eleutheris natus, bucula facta maxime celebratus est. || *Similis verae.* Similis vaccae vivae.

18 *Non ultima.* Non postrema res, sed inter tuas numeranda. || *Tutelae* Defensionis tuae.

EPISTOLA II.

SEVERO.

Argumentum. Ad Severum poëtam hanc epistolam scribit Ovidius, se multis rationibus excusans, quod nondum eius nomen suis scriptis celebrarit, quamvis tamen nunquam cessaverit ad eum epistolas soluta oratione scriptas mittere.

1 Quod legis, o vates magnorum maxime regum,
Venit ab intonsis usque, Severe, Getis.
2 Cuius adhuc nomen nostros tacuisse libellos,
Si modo permittis dicere vera, pudet.
3 Orba tamen numeris cessavit epistola nunquam
Ire per alternas officiosa vices.
4 Carmina sola tibi memorem testantia curam
Non data sunt. Quid enim, quae facis ipse, darem?
5 Quis mel Aristaeo, quis Baccho vina Falerno,
Triptolemo fruges, poma det Alcinoo?

1 *Quod legis*. Hanc scilicet epistolam. || *Magnorum maxime regum*. Poëtarum, qui de regibus magnis in Tragoediis suis scripserunt. || *Ab intonsis Getis*. Ab incultis et impexis illis populis, qui capillum et barbam promittebant, erantque aspectu horridi et formidabiles.

3 *Orba numeris*. Carens pedibus: h. e. soluta oratione. || *Cessavit ire*. Nunquam intermissa est. || *Per alternas vices*. Vicissim et alternatim missa.

4 *Curam memorem*. Amorem hominis tui memoris. || *Quae facis ipse darem*. Cur debeo tibi ea afferre, quorum tu es optimus artifex.

5 *Quis mel Aristaeo*. Aristaeus Apollinis et Cyrenes filius fuit, regnavitque in Arcadia, et primus apium, et mellis usum, et lactis ad coagula hominibus tradidisse, solstitialesque ortus sideris primus invenisse dicitur. || *Quis Baccho vina*. Subaudi per omnia, ab inferiori, verbum *Det*. *Falernum* autem pro omni vino. Bacchus sane primus apud Graecos vini usum repperit. || *Triptolemo fruges*. Ceres frumenti, quod forte inter alias herbas nascebatur ignotum caeteris, prima usum adinvenit; docuit-

6 Fertile pectus habes, interque Helicona colentes
Vberius nulli provenit ista seges. (vis,
7 Mittere carmen ad hunc, frondes erat addere sil-
Haec mihi cunctandi caussa, Severe, fuit.
8 Nec tamen ingenium nobis respondet, ut ante:
Sed siccum sterili vomere littus aro.
9 Scilicet ut limus venas excaecat in undis,
Laesaque suppresso fonte resistit aqua;
10 Pectora sic mea sunt limo vitiata malorum:
Et carmen vena pauperiore fluit.
11 Si quis in hac ipsum terra posuisset Homerum;
Esset, crede mihi, factus et ille Getes.
12 Da veniam fasso; studiis quoque frena remisi:
Ducitur et digitis litera rara meis.
13 Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit,
Qui prius in nobis esse solebat, abest.

que homines nascendi, servandique, et serendi modum. Triptolemo frumenti dedisse semen: mandasseque, ut cum omnibus id donum participans, modum seminandi monstraret. || *Poma det Alcinoo.* Alcinous rex Phaeacum, filius fuit Nausithoi: hortos habuit cultissimos.

6 *Fertile pectus habes.* Est tibi, inquit, abunde doctrina || *Inter colentes Helicona.* Inter poëtas colentes Musarum loca, ut est *Helicon*, mons Boeotiae. || *Ista seges.* Ista scientia artis poëticae.

7 *Ad hunc.* Ad te Severum doctissimum poëtam. || *Frondes addere silvis.* H. e. absurdâ res.

8 *Siccum littus* Materiam et campum sine humore.

9 *Excaecat venas.* Venas obturat. || *Et aqua laesa.* Et aqua occlusa ipso limo || *Suppresso fonte.* Remorato aquarum impetu et copia. || *Resistit.* Reluctatur, difficile et vix paullatim erumpendo.

10 *Limo malorum.* Aggeratione incommodorum. || *Vena pauperiore.* Vena minus divite, et tanquam malis occlusa.

11 *In hac terra.* In Tomitana civitate. || *Homerum.* Poëtarum celeberrimus. || *Esset factus Getes.* Redditus fuisset poëtices quasi expers, ut sunt Getae, quorum terras ego incolo.

12 *Frena remisi.* Intermisi etiam studium literarum. || *Ducitur* Scribitur || *Litera rara.* Carmen raro a me factum.

13 *Impetus ille sacer.* Ille furor poëticus et Apollineus.

14 Vix venit ad partes, vix sumtae Musa tabellae
Imponit pigras paene coacta manus.
15 Parvaque, ne dicam scribendi nulla voluptas
Est mihi: nec numeris nectere verba iuvat.
16 Sive quod hinc fructus adeo non cepimus ullos,
Principium nostri res sit ut ista mali:
17 Sive quod in tenebris numerosos ponere gressus,
Quodque legas nulli, scribere carmen, idem est.
18 Excitat auditor studium: laudataque virtus
Crescit; et immensum gloria calcar habet.
19 Hic mea cui recitem, nisi flavis scripta Corallis,
Quasque alias gentes barbarus Ister habet?
20 Sed quid solus agam? quaeque infelicia perdam
Otia materia, surripiamque diem?
21 Nam quia nec vinum, nec me tenet alea fallax,
Per quae clam tacitum tempus abire solet;

14 *Vix venit ad partes.* Hoc est, vix ad officium suum redit. Officium autem Musae est, poëtae invocanti adesse. || *Vix imponit.* Vix tardas manus adhibet. || *Tabellae sumtae.* Chartae ad scribendum paratae.

15 *Nectere verba numeris.* Pedibus et numeris astringere. H. e. carmina componere.

16 *Hinc.* Ex his versibus. || *Vllos fructus.* Vllam utilitatem. || *Res ista.* Poëtica facultas.

17 *In tenebris.* In locis ubi non leguntur. || *Numerosos gressus.* Pedes suis numeris et gressibus astrictos. || *Ponere.* Scribendo collocare. || *Quod nulli legas.* Quod nulli recites.

18 *Excitat studium.* Excitat ardorem poëtae. || *Immensum calcar.* Immensum stimulum.

19 *Hic.* In Scythia. || *Mea scripta.* Mea Carmina. || *Nisi flavis Corallis.* Coralli populi fuere in ora Pontici maris. *Flavis* vel ad comam, et per hoc, feroces; vel ad reliqui corporis colorem alludere putandum.

20 *Solus.* Sine ullis amicis. || *Quaque materia.* Et quo genere oblectamenti. || *Perdam.* Consumam, teram. || *Otia infelicia.* Vacationes a studiis poëticis mei infelicis. || *Surripiamque diem.* Clam rapiam totum diem.

21 *Tacitum tempus.* Tempus quod sensim labitur, nec intelligitur.

22 Nec me, quod cuperem, si per fera bella liceret,
Oblectat cultu terra novata suo:
23 Quid, nisi Pierides, solatia frigida, restat,
Non bene de nobis quae meruere Deae?
24 At tu, cui bibitur felicius Aonius fons,
Vtiliter studium quod tibi cedit, ama,
25 Sacraque Musarum merito cole: quodque legamus
Huc aliquod curae mitte recentis opus.

EPISTOLA III.

AMICO INSTABILI.

ARGVMENTVM. Amicum suppresso nomine taxat, eiusque perfidiam ac levitatem ostendit, quod quum antea a teneris annis secum coniunctissime semper vixerit, tandem in adversa eius fortuna non modo eum deserat, sed etiam simulet se non agnoscere. Postremo illum monet, ut fortunae variantis vicissitudines et levitatem ante oculos ponat.

1 Conquerar, an taceam? ponam sine nomine cri-
An notum, qui sis, omnibus esse velim? (men?
2 Nomine non utar, ne commendere querela;
Quaeraturque tibi carmine fama meo.

22 *Suo cultu.* Sua cultura. || *Terra novata.* Terra innovatione proscissa.

23 *Solatia frigida.* Parvae et remissae consolationes.

24 *Bibitur felicius.* Foecundius et uberius hauritur quam a me. || *Aonius fons.* Cuius aquam potabant poëtae. || *Studium.* Studium poëticae artis. || *Quod tibi cedit.* Quod tibi favet.

25 *Huc.* In Scythiam. || *Opus recentis curae.* Novum opus, vel carmen recens ab illo compositum, quo legendo se oblectet.

1 *Sine nomine.* An debeo tantum crimen tuum suppresso nomine ostendere. || *Qui sis.* Quod sit nomen tuum: et te velut stigmate inustum, reddam notum omnibus.

2 *Ne commendere querela.* Ne lauderis, si de te querar.

3 Dum mea puppis erat valida fundata carina,
Qui mecum velles currere, primus eras.
4 Nunc, quia contraxit vultum Fortuna, recedis,
Auxilio postquam scis opus esse tuo.
5 Dissimulas etiam, nec me vis nosse videri:
Quisque sit, audito nomine, Naso, rogas.
6 Ille ego sum, quamquam non vis audire, vetusta
Paene puer puero iunctus amicitia.
7 Ille ego, qui primus tua seria nosse solebam,
Qui tibi iucundis primus adesse iocis.
8 Ille ego convictor, densoque domesticus usu:
Ille ego iudiciis unica Musa tuis.
9 Idem ego sum, qui nunc, an vivam, perfide, nescis?
Cura tibi de quo quaerere nulla fuit.
10 Sive fui nunquam carus, simulasse fateris:
Seu non fingebas, inveniere levis.
11 Aut age dic aliquam, quae te mutaverit, iram:
Nam nisi iusta tua est, iusta querela mea est.
12 Quae te consimilem res nunc vetat esse priori?
An crimen, coepi quod miser esse, vocas?

3 *Dum mea puppis.* Dum mea fortuna. || *Erat fundata.* Erat stabilita. || *Valida carina.* Firmo praesidio. || *Qui velles currere mecum.* Qui velles uti mea consuetudine.

4 *Contraxit vultum.* Irata est, et rugosa me facie coepit intueri. || *Recedis.* Me deseris, recedendo ab officio amicitiae.

8 *Convictor.* Qui simul tecum vivebam. || *Denso usu.* Frequenti consuetudine. || *Tuis iudiciis.* Quia ita de me iudicabas. || *Unica Musa.* Solus poëticae artis peritus.

9 *Idem ego sum.* Ordo est: O perfide, qui nunc nescis an vivam, ego sum ille, de quo nulla cura fuit tibi quaerere.

10 *Simulasse fateris.* Ostendis te finxisse amare, quem non amabas: et ideo inveniris simulator. || *Seu non fingebas.* Seu vere amabas: sed nunc me deserendo sine ulla culpa, levis etiam videris.

11 *Quae te mutaverit.* Quae te alienaverit.

12 *Quod coepi esse miser.* Quod coepi habere fortunam mihi adversam.

13 Si mihi rebus opem nullam factisque ferebas,
Venisset verbis charta notata tribus.
14 Vix equidem credo, sed et insultare iacenti
Te mihi, nec verbis parcere, Fama refert.
15 Quid facis, ah demens? cur, si Fortuna recedat,
Naufragio lacrimas eripis ipse tuo?
16 Haec Dea non stabili, quam sit levis, orbe fatetur,
Quem summum dubio sub pede semper habet.
17 Quolibet est folio, quamvis incertior aura,
Par illi levitas, improbe, sola tua est.
18 Omnia sunt hominum tenui pendentia filo;
Et subito casu, quae valuere, ruunt.
19 Divitis audita est cui non opulentia Croesi?
Nempe tamen vitam captus ab hoste tulit.
20 Ille Syracosia modo formidatus in urbe,
Vix humili duram repulit arte famem.
21 Quid fuerat Magno maius? tamen ille rogavit
Submissa fugiens voce clientis opem.

13 *Charta.* Saltem literam ad me misisses. || *Notata tribus verbis.* H. e. brevissima.

15 *Naufragio tuo.* Tuo aliquo infortunio, quod tibi potest contingere.||*Eripis lacrimas.* Amici enim si viderint quid contra me feceris, et quam fueris in me crudelis in hac mea calamitate, idem quoque mecum in te efficient.

16 *Haec Dea.* Fortuna ipsa. || *Non stabili orbe.* Pila volubili et vaga. || *Quam sit levis.* Quam sit volubilis. || *Quem habet semper.* Quae fortuna summam partem orbis et pilae tenet.||*Sub pede dubio.* Sub incerto pede et instabili.

18 *Omnia hominum.* Res omnes mortalium. || *Sunt pendentia.* Sunt nixa et sustentata.|| *Tenui filo.* Tenui retinaculo et firmamento. || *Et quae valuere.* Et quae fortia fuere. || *Ruunt.* Subito corruunt.

19 *Divitis audita est cui non opulentia Croesi.* Croesus rex fuit Lydiae potentissimus, ac ditissimus: in bello tamen victus et captus a Cyro Persarum rege, donatus est vita.

20 *Ille Syracosia.* Dionysium Siciliae tyrannum dicit, virum omni turpitudine repletum: qui Syracusis pulsus, Corinthi ludum aperuit, ac pueros docuit, sicque imperio carere non potuit. || *Humili arte.* Vili arte, docendo pueros.

21 *Quid fuerat Magno maius.* Pompeii etiam exemplo ostendit,

22 Cuique viro totus terrarum paruit orbis,
Indigus effectus omnibus ipse magis.
23 Ille Iugurthino clarus Cimbroque triumpho,
Quo victrix toties Consule Roma fuit:
24 In coeno latuit Marius, cannaque palustri:
Pertulit et tanto multa pudenda viro.
25 Ludit in humanis divina potentia rebus:
Et certam praesens vix habet hora fidem.
26 Littus ad Euxinum, si quis mihi diceret, ibis,
Et metues, arcu ne feriare Getae;
27 I, bibe, dixissem, purgantes pectora succos:
Quidquid et in tota nascitur Anticyra.

fortunam in rebus omnibus dominari, nec quidquam certi esse in hominum vita. || *Tamen ille rogavit.* Tamen ipse Pompeius post cladem acceptam in campis Pharsalicis a Caesare in Aegyptum fugit, ad opem Ptolomaei regis, cuius patrem in clientelam susceptum eo tempore, quo Romam venerat, multis beneficiis conciliaverat. || *Submissa voce.* Humili voce. || *Opem clientis.* Auxilium contra Caesarem, a rege Aegypti clientis sui.

22 *Cuique viro.* Sunt qui haec ad Magnum referant Alexandrum: sed magis placet ut ad Pompeium referantur, quem Poëta dicit factum esse magis indigum omnibus, propterea quod eius cadaver inhumatum iacuisset in littore Aegyptio. || *Effectus indigus.* Fuit factus egenus. Est autem ordo: Et ipse vir, cui totus orbis terrarum paruit, fuit effectus magis indigus omnibus.

23 *Ille Iugurthino clarus.* Marium intelligit, qui obscuro genere ortus in vico Arpinati, praeclarus fuit imperator, et Iugurtham Numidiae regem devicit. Sex consulatus, ut nemo alius, gessit. Postea a Sylla pulsus ex urbe, in Minturnensi palude delituit. || *Cimbroque triumpho.* Cimbri populi fuere Germanorum. Hi quum Romanorum fines invaderent, ac magna clade primum Romanos affecissent, a Mario in Italia in campo Caudio deleti sunt: ut Florus ac Plinius docent.

24 *In coeno Marius iacuit.* Marius in Campania delituit in limo, et in paludibus Minturnarum, quum Syllae rabiem effugeret. || *Pertulit et multa.* Et alia etiam expertus est, ut famem.

25 *Et praesens hora.* Et praesens temporis momentum. || *Vix habet certam fidem.* Vix certi quidquam, quod credi possit, continent.

27 *I bibe, dixissem.* Illum reiecissem tanquam insanum, et dignum purgari elleboro nigro, quae herba nascebatur plurima in Anticyra. || *Purgantes pectora succos.*

28 Sum tamen haec passus: nec si mortalia possem,
Et summi poteram tela cavere Dei.
29 Tu quoque fac timeas; et, quae tibi laeta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse puta.

EPISTOLA IV.

SEXTO POMPEIO.

ARGVMENTVM. Ad Sextum Pompeium scribens Poëta, nullam rem tam tristem esse dicit, quae non habeat aliquando aliquid laetitiae; quod sibi contigisse ostendit. Quum enim tristis in litore Pontico spatiaretur, fama ei nuntiavit, Sextum Pompeium consulem designatum esse: quam rem dicit maximam sibi laetitiam attulisse. Postmodo dolet non posse, cum magistratum inibit, pompae illi interesse. Postremo illum precatur, ut aliquando sui recordetur.

1 Nulla dies adeo est australibus humida nimbis,
Non intermissis ut fluat imber aquis.
2 Nec sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo
Mista fere duris utilis herba rubis.
3 Nil adeo Fortuna gravis miserabile fecit,
Vt minuant nulla gaudia parte malum.

Herbarum succo purgantes pectora et insaniam. Insanientibus enim medebatur. || *Antycira.* Insula, quae pertinet ad regionem Phocaicam.

28 *Summi Dei.* Vel Augusti, vel re vera Dei; ut ex eorum sententia dicat, qui fatum esse inevitabile credidere.

29 *Tu quoque fac timeas.* Intuens in tot exempla, puta fortunam tuam quoque non esse adamantinam. || *Dum loqueris.* Vno momento, puncto temporis. || *Posse fieri tristia.* Posse tibi tristitiam multam ex omni parte afferre.

1 *Nimbis australibus.* Nimbis ab austro venientibus. *Auster* enim ventus est, qui a meridie flat, et *Notus* appellatur ab humore: quoniam est nebulosus atque humectus. || *Vt imber fluat.* Vt pluvia cadat: hoc est, non semper pluit, sed post pluviam sequitur etiam serenitas.

2 *Vtilis herba.* Herba ferens aliquam utilitatem. || *Duris rubis.* Duris spinis: ut sunt e. g. cardui.

3 *Minuant malum.* Miseriam et infortunium levent.

4 Ecce domo, patriaque carens, oculisque meorum,
Naufragus in Getici littoris actus aquas;
5 Qua tamen inveni, vultum diffundere caussa
Possem, Fortunae nec meminisse meae.
6 Nam mihi cum fulva tristis spatiarer arena,
Visa est a tergo penna dedisse sonum.
7 Respicio: nec corpus erat, quod cernere possem:
Verba tamen sunt haec aure recepta mea:
8 En ego laetarum venio tibi nuntia rerum,
Fama per immensas aëre lapsa vias.
9 Consule Pompeio, quo non tibi carior alter,
Candidus et felix proximus annus erit.
10 Dixit: et, ut laeto Pontum rumore replevit,
Ad gentes alias hinc Dea vertit iter.
11 At mihi, dilapsis inter nova gaudia curis,
Excidit asperitas huius iniqua loci.
12 Ergo ubi, Iane biceps, longum reseraveris annum,
Pulsus et a sacro mense December erit;

4 *Carens.* Scilicet ego Ovidius. || *Oculisque meorum.* Et praesentia amicorum. || *Naufragus.* Miser et calamitosus, ut sunt naufragi. || *Getici littoris.* Orae Ponticae. || *Actus.* Agitatus, impulsus.

5 *Possem diffundere vultum.* Possem faciem exhilarare.

6 *Fulva arena.* In littore Tomitano. || *A tergo.* Post tergum. || *Penna.* Pennarum et alarum ipsius Famae sonitus.

8 *Per immensas aëre lapsa vias.* Per immensos tractus aëris. Per caeli spatia longissima, Roma usque in Pontum.

9 *Consule Pompeio.* Pompeio designato consule. || *Candidus.* Pulcher, benignus. || *Proximus annus.* Qui annus fuit V. C. DCCVI. quo mortuus est Augustus.

10 *Pontum.* Ponticam oram. || *Dea.* Fama ipsa.

12 *Iane biceps.* Ianus, Deus, qui annis, paci, et bello praeerat. Templum eius Romae belli tempore patebat: pace autem inita, claudebatur. *Biceps* seu *bifrons* fingebatur, praecipue ideo quod tempora futura et praeterita respicit: imo *quadrifons* etiam pingitur ad quatuor anni partes indicandas || *Longum annum.* Annum quem sol duodecim conficit mensibus. *Longum* appellat, ex affectu Poëtae, cui prae nimio desiderio tardus et longior videtur incipere. Anni, communi Latinorum sententia, tres tantummodo numero reperiuntur. *Lunaris* quidem primus, omnium brevissi-

13 Purpura Pompeium summi velabit honoris;
Ne titulis quidquam debeat ille suis.
14 Cernere iam videor rumpi penetralia turba:
Et populum laedi deficiente loco.
15 Templaque Tarpeiae primum tibi sedis adiri;
Et fieri faciles in tua vota Deos.
16 Colla boves niveos certae praebere securi,
Quos aluit campis herba Falisca suis.
17 Cumque Deos omnes, tum quos impensius aequos
Esse tibi cupias, cum Iove Caesar erit.
18 Curia te excipiet, Patresque e more vocati
Intendent aures ad tua verba suas.

mus, qui triginta dierum spacio cursum perfecte peragit: *Solaris*, de quo saepissime poëtae loquuntur, qui per menses duodecim: et *Magnus*, qui duodecim millia annorum, quingentos et quinquaginta continet. || *Reseraveris.* Aperueris. *Reserare* autem Ianus annum dicitur, quia huic Deo Cal. Ian. sacra fiebant, et inde annus incipiebatur. || *A sacro mense.* A Ianuario, sacro Iano Deo. || *Erit pulsus.* Erit exactus, et quasi finitus et expulsus.

13 *Purpura summi.* Vestis purpurea, insigne summorum honorum et magistratuum, ut erat consulatus. || *Ne titulis quidquam.* Sensus est: Purpuream vestem sumet Pompeius, ne quid desit, quod ab eo praestari debeat suis titulis, et virtutibus, et inscriptionibus, seu titulis summi honoris et consulatus sui.

14 *Rumpi.* Ruere. || *Penetralia.* Curia, vel domus Pompeii. || *Laedi.* Collidi.

15 *Templa Tarpeiae sedis.* Templum Capitolinum, ad quod novi Consules accedebant sacrificaturi Cal. Ianuar. || *Fieri faciles.* Fieri propitios. || *In tua vota.* In his praestandis quae desideras.

16 *Colla boves niveos.* Describit sacrificium, quod Cal. Ianuar. fiebat in Capitolio. Caedebantur autem Iovi Capitolino iuvenci albi, atque iniuges, electi ex agro Falisco. Ibi enim, aqua Clitumni amnis epota, boves candidos facit. Falisci autem populi fuere in Thuscia haud procul ab Vrbe. || *Securi certae.* Securi inevitabili, et quae certo ictu iuvencos mactabat.

17 *Cumque Deos omnes.* Ordo est: Et cum cupias omnes Deos, subaudi *esse aequos tibi*, tum Caesar cum Iove, quos impensius cupias esse tibi aequos, erit tibi aequus.

18 *Curia te excipiet.* In curiam venies. || *Patresque vocati.* Et senatores a te in curiam accersiti. || *Ad tua verba.* Ad tuam orationem, quam habebis in curia post

19 Hos ubi facundo tua vox hilaraverit ore:
Vtque solet, tulerit prospera verba dies;
20 Egeris et meritas Superis cum Caesare grates:
Qui caussam, facias cur ita saepe, dabit:
21 Inde domum repetes toto comitante Senatu:
Officium populi vix capiente domo.
22 Me miserum, turba quod non ego cernor in illa:
Nec poterunt istis lumina nostra frui!
23 Quamlibet absentem, qua possum, mente videbo:
Adspiciet vultus Consulis illa sui.
24 Di faciant, aliquo subeat tibi tempore nostrum
Nomen; et, Heu, dicas, quid miser ille facit?
25 Haec tua pertulerit si quis mihi verba, fatebor
Protinus exsilium mollius esse meum.

sacrificium Capitolinum. Solebant enim novi consules gratias pro sibi delato magistratu populo agere, benigneque illum alloqui.

19 *Vtque solet, tulerit.* Et postquam eo die de more prospera tibi omnia a salutantibus nunciata fuerint.

20 *Egeris et meritas.* Et postquam Diis immortalibus ac Caesari gratias egeris, quod te eo honore ac pompa decoraverint. || *Qui dabit caussam.* Qui Caesar praebebit materiam. || *Cur ita saepe facias.* Cur ita saepe gratias agas. Nam te saepe Consulem designabit.

21 *Officium.* Officiosum populum.

22 *Istis.* Scilicet honoribus tuis.

23 *Illa.* Subaudi, *mens mea.* || *Sui Consulis.* Sui Pompeii.

24 *Subeat.* In mentem veniat. ||*Miser ille.* Ille infelix Ovidius.

25 *Pertulerit.* Retulerit, nunciaverit.

EPISTOLA V.

EIDEM IAM CONSVLI.

ARGVMENTVM. Alloquitur per prosopopoeiam carmen suum Poëta; illudque Romam mittit ad Pompeium, ad quem etiam scripsit superiorem epistolam, mandataque exponit, et perbelle fatetur primo se illi summopere devinctum, declarans se propter eius beneficia fore semper illius mancipium. Postremo precatur, ut se donatum vita eius opera, etiam servet in praesentia.

1 Ite, leves elegi, doctas ad Consulis aures;
Verbaque honorato ferte legenda viro.
2 Longa via est; nec vos pedibus proceditis aequis:
Tectaque brumali sub nive terra latet.
3 Cum gelidam Thracen, et opertum nubibus Haemon,
Et maris Ionii transieritis aquas;
4 Luce minus decima dominam venietis in Vrbem,
Vt festinatum non faciatis iter.

1 *Leves elegi.* Versus *leves* appellat, quia elego carmine levia et facilia ac cupidinea describuntur. || *Consulis.* Pompeii.

2 *Pedibus aequis.* Nec paribus pedibus, sed imparibus: estis enim claudi, et ideo tardiores. || *Proceditis.* In longum itis. || *Tectaque brumali.* Et hyems est, quo difficile est iter facere in desertam terram.

3 *Cum gelidam Thracen.* Thracia, regio est secundum Indiam omnium maxima. Et quia septentrioni proxima est, ideo Poëta *gelidam* appellat. || *Et opertum nubibus Haemum.* Haemus mons est, qui in Pontum vergit, ceteros eius spacii magnitudine ac sublimitate superans, mediamque Thraciam dividens. || *Et maris Ionii.* Et maris illius, quod ab Ionia regione in extremitate minoris Asiae media, inter Cariam et Aeoliam usque ad Siciliam protenditur.

4 *Luce minus decima.* Ante decem dies. || *In Vrbem dominam.* In Romanam civitatem aliarum dominam. || *Iter festinatum.* Quamvis non properetis.

5 Protinus inde domus vobis Pompeia petatur.
Non est Augusto iunctior ulla Foro.
6 Si quis, ut in populo, qui sitis, et unde, requiret:
Nomina decepta quaelibet aure ferat.
7 Vt sit enim tutum, sicut reor esse, fateri;
Verba minus certe ficta timoris habent.
8 Copia nec vobis ullo prohibente videndi
Consulis, ut limen contigeritis, erit.
9 Aut reget ille suos, dicendo iura, Quirites,
Conspicuum signis cum premet altus ebur;
10 Aut, populi reditus positam componet ad hastam,
Et minui magnae non sinet urbis opes.
11 Aut, ut erunt Patres in Iulia templa vocati,
De tanto dignis Consule rebus aget.
12 Aut feret Augusto solitam natoque salutem;
Deque parum noto consulet officio.

5 *Domus Pompeia.* Domus in qua habitat Pompeius Consul. || *Foro Augusto.* Foro Augusto addito duobus aliis foris. || *Non est iunctior.* Non est propinquior.

6 *Vt in populo.* Quemadmodum vulgus sive populus solet requirere. || *Qui sitis.* Quo nomine appellemini. || *Et unde.* Et ex qua gente veniatis. || *Nomina quaelibet.* Quaecunque alia nomina, quam vestra. || *Aure decepta.* Aurem enim decipimus, cum id dicimus audienti, quod non est. || *Ferat.* Audiat.

7 *Vt.* Quamvis. || *Verba ficta.* Verba haec non vera, quibus vos non vero nomine appellandos esse moneo. || *Habent minus timoris.* Faciunt minus timere, et hominem reddunt magis tutum.

8 *Vt limen contigeritis.* Postquam ad eius ianuam perveneritis.

9 *Ille.* Scilicet consul Pompeius. || *Suos Quirites.* Suos Romanos. || *Dicendo iura.* Iudicando. || *Cum premet.* Cum sedendo calcabit. || *Ebur conspicuum.* Sellam eburneam et curulem.

10 *Aut.* Aut, inquit, Consul posita in foro basta praeconis, ut, inquit, Cicero, publica vectigalia in auctione emenda conducendave proponet. || *Reditus populi.* Vectigalia populi Romani. || *Componet.* Constituet, et ponet ad locandum. || *Ad hastam positam.* Ad hastam praeconis in foro auctionario fixam, ubi Consules vectigalia publica locabant.

11 *In Iulia templa.* In aedem Veneris genitricis, quam Iulius Caesar erexit.

12 *Aut feret Augusto.* Aut,

13 Tempus ab his vacuum Caesar Germanicus omne
Auferet. A magnis hunc colit ille Deis.
14 Cum tamen a turba rerum requieverit harum;
Ad vos mansuetas porriget ille manus:
15 Quidque parens ego vester agam, fortasse requiret.
Talia vos illi reddere verba velim:
16 Vivit adhuc, vitamque tibi debere fatetur,
Quam prius a miti Caesare munus habet.
17 Te sibi, cum fugeret, memori solet ore referre,
Barbariae tutas exhibuisse vias.
18 Sanguine Bistonium quod non tepefecerit ensem,
Effectum cura pectoris esse tui.
19 Addita praeterea vitae quoque multa tuendae
Munera, ne proprias attenuaret opes.
20 Pro quibus ut meritis referatur gratia, iurat,
Se fore mancipium tempus in omne tuum.

inquit, salutabit Augustum solito more. || *Natoque.* Et filio Augusti Tiberio. || *De officio parum noto.* De rebus pertinentibus ad Consulatum minus notis Pompeio, tanquam novo Consuli. || *Consulet.* Capiet consilium.

13 *Ab his.* Post haec negotia praedicta. || *Omne tempus vacuum.* Omne tempus quod vacabit, et superit. || *Caesar Germanicus.* Germanicus iunior, filius Drusi privigni Augusti. || *Auferet.* Adimet, asportabit. || *Magnis Diis.* Post magnos Deos, post Imperatorem Augustum, et Tiberium. || *Hunc.* Germanicum scilicet. || *Ille.* Pompeius.

14 *A turba harum.* Post multitudinem rerum istarum. || *Ad vos.* Scilicet versus excipiendos.

15 *Ego parens vester.* Ego Ovidius. Poëtae enim eleganter dicuntur *patres* operum et carminum, quae ab ipsis componuntur || *Reddere.* Respondere.

16 *Tibi.* Pompeio.

17 *Cum fugeret.* Cum abiret in exilium. || *Vias tutas barbariae.* Vias securas a barbarie, per quas Tomon proficiscebatur.

18 *Ensem Bistonium.* Ensem Thracum. || *Quod non tepefecerit.* Quod ipse Poëta suo sanguine non calefecerit: hoc est, interfectus fuerit.

19 *Vitae tuendae.* Ad sustentandam vitam. || *Ne attenuaret.* Imminueret.

20 *Mancipium tuum.* *Mancipium* servum appellamus, quod ab hostibus manu capiatur.

21 Nam prius umbrosa carituros arbore montes,
Et freta velivolas non abitura rates,
22 Fluminaque in fontes cursu reditura supino;
Gratia quam meriti possit abire tui.
23 Haec ubi dixeritis, servet sua dona, rogate.
Sic fuerit vestrae caussa peracta viae.

EPISTOLA VI.

BRVTO.

ARGVMENTVM. Ad Brutum Romanum scribens, narrat se quinquennium egisse in Ponto; et quum maxime reditum speraret precibus Fabii Maximi, in quo spem habebat, eum periisse docet. Fatetur tamen Brutum nihilo inferiorem amore erga se esse. Postremo eius amorem et virtutes peculiares exponit, profiteturque nunquam se fore ingratum meritorum, quae apud se ab amicis collocata sunt.

1 Quam legis, ex illis tibi venit epistola, Brute,
Nasonem nolles in quibus esse, locis.
2 Sed, tu quod nolles, voluit miserabile fatum.
Heu mihi, plus illud, quam tua vota, valet!
3 In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est:
Iam tempus lustri transit in alterius.

21 *Montes carituros.* Subaudi, *iurat* || *Velivolas rates.* Naves velis volantes.

22 *Cursu supino.* Cursu refluo. || *In fontes.* In loca ubi nascuntur.||*Quam gratia.* Quam gratitudo. || *Possit abire.* Possit deleri.

23 *Servet sua dona.* Vt servet et reducat in patriam me Ovidium mancipium suum. || *Sic.* Haec agendo quae vobis mandavi.||*Caussa vestra viae.* Caussa ob quam vos Romam misi, o versus mei.

2 *Miserabile fatum.* Deorum voluntas, et infortunium meum miseratione dignum.

3 *Olympias quinquennis.* Lustrum. Quoniam *Olympias* alioquin apud Graecos est tempus quatuor annorum, notanter addit vocem *quinquennis*, ut intelligatur, *lustrum*, quinque annorum spatium notari. || *Iam transit.* Iam olympias transgreditur: quia ea

4 Perstat enim Fortuna tenax, votisque malignum
Opponit nostris insidiosa pedem.
5 Certus eras pro me, Fabiae lux, Maxime, gentis,
Numen ad Augustum supplice voce loqui.
6 Occidis ante preces; caussamque ego, Maxime, (mortis,
Nec fueram tanti, me reor esse tuae.
7 Iam timeo nostram cuiquam mandare salutem:
Ipsum morte tua concidit auxilium.
8 Coeperat Augustus deceptae ignoscere culpae;
Spem nostram, terras deseruitque simul.
9 Quale tamen potui de caelite, Brute, recenti
Vestra procul positus carmen in ora dedi.
10 Quae prosit pietas utinam mihi; sitque malorum
Iam modus, et sacrae mitior ira domus!
11 Te quoque idem, liquido possum iurare, precari,
O mihi non dubia cognite Brute nota.

elapsa, altera incipit || *In tempus alterius lustri.* In tempus alterius quinquennii.

4 *Opponit.* Obiicit. Metaphora a cursoribus, qui pedis obiectu antagonistam supplantant. || *Invidiosa.* Quae invidet felicitati meae.

5 *Certus eras.* Decreveras. Vertit autem sermonem ad Fabium Maximum mortuum.

6 *Maxime.* Maximum illum designat, ad quem superius scriptae extant epistolae. || *Occidis ante preces.* Moreris antequam pro me precareris Augustum. || *Caussam tuae mortis.* Nasonem enixe amabat Maximus: et cum non posset ferre eius absentiam et exilium, prae dolore eum periisse putat Poëta.

7 *Mandare.* Commendare. || *Salutem.* Vitam et incolumitatem.

8 *Deceptae culpae.* Culpae per deceptionem et errorem perpetratae atque commissae. || *Simul deseruit.* Augustum quoque mortuum esse dicit. Periit enim quinto exilii Poëtae anno. || *Spem nostram.* Spem reditus. || *Et terras.* Quia mortuus est.

9 *De recenti caelite.* Augustum intelligit, cui defuncto statim divini honores decreti fuere. || *In ora.* In conspectum vestrum; ad vos. || *Dedi.* Misi.

10 *Quae prosit pietas utinam mihi.* Qui amor meus erga Augustum mihi utinam prosit. || *Malorum.* Malorum, quae quinquennium passus est in Pontica regione. || *Modus.* Finis. || *Et ira sacrae domus.* Et ira domus Augusti, quam *sacram* appellat, quia eam ipse habitabat, et vivens Deus habebatur.

11 *Non dubia nota.* Non dubiis signis.

12 Nam cum praestiteris verum mihi semper amo-
Hic tamen adverso tempore crevit amor. (rem;
13 Quique tuas pariter lacrimas nostrasque videret,
Passuros poenam crederet esse duos.
14 Lenem te miseris genuit Natura, nec ulli
Mitius ingenium, quam tibi, Brute, dedit.
15 Vt qui, quid valeas, ignoret, Marte forensi,
Posse tuo peragi vix putet ore reos.
16 Scilicet eiusdem est, quamvis pugnare videtur,
Supplicibus facilem, sontibus esse trucem
17 Cum tibi suscepta est legis vindicta severae;
Verba velut tinctum singula virus habent.
18 Hostibus eveniat, quam sis violentus in armis,
Sentire, et linguae tela subire tuae:
19 Quae tibi tam tenui cura limantur, ut omnes
Istius ingenium corporis esse negent.

12 *Cum praestiteris mihi.* Cum exhibueris mihi. || *Hic tamen adverso.* Ille tamen amor maior fuit in hac mea adversitate.

13 *Nostrasque.* Hoc est, tuum et meum fletum in hoc meo casu. || *Passuros poenam.* Passuros idem supplicium, et eamdem relegationem. || *Duos.* Ambos: te scilicet, et me.

15 *Quid valeas.* Quid possis tua eloquentia. || *Marte forensi.* In disceptationibus forensibus. || *Posse peragi.* Posse damnari. *Reus* enim dicitur *peragi*, cum alicuius eloquentia damnatur. || *Vix putet.* Vix existimet: quia vident te natura mitem et pium miseris. || *Tuo ore.* Tua eloquentia.

16 *Scilicet eiusdem est.* Scilicet tui eiusdem moris est. || *Quamvis pugnare videtur.* Quamvis videar pugnantia et contraria dicere. || *Supplicibus facilem.* Te miseris et humilibus esse pium. || *Sontibus esse trucem.* Te etiam esse crudelem nocentibus et scelestis.

17 *Cum tibi suscepta est.* Cum semel a te oppugnanda suscepta est. || *Legis vindicta severae.* Vltio aliqua contra nocentem puniendum. || *Virus tinctum.* Tanta est eius eloquentia, ut in accusandis reis singula verba sint ita efficacia, ut videantur veneno illita.

18 *In armis.* In eloquentiae partibus, quae sunt oratori tanquam arma. || *Et linguae tela subire tuae.* Et experiri vehementiam ac vim tui sermonis, et eloquentiae.

19 *Quae limantur.* Quae tela acuuntur et parantur. || *Tam tenui cura.* Tam subtili diligentia. || *Vt omnes istius ingenium.* Vt omnes arbitrentur non id fieri tuo

20 At si quem laedi Fortuna cernis iniqua,
Mollior est animo femina nulla tuo.
21 Hoc ego praecipue sensi, cum magna meorum
Notitiam pars est inficiata mei.
22 Immemor illorum, vestri non immemor unquam,
Qui mala solliciti nostra levastis, ero.
23 Et prius, heu nobis nimium conterminus! Ister
In caput Euxino de mare vertet iter:
24 Vtque Thyesteae redeant si tempora mensae,
Solis ad Eoas currus agetur aquas: (emtum,
25 Auam quisquam vestrûm, qui me doluistis ad-
Arguat ingratum non meminisse sui.

corpore et humano ingenio, sed viribus et ingenio divino.

21 *Meorum.* Amicorum. || *Notitiam mei.* Mei cognitionem. Nam me tanquam incognitum deseruere. || *Est inficiata.* Negavit.

22 *Immemor illorum.* Talium qui me deseruerunt. || *Vestri non immemor unquam.* Tui, o Brute, et ceterorum, qui me non deseruere, semper ero memor.

23 *Et prius.* Et ante. || *Conterminus Ister.* Ister nimjum mihi vicinus, qui alio etiam nomine *Danubius* appellatur. || *In caput.* In fontem, unde ex Germania defluit. || *De mare Euxino.* De mare Pontico, in quod defluit, quod etiam Euxinum appellatur.

24 *Vtque.* Atque ante, inquit, etiam sol redibit ad orientem ordine mutato, cum soleat in occidentem pergere, quemadmodum fabulantur fecisse Thyestis tempore, ne Atrei scelus videret. || *Thyesteae mensae.* Mensae in qua Atreus Thyesti fratri filium epulandum apposuit. || *Si redeant.* Si iterum se nobis offerant. || *Solis currus.* Quadrigae quae solem vehunt. || *Ad Eoas aquas.* Ad Oceanum orientalem, unde oritur. || *Agetur.* Retrocurret ad orientem.

25 *Qui doluistis.* Qui ostendistis vos dolere. || *Me ademtum.* Me missum in exilium.

EPISTOLA VII.

VESTALI.

ARGVMENTVM. Ad Vestalem scribens Poëta, cui ora Pontica regenda delata fuerat, eum testem facit incommodorum, quae sunt in ea regione. Post eius virtutem laudat, quam pollicetur suo carmine testatam fore in omne tempus.

1 Missus es Euxinas quoniam, Vestalis, ad undas,
Vt positis reddas iura sub axe locis:
2 Adspicis en, praesens, quali iaceamus in arvo;
Nec me testis eris falsa solere queri.
3 Accedet voci per te non irrita nostrae,
Alpinis iuvenis regibus orte, fides.
4 Ipse vides certe glacie concrescere Pontum:
Ipse vides rigido stantia vina gelu:
5 Ipse vides, onerata ferox ut ducat Iäzyx
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.
6 Adspicis et mitti sub adunco toxica ferro,
Et telum caussas mortis habere duas.

1 *Positis sub axe.* Positis sub septentrione. || *Reddas iura.* Ius dicas.

2 *Praesens.* In ipsa Scythia. || *In quali arvo.* In quam deformi agro. || *Iaceamus.* Positi simus.

3 *Accedet voci nostrae.* Veniet nostris verbis, quibus questi sumus de locis Ponticis. || *Non irrita fides.* Fides non vana, sed vera. || *Per te.* Tuo testimonio.|| *Alpinis regibus.* A regibus Cottiis. Appellatae autem sunt Alpes Cottiae, seu Cottianae, quia forte ab his Vestalis Cotta cognominatus fuit. || *Iuvenis.* O Vestalis.

4 *Rigido gelu stantia vina.* Vina congelata, et in unam massam redacta nimio gelu.

5 *Ferox Iäzyx.* Fuere Iazyges populi Scythiae, qui campos et plana tenuere.

6 *Mitti.* Effundi iaculando. || *Toxica.* Venena. Scythae enim sagittarum aciem ungebant viperina sanie, et humano sanguine. || *Sub adunco ferro.* Sub spiculo curvo, et hamato. || *Duas caussas mortis,*

7 Atque utinam pars haec tantum spectata fuisset,
Non etiam proprio cognita Marte tibi!
8 Tenditis ad primum per densa pericula pilum:
Contigit ex merito qui tibi nuper honos.
9 Sit licet hic titulus plenis tibi fructibus ingens,
Ipsa tamen virtus ordine maior erat.
10 Non negat hoc Ister: cuius tua dextera quondam
Puniceam Getico sanguine fecit aquam.
11 Non negat Aegypsos, quae, te subeunte, recepta
Sensit in ingenio nil opis esse loci.
12 Nam dubium, positu melius defensa manuve,
Vrbs erat in summo nubibus aequa iugo.
13 Sithonio regi ferus interceperat illam
Hostis, et ereptas victor habebat opes,
14 Donec fluminea devecta Vitellius unda
Intulit, exposito milite, signa Getis.

Ferrum scilicet sagittae, et venenum.

7 *Non etiam cognita.* Non etiam experta, qui pugnasti contra Scythas, et ideo haec omnia vidisti.

8 *Ad primum pilum.* Ad primipilarem dignitatem. *Primipilus* vero caput Centurionum omnium erat. || *Per densa pericula.* Per multa et crebra discrimina.

9 *Hic titulus.* Haec dignitas primipilaris. || *Sit plenis fructibus.* Sit honorifica et fructuosa. || *Ipsa virtus.* Ipsa tua fortitudo. || *Ordine.* Hoc est, dignitate primipilari.

10 *Puniceam sanguine Getico.* Rubram hostili et Getico cruore.

11 *Non negat Aegypsos.* Aegypsos oppidum munitissimum fuit in Scythia in summo colle arduo, et ad ascendendum difficili. || *Quae recepta.* Quae civitas iterum capta. || *Te subeunte.* Te ascendente cum tuis militibus ad eius oppugnationem. || *Sensit.* Intellexit. || *In ingenio.* Vbi ingenio utimur. || *Nil opis esse loci.* Nil prodesse loca munita vel natura, vel praesidio humano.

12 *Nam dubium est.* Nam incertum est. || *Positu.* Situ et natura loci. || *Manuve.* Vel propugnatoribus; quasi dicat, et natura loci, et validissimo praesidio pariter urbs ea devicta.

13 *Sithonio regi.* Regi Thraciae: est enim *Sithonia* pars Thraciae. || *Ferus hostis.* Crudeles Getae milites. || *Interceperat illam.* Ademerant eam civitatem Getae, regi Thraciae. || *Ereptas opes.* Divitias Aegypsi oppidi ademtas oppidanis eiectis. || *Et victor.* Et hostis Geta, qui oppidum illud expugnaverat. || *Habebat.* Possidebat.

14 *Fluminea unda.* Vnda Istri fluminis. || *Intulit.* Bella intulit, et

15 At tibi, progenies alti fortissima Dauni,
Venit in adversos impetus ire viros.
16 Nec mora; conspicuus longe fulgentibus armis,
Fortia ne possint facta latere, caves:
17 Ingentique gradu contra ferrumque locumque,
Saxaque brumali grandine plura, subis.
18 Nec te missa super iaculorum turba moratur,
Nec quae vipereo tela cruore madent.
19 Spicula cum pictis haerent in casside pennis:
Parsque fere scuti vulnere nulla vacat.
20 Nec corpus cunctos feliciter effugit ictus;
Sed minor est acri laudis amore dolor.
21 Talis apud Troiam Danais pro navibus Aiax
Dicitur Hectoreas sustinuisse faces.

cum vexillis Romanis eo venerat pugnaturus. Nam vexilla et armatos secundo flumine ex finitimis locis deportavit. || *Vitellius*. Mysiae praeses. || *Exposito milite*. Militibus e navibus in terram traductis.

15 *Alti Dauni*. Dauni Rex Apuliae partis, ab eo *Daunia* dictae. || *Ire in adversos viros*. Congredi cum Getis hostibus.

16 *Conspicuus*. Spectabilis. || *Possint latere*. Ne ignorentur gesta tua praeclara.

17 *Ingenti gradu*. Magno et citato passu. || *Contra ferrumque*. Et contra arma hostium. || *Locumque*. Et contra asperitatem. Nam ea urbs erat in monte arduo sita. || *Saxaque*. Et contra saxa, quae hostes e superiori loco devolvebant. || *Brumali grandine*. Grandine brumae tempore e caelo cadenti || *Plura*. Numerosiora. || *Subis*. Ascendis.

18 *Missa super*. E superiori loco detorta. || *Turba iaculorum*. Telorum vis. *Iaculum* proprie dicitur, quidquid in longum iaci potest || *Moratur*. Retinet quin ascendas. || *Vipereo cruore*. Veneno, quo tingebantur sagittarum spicula.

19 *Spicula*. Tela, et sagittae. || *Cum pennis pictis*. Cum pennis sagittarum puniceis. Solent enim pennae, quae sagittis annectuntur, aliquo colore infici, ut videantur pulchriores. || *In casside*. In tua galea. || *Vacat vulnere*. Foramine hostis telis facto.

20 *Nec corpus cunctos*. Etiam corpus tuum vulneratum est.

21 *Talis apud Troiam*. Notum est naves Graecorum defensas fuisse ab Aiace contra Troianos, qui duce Hectore ignem attulerant, ut eas cremarent. Qualis ergo fuerant in ea pugna Aiax, talem etiam fuisse Vestalem contra Getas profitetur. || *Danais*. Graecis. Nam a

22 Vt propius ventum est, admotaque dextera dextrae,
Resque fero potuit cominus ense geri;
23 Dicere difficile est, quid Mars tuus egerit illic,
Quotque neci dederis, quosque, quibusque modis.
24 Ense tuo factos calcabas victor acervos;
Impositoque Getes sub pede multus erat.
25 Pugnat ad exemplum Primi minor ordine Pili:
Multaque fert miles vulnera, multa facit.
26 Sed tantum virtus alios tua praeterit omnes,
Ante citos quantum Pegasus ibat equos.
27 Vincitur Aegypsos: testataque tempus in omne
Sunt tua, Vestalis, carmine facta meo.

Danao Argivorum Rege dicti sunt Graeci *Danai*. || *Hectoreas faces.* Ignem Hectoris.

22 *Vt propius.* Postquam manus cum hoste consertae.

23 *Mars tuus.* Tua bellica virtus.

24 *Et multus Getes.* Et multa hostium Getarum cadavera.

25 *Minor.* Centurio qui erat sub Primipilo : id est, sub Vestale, minoris dignitatis || *Primi Pili.* Videndo Primipilum acriter in prima acie pugnare, et ipse eum imitabatur, pugnando etiam fortiter. || *Fert.* Accipit. || *Facit.* Infert etiam hostibus suis multa et acerba vulnera.

26 *Ante citos equos.* Ante alios equos celeres. || *Pegasus.* Equus alatus ex Medusae Gorgonis sanguine procreatus. Fontem in Helicone monte, saxum ungula feriens, aperuit, qui ab eo *Hippocrene* dictus est: illo vectus Bellerophon, in caelum evolavit ; sed in terras e sublimi decidit, Pegasus autem inter astra constitit.

27 *Vincitur Aegypsos.* Vrbs illa tandem tua virtute, o Vestalis, capitur. || *Testata.* Testimonio comprobata. || *Tua facta.* Tua gesta.

EPISTOLA VIII.

SVILLIO.

ARGVMENTVM. Mortuo Augusto, hanc epistolam mittit Ovidius ad Suillium uxoris suae generum, agitque ei gratias pro eius epistola ad se scripta; quam, etsi sero perlatam, gratissimam tamen fuisse dicit. Postmodum eum rogat, ut Germanicum iuniorem sibi reconciliet; pollicetur que, se in huius rei gratiam non erecturum ei templa de marmore, sed carmine complexurum eius laudes: ostenditque nihil esse posse principibus aptius, quam carmine officiosum se praestare. Tum nactus occasionem Poëta carminis excellentiam extollit; precaturque ut sibi carmina prosint; et si non possit reditum in patriam obtinere, saltem urbi propinquius exilium, quo possit Caesaris gesta intelligere et carmine celebrare.

1 Litera sera quidem, studiis exculte Suilli,
Huc tua pervenit, sed mihi grata tamen.
2 Qua, pia si possit Superos lenire rogando
Gratia, laturum te mihi dicis opem.
3 Vt iam nil praestes, animi sum factus amici
Debitor; et meritum, velle iuvare, voco.
4 Impetus iste tuus longum modo duret in aevum;
Neve malis pietas sit tua lassa meis.
5 Ius aliquod faciunt affinia vincula nobis,
Quae semper maneant illabefacta precor.

1 *Studiis exculte.* Docte literis, liberalibus disciplinis ornate.

2 *Si pia gratia.* Si amor tuus erga me. || *Posset lenire Superos.* Posset mulcere et placare Caesares. Tiberium scilicet, Germanicum, ac reliquos Caesares.

3 *Vt iam nil praestes.* Quamvis nullam mihi opem feras. || *Animi sum factus amici Debitor.* Debeo tibi ob talem erga me animum tuum, de me benemerendi cupidum.

4 *Impetus iste tuus.* Iste tuus animi ardor benemerendi de me. || *Tua pietas.* Tuus erga me amicum et ferme affinem, amor.

5 *Ius.* Aliquam benevolentiae caussam legitimam. || *Affinia vincula.* Affinitatis coniunctiones: nu-

6 Nam tibi quae coniux, eadem mihi filia paene est:
Et quae te generum, me vocat illa virum.
7 Heu mihi, si lectis vultum tu versibus istis
Ducis, et affinem te pudet esse meum!
8 At nihil hic dignum poteris reperire pudore,
Praeter Fortunam, quae mihi caeca fuit.
9 Seu genus excutias; Equites, ab origine prima,
Vsque per innumeros inveniemur avos:
10 Sive velis, qui sint, mores inquirere nostros;
Errorem misero detrahe, labe carent.
11 Tu modo si quid agi sperabis posse precando,
Quos colis, exora supplice voce Deos.
12 Dî tibi sunt Caesar iuvenis: tua numina placa.
Hac certe nulla est notior ara tibi.
13 Non sinit illa sui vanas antistitis unquam
Esse preces. Nostris hinc pete rebus opem.
14 Quamlibet exigua si nos ea iuverit aura,
Obruta de mediis cymba resurget aquis.

pta enim Suillio fuit privigna Ovidii. || *Illabefacta* Inviolata.

6 *Eadem mihi filia pene est.* Est enim privigna, hoc est, filia uxoris meae.

7 *Ducis vultum.* Faciem contrahis, tanquam iratus.

9 *Seu genus excutias.* Seu generis mei originem consideres. || *Per innumeros avos.* Vsque per avorum innumerabilium seriem.

10 *Errorem misero detrahe.* Fatetur fere ubique Poëta, se non scelere, sed errore relegatum. || *Labe carent.* Mores mei sunt sine macula.

11 *Quid agi posse.* Aliquid posse obtineri. || *Precando.* Orando Caesares pro me. || *Quos colis.* Quos veneraris. || *Deos.* Caesares: Tiberium scilicet, eiusque filium adoptivum Germanicum.

12 *Caesar iuvenis.* Germanicus. || *Tua numina placa.* Venerare Germanicum, quo ut numine uteris.

13 *Illa.* Scilicet ara Germanici. || *Sui antistitis.* Sui sacerdotis, et eius qui ad illam confugit || *Hinc.* Ab ista ara.

14 *Ea.* Illa ara Germanici. || *Aura.* Favore. || *Cymba obruta.* Navis mea versa, et fluctibus operta. || *Resurget de mediis aquis.* Evadet magna pericula.

15 Tunc ego tura feram rapidis solemnia flammis;
Et, valeant quantum numina, testis ero.
16 Nec tibi de Pario statuam, Germanice, templum
Marmore. Carpsit opes illa ruina meas.
17 Templa domus vobis faciant urbesque beatae:
Naso suis opibus, carmine, gratus erit.
18 Parva quidem fateor pro magnis munera reddi,
Cum pro concessa verba salute damus. (est;
19 Sed qui, quam potuit, dat maxima, gratus abunde
Et finem pietas contigit illa suum.
20 Nec, quae de parva Dis pauper libat acerra,
Tura minus, grandi quam data lance, valent.
21 Agnaque tam lactens, quam gramine pasta Falisco,
Victima Tarpeios inficit icta focos.
22 Nec tamen, officio vatum per carmina facto,
Principibus res est gratior ulla viris.
23 Carmina vestrarum peragunt praeconia laudum:
Neve sit actorum fama caduca cavent.

15 *Rapidis flammis.* Ignibus omnia rapientibus.

16 *De Pario marmore.* De marmore candidissimo, quale fodiebatur olim in *Paro*, quae est una ex Cycladibus insula. || *Carpsit.* Attenuavit, ac minuit.

17 *Domus urbesque beatae.* Domus, et civitates divites vobis templa aedificabunt. || *Carmine.* Versu. Declarat quae sint suae opes; et carmina designat, quae sunt poëtarum divitiae.

18 *Pro salute concessa.* Pro reditu in patriam mihi praestito.

19 *Sed qui, quam potuit.* Sensus est: Sed ille qui dat maxima, quae habet, munera.|| *Gratus abunde est.* Satis superque videtur gratus. || *Contigit suum finem.* Fecit suum finem faciendo quod potest.

20 *Nec quae de parva.* Nec, inquit, Diis minus gratum est parvum sacrificium, quod a paupere offertur; quam quod a divite fit plena lance. || *Acerra.* Acerra vas est, ubi tus reponitur. || *Libat tura.* Diis tus sacrificat.

21 *Gramine Falisco.* Iuvencus nutritus herba, quae in Falisco agro nascebatur. || *Tarpeios focos.* Focos Capitolinos. || *Inficit.* Tingit cruore. || *Icta.* Caesa.

22 *Officio facto per carmina.* Grato animo per versus exhibito. || *Principibus viris.* Primariis viris, ut est Germanicus.

24 Carmine fit vivax virtus; expersque sepulchri,
Notitiam serae posteritatis habet.
25 Tabida consumit ferrum lapidemque vetustas;
Nullaque res maius tempore robur habet.
26 Scripta ferunt annos: scriptis Agamemnona nosti;
Et quisquis contra, vel simul arma tulit.
27 Quis Thebas septemque duces sine carmine nosset,
Et quidquid post haec, quidquid et ante fuit?
28 Dî quoque carminibus, si fas est dicere, fiunt:
Tantaque maiestas ore canentis eget.
29 Sic Chaos, ex illa naturae mole prioris,
Digestum partes scimus habere suas:
30 Sic affectantes caelestia regna Gigantas,
Ad Styga nimbifero vindicis igne datos:

24 *Fit vivax*. Fit immortalis. || *Notitiam serae posteritatis habet*. Propagatur usque ad posteros in longum tempus; et quasi agnoscitur a posteritate.

25 *Tabida vetustas*. Longinquitas temporis, qua omnia putrescunt. || *Maius robur*. Maiores vires. || *Tempore*. Diuturnitate temporis.

26 *Scripta*. Poëmata. || *Ferunt annos*. Perdurant in annos: afferunt et ostendunt annorum longitudinem. || *Scriptis Agamemnona nosti*. Versu Homerico cognoscimus, quis fuerit Agamemnon. || *Et quisquis contra*. Et cognoscimus etiam scriptis eos omnes qui opem tulerunt Troianis contra Agamemnonem. || *Vel simul*. Vel etiam eos omnes, qui simul cum Agamemnone venere ad eam expeditionem.

27 *Quis Thebas*. Thebe urbs Beotiae princeps. || *Septemque duces*. Nempe Adrastum, Polynicem, Hippomedonta, Tydeum, Amphiaraum et Capaneum. || *Sine carmine*. Nisi poëtae ea nomina, et bellum illud carmine complexi essent. || *Post haec*. Post huiusmodi bella. || *Et ante*. Et priusquam fierent haec bella.

28 *Dî quoque carminibus fiunt*. Poëtae etiam in caelo locant, et Deum faciunt, quem volunt. || *Tantaque maiestas*. Et tanta Deorum amplitudo. || *Ore canentis eget*. Indiget celebratione alicuius poëtae.

29 *Sic*. Hoc modo: hoc est, per carmina. || *Chaos*. Primam illam elementorum confusionem. || *Ex illa mole*. Ex eo globo. || *Naturae prioris*. Prioris aevi, antequam essent elementa disiuncta. || *Digestum*. Dispositum, ordinatum. || *Partes scimus habere suas*. Scimus in quatuor partes divisum esse, in ignem, aëra, aquam, et terram.

30 *Sic*. Hoc est, per carmina. || *Affectantes*. Cupientes ascendere,

31 Sic victor laudem superatis Liber ab Indis,
Alcides capta traxit ab Oechalia.
32 Et modo, Caesar, Avum, quem virtus addidit astris,
Sacrarunt aliqua carmina parte tuum.
33 Si quid adhuc igitur vivi, Germanice, nostro
Restat in ingenio, serviet omne tibi.
34 Non potes officium vatis contemnere vates:
Iudicio pretium res habet ista tuo.
35 Quod nisi te numen tantum ad maiora vocasset,
Gloria Pieridum summa futurus eras.
36 Sed dare materiam nobis, quam carmina, mavis:
Nec tamen ex toto deserere illa potes.
37 Nam modo bella geris, numeris modo verba coërces,
Quodque aliis opus est, hoc tibi ludus erit.

et invadere. || *Ad Styga datos*. Esse ad ima tartara detrusos. || *Nimbifero igne*. Fulmine nimbos glomerante. Fulmen enim maxime turbato fit aëre. || *Vindicis*. Iovis vindicantis eam gigantum iniuriam.

31 *Sic*. Hoc pacto: hoc est, per carmina. || *Victor Liber*. Bacchus domitor. || *Ab Indis superatis*. A populis Indiae, quos ipse Bacchus superavit. || *Alcides*. Hercules, qui anta *Alcides* nominatus est, ob Iolen Euryti filiam sibi pactam, nec datam, universam Oechaliam, ipso rege in Euboeam fugiente, debellavit et evertit.

32 *Caesar*. Germanice. || *Quem*. Qui paulo ante propria virtute numero Deorum additus est. || *Tuum avum*. Augustum Caesarem, avum tuum per adoptionem. || *Sacrarunt*. Aliqua etiam parte immortalem fecerunt carmina.

33 *Si quid vivi*. Si quid vividum et fecundum; aut, si quid aeternitatis assequendae idoneum habeo.

34 *Officium vatis*. Officium poëtae, tibi ingenii sui opus, et aeternitatem carmine pollicentis. || *Vates*. Tu qui es optimus poëta. Docet Tranquillus, scriptas eum reliquisse comoedias Graecas. || *Iudicio tuo*. Te ita iudicante. || *Habet pretium*. Censetur et habetur in precio, tuo iudicio. || *Res ista*. Facultas poëtica.

35 *Numen tantum*. Numen Caesaris. || *Vocasset te ad maiora*. Elegisset te ad imperium. || *Gloria Pieridum summa*. Eras futurus maximus poëta.

36 *Sed dare*. Sed praebere poëtis facultatem scribendi de rebus a se gestis. || *Quam carmina mavis*. Ducis maioris honoris, quam scribere carmina. || *Deserere illa potes*. Potes illa carmina et poëtices studium relinquere.

37 *Bella geris*. Te imperatorem praebes, et pugnas. || *Numeris mo-*

38 Vtque nec ad citharam, nec ad arcum segnis Apol-
Sed venit ad sacras nervus uterque manus; (lo est;
39 Sic tibi nec docti, nec desunt principis artes:
Mista sed est animo cum Iove Musa tuo.
40 Quae quoniam nec nos unda submovit ab illa,
Vngula Gorgonei quam cava fecit equi;
41 Prosit, opemque ferat communia sacra tueri:
Atque îsdem studiis imposuisse manum.
42 Littora pellitis nimium subiecta Corallis
Vt tandem saevos effugiamque Getas,
43 Clausaque si misero patria est, ut ponar in ullo,
Qui minus Ausonia distet ab Vrbe, loco;

do verba coërces. Aliquando bella intermittis, et carmina componis, et numeris verba includis. || *Opus est.* Labor est. Vel opus et materia, ac ars propria. || *Hoc tibi ludus erit.* Id erit tibi facile, et minime laboriosum, quasi quidam ludus; propter uberiorem venam poëticae facultatis.

38 *Ad citharam.* Ad musicam: qua in quiete et ocio utimur.|| *Ad arcum.* Ad bellicum instrumentum. || *Apollo.* Musices et sagittandi artis peritissimus fuisse Apollo scribitur. || *Sed uterque nervus.* Sed utraque chorda, et citharae et arcus. || *Venit ad sacras.* Tractatur sacris digitis Apollinis.

39 *Artes docti.* Artes liberales, et poëticae studia, in quibus versantur docti. || *Principis.* Artes imperatoriae: hoc est, rei militaris scientia. || *Mista sed est animo tuo.* Sed haeret animo tuo. || *Cum Iove Musa.* Doctrina cum optimo principe, qualis est Iupiter Deorum. Per *Iovem* enim intelligit imperatoriam et principis scientiam: per *Musam* vero poëticae facultatem.

40 *Quae.* Scilicet Musa. || *Ab illa unda.* Ab eo fonte, quem ferunt poëtae fuisse in monte Parnasso, effossnm pede Pegasi equi alati, et ex eius nomine *Hippocrene* est dictus, quasi fons equinus. || *Quam.* Vndam scilicet. || *Cava ungula.* Pes cavus.||*Equi.* Equi Pegasi, nati ab sanguine Medusae.

41 *Prosit.* Mihi conducat. || *Communia sacra tueri.* Me communiter tecum colere studia poëtica.|| *Imposuisse manum.* Et prosit attigisse eadem studia, vel finem imposuisse iisdem studiis: quod fieri solet, cum poëticae facultatis finem attingimus, et sumus optimi poëtae.

42 *Pellitis Corallis.* Populis illis Scythiae utentibus rhenonibus, hoc est, vestibus ex pellibus.

43 *Clausaque si misero patria*

44 Vnde tuas possim laudes celebrare recentes,
Magnaque quam minima facta referre mora.
45 Tangat ut hoc votum caelestia, care Suilli,
Numina, pro socero paene precare tuo.

EPISTOLA IX.

GRAECINO.

ARGVMENTVM. Factus certior Poëta, quod Graecinus consul designatus sit, dolet quod absit, nec possit laetitiam conceptam coram exponere, fruique spectaculis: quare quum aliter nequeat, iubet hanc epistolam partes suas obire. Deinde eum rogat, ut pro se precetur, ac reditum impetret. Postremo dicit se non minus gaudere, quod illi in consulatu successurus sit eius frater; quos ambos precatur, ut sibi opem ferant, exponens exilii sui incommoda.

1 Vnde licet, non unde iuvat, Graecine, salutem
Mittit ab Euxinis hanc tibi Naso vadis.
2 Missaque Dî faciant Auroram occurrat ad illam,
Bis senos fasces quae tibi prima dabit:

est. Et si non possum in patriam reduci de hoc Scythiae exilio. || *Vt ponar.* Vel utinam ponar. || *Qui minus distet.* Qui sit minus remotus ab Italia quam civitas Tomitana.

44 *Vnde.* Ex quo loco ita minus remoto. || *Laudes recentes.* Laudes a te nuper acquisitas; nam antequam fama rerum a te gestarum veniat in Scythiam, multum temporis intervallum elabitur, et sic ea gesta tanquam vetera enarrare soleo. || *Magnaque facta referre.* Et unde possim narrare gesta tua inclyta. || *Quam minima mora.* Quam minimo temporis intervallo, hoc est brevissimo tempore.

45 *Tangat.* Moveat, flectat. || *Vt hoc votum.* Vt hae meae preces, et hoc meum desiderium. || *Caelestia Numina.* Deos immortales: vel Tiberium et Germanicum. || *Paene.* Pro me quasi socero tuo.

1 *Vnde licet* Vnde possum: hoc est, a Scythia. || *Iuvat.* Delectat.

2 *Missa.* Vt haec epistola ad te scripta. || *Ad illam Auroram.* Illo die et mane. || *Occurrat.* Reddatur || *Bis senos fasces.* Duodecim

3 Vt, quoniam sine me tanges Capitolia Consul,
Et fiam turbae pars ego nulla tuae,
4 In domini subeat partes, et praestet amici
Officium iusso litera nostra die.
5 Atque ego si fatis genitus melioribus essem,
Et mea sincero curreret axe rota; (esset
6 Quo nunc nostra manus per scriptum fungitur,
Lingua salutandi munere functa tui.
7 Gratatusque darem cum dulcibus oscula verbis:
Nec minus ille meus, quam tuus esset honor.
8 Illa, confiteor, sic essem luce superbus,
Vt caperet fastus vix domus ulla meos.
9 Dumque latus sancti cingit tibi turba Senatus,
Consulis ante pedes ire viderer Eques.
10 Et quamquam cuperem semper tibi proximus esse,
Gauderem lateri non habuisse locum.

lictores cum singulis fascibus virgarum, et securibus praecedentes. Designat autem Ovidius Cal. Ian. quibus novi consules magistratum inibant, et in Capitolium ascendebant cum senatu, sacrificatum Diis immortalibus. Vnde subiungit Poeta: *Et quoniam sine me tanges Capitolia.* Scribit enim Livius Consules die magistratus initi, solitos fuisse adire omnes templum Iovis, et proficisci in Capitolium ad vota nuncupanda.

3 *Turbae.* Que te in Capitolium prosequetur.

4 *In domini subeat partes.* Obeat meum munus.|| *Et praestet amici officium.* Et peragat meum officium, eundo pro me ad Graecinum amicum. || *Iusso die.* Die cal. Ian. quo hanc epistolam Romae esse iussit.

5 *Et mea rota.* Et mea vita Est similitudo a quadrigis sumpta.|| *Curreret sincero axe.* Curreret et laberetur sine ulla labe, quasi non fracto, aut vitiato axe. Est enim *axis*, lignum circa quod rota volvitut.

6 *Gratatusque.* Et ego tibi gratulatus. || *Ille honor.* Ille tuus consulatus.

8 *Illa luce.* Illo die Cal. Ian. || *Sic essem superbus.* Sic essem elatus propter tuum honorem.

9 *Cingit latus.* Deducendo te ad Capitolium. || *Eques.* Ego ex equestri ordine. || *Ante pedes consulis ire.* Praecedere te consulem in ea pompa de more. Solebant enim equites praecedere, Senatus vero subsequi.

10 *Non habuisse locum.* Non potuisse esse prae nimia turba tibi proximus.

11 Nec querulus, turba quamvis eliderer, essem:
Sed foret a populo tum mihi dulce premi.
12 Prospicerem gaudens, quantus foret agminis ordo,
Densaque quam longum turba teneret iter.
13 Quoque magis noris, quam me vulgaria tangant,
Spectarem, qualis purpura te tegeret.
14 Signa quoque in sella nossem formata curuli:
Et totum Numidae sculptile dentis opus.
15 At cum Tarpeias esses deductus in arces,
Dum caderet iussu victima sacra tuo;
16 Me quoque sacreto grates sibi magnus agentem
Audisset, media qui sedet aede, Deus:
17 Turaque mente magis plena, quam lance, dedissem
Ter quater, imperii laetus honore tui.
18 Hic ego praesentes inter numerarer amicos;
Mitia ius Vrbis si modo fata darent.

11 *Eliderer turba.* Quamvis premerer a nimia multitudine.

13 *Quam me vulgaria tangant.* Quantum me delectent ea, quibus vulgus etiam movetur. || *Qualis purpura.* Quam pulchra vestis ex purpura dibapha, hoc est, bis tincta.

14 *Signa formata.* Simulacra rerum sculpta. || *In sella curuli.* In sede consulari eburnea. || *Et totum opus sculptile.* Id est, totum opus sculptum in ea sella. || *Numidae dentis.* Dentis elephantis Numidici, et Africani.

15 *In arces Tarpeias.* In arcem Capitolinam. || *Dum caderet.* Dum sacrificaretur. || *Victima.* Hostia Diis dicata et eximia.

16 *Me quoque audisset.* Me etiam inter reliquos, qui in Capitolium ascenderant cum Consule, ut Iovi gratias agerent pro sibi delato consulatu, pro te gratias secreto et summissim agentem audisset. || *Magnus Deus.* Iupiter Capitolinus. || *Media qui sedet aede.* Qui permanet medio arcis templo.

17 *Plena quam lance.* Quam acerra plena thuris: h. e. pro te magis preces fudissem ex animo, quam thura. || *Ter quater.* Saepius. || *Tui imperii.* Tui consulatus.

18 *Hic.* Romae. || *Praesentes.* Qui tecum essent. || *Si modo mitia fata.* Si modo Dii mihi placidi et non irati. || *Darent ius Vrbis.* Ius Vrbis: h. e. ut possem in Vrbe, sive Romae esse, praesens inter praesentes amicos tuos numerarer.

19 Quaeque mihi sola capitur nunc mente voluptas,
Tunc oculis etiam percipienda foret.
20 Non ita Caelitibus visum est, et forsitan aequis:
Nam quid me poenae caussa negata iuvet?
21 Mente tamen, quae sola loco non exsulat, utar:
Praetextam, fasces adspiciamque tuos.
22 Haec modo te populo reddentem iura videbit;
Et se secretis finget adesse locis.
23 Nunc longi reditus hastae supponere lustri
Cernet, et exacta cuncta locare fide.
24 Nunc, facere in medio facundum verba Senatu,
Publica quaerentem quid petat utilitas.
25 Nunc, pro Caesaribus, Superis decernere grates;
Albave opimorum colla ferire boum.
26 Atque utinam, cum iam fueris potiora precatus,
Vt mihi placetur numinis ira, roges!
27 Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara;
Detque bonum voto lucidus omen apex.

19 *Capitur mente.* Animo percipitur, cogitando Consulatus tui pompam. || *Tunc oculis.* Tunc si essem Romae.

20 *Et forsitan aequis.* Et forsitan iuste me punientibus, quia merui. || *Nam.* Nam quid iuvabit, inquit, si dixero me non meruisse hanc poenam?

21 *Mente utar.* Animo volvam et complectar.|| *Loco.* Roma.||*Praetextam.* Vestem consularem.

22 *Haec.* Subaudi *mens* mea. || *Populo reddentem iura.* Populo ius dicentem. || *Se adesse.* Mentem meam prope esse et audire. || *Et finget.* Et existimabit.

23 *Reditus lustri.* Proventus quinquennales: nam vectigalia locabantur per quinquennium.||*Supponere hastae.* Locare in publica auctione.|| *Exacta fide.* Bona fide.

25 *Pro Caesaribus.* Pro imperatoribus. Tiberium enim, et eius liberos designat.||*Superis decernere grates.* Decernere supplicationes, in quibus gratiae Diis agebantur ob victoriam aliquam.|| *Albu colla.* Colla candidarum victimarum, quae in ipsis supplicationibus Diis a consulibus offerebantur.

26 *Potiora.* Maiora, et ad Caesarem ac rempublicam spectantia. || *Placetur mihi.* Mitior mihi fiat. || *Ira numinis.* Tiberii iram designat, quem una cum Augusto Poëtae iratum fuisse credendum est.

27 *Surgat.* Accendatur in signum boni ominis. || *Ad hanc vo-*

28 Interea, qua parte licet, ne cuncta queramur;
Hic quoque te festum Consule tempus agam.
29 Altera laetitiae, nec cedens caussa priori,.
Successor tanti frater honoris, erit.
30 Nam tibi finitum summo, Graecine, Decembri
Imperium, Iani suscipit ille die.
31 Quaeque est in vobis pietas, alterna feretis
Gaudia, tu fratris fascibus, ille tuis.
32 Sic tu bis fueris Consul, bis Consul et ille;
Inque domo bimus conspicietur honor. (mo
33 Qui quamquam est ingens, et nullum Martia sum-
Altius imperium Consule Roma videt;
34 Multiplicat tamen hunc gravitas auctoris honorem:
. Et maiestatem res data dantis habet.

cem. Ad has pro me preces.|| *Ab ara plena*. Ab ara plena victimae, et sacrificii. || *Pius ignis*. Ignis arae, erga me pietatem prae se ferens. || *Bonum omen*. Bonum augurium. || *Lucidus apex*. Ipse ignis clarus et purus in apice et cacumine: id enim maxime observabant.

28 *Interea*. Interim dum quae supra dixi fient. || *Qua parte licet*. Quo modo possum, hoc est, mente, quia corpore non licet adesse tuae pompae || *Ne cuncta queramur*. Ne singula pompae huius spectacula cum querela commemorem. || *Hic*. In Scythia. || *Agam festum tempus*. Celebrabo tempus illud quo ea fient, quae dixi, tanquam festum.

30 *Summo Decembri*. Summa et extrema parte Decembris. || *Imperium*. Consulatum. || *Iani die*. Calendis Ianuarii. || *Ille*. Scilicet frater tuus.

31 *Quaeque est in vobis pietas*. Et pro ea pietate et amore, qui est in vobis mutuus. || *Alterna feretis guaudia*. Alternatim et vicissim gaudebitis. || *Tu fratris fascibus*. Tu, Graecine, gaudebis insignibus consulatus fratris tui.|| *Ille*. Frater, tuis insignibus.

32 *Sic*. Ita gaudendo. || *Tu bis fueris Consul*. Bis gaudendo, videberis bis consulatus adeptus. || *Inque domo*. Et domi vestrae. || *Bimus honor*. Duo consulatus.

33 *Nullum altius imperium*. Nullam maiorem potestatem: siquidem pulsis regibus, consulare imperium factum est cum omni regia potestate et insignibus. Apud eos totius imperii summa erat. || *Martia Roma*. Roma quae Martem gentis autorem habuit, patrem Romuli et Remi. || *Summo Consule*. Suprema consulis potestate.

34 *Multiplicat*. Auget et augustiorem facit. || *Hunc*. Consulatum

35 Iudiciis igitur liceat Flaccoque tibique
Talibus Augusti tempus in omne frui.
36 Vt tamen a rerum cura propiore vacabit;
Vota precor votis addite vestra meis;
37 Et, si quem dabit aura sinum, laxate rudentes;
Exeat e Stygiis ut mea navis aquis.
38 Praefuit his, Graecine, locis modo Flaccus; et illo
Ripa ferox Istri sub duce tuta fuit.
39 Hic tenuit Mysas gentes in pace fideli:
Hic arcu fisos terruit ense Getas.
40 Hic captam Trosmin celeri virtute recepit,
Infecitque fero sanguine Danubium.

scilicet.|| *Gravitas auctoris* Splendor Augusti. || *Maiestatem dantis.* Venerationem illam et dignitatem Augusti, qui tibi detulit hunc magistratum || *Res data.* Consulatus

35 *Iudiciis talibus Augusti.* Huiusmodi Augusti de te opinionibus. || *Flacco.* Et fratri tuo Flacco, quem Augustus dignum censuit eo magistratu. || *Frui.* Fructum capere. || *In omne tempus.* Toto vitae tempore.

36 *A rerum cura.* Ab administratione rerum publicarum. || *Propiore.* Magis vicina rebus publicis quam privatis. || *Vacabit.* Tempus erit vobis. || *Vota vestra.* Vestra de me desideria. || *Votis meis.* Quae sunt, ut in patriam reducar.

37 *Aura.* Ventus. || *Dabit sinum.* Inflabit vela: vel, si ostenderit se oportunitas et spes aliquid impetrandi. Hoc est, si videris Imperatorem Tiberium te placide audire loquentem pro me. || *Laxate rudentes.* Eo flectite pedem et vela. Solent enim nautae quandoque in dextram, quandoque in sinistram vela flectere, in eam partem, unde venti flant. Per *rudentes* autem intelligit sermonem, quem per similitudinem nunc in hanc partem, nunc in aliam flectendum esse dicit, quemadmodum viderint Imperatorem velle. || *E Stygiis aquis.* Ab inferis: hoc est, ex Scythia ubi exsulo. || *Mea navis.* Mea vita.

38 *His locis.* Orae Ponticae || *Flaccus.* Frater tuus.

39 *Hic tenuit.* Hic Flaccus frater continuit. || *Mysas gentes.* Populos Mysiae. *Mysia* autem provincia Pannoniae contermina ad Pontum usque decurrit. || *Arcu fisos.* Fretos iaculandi arte, et sagittis.

40 *Hic.* Scilicet Flaccus || *Captam.* A Scythis, Romanis ademptam. || *Trosmin. Trosmis* est oppidum Mysiae inferioris || *Recepit.* Recuperavit. || *Infecitque* Et tinxit, hostes occidendo. || *Fero sanguine.* Sanguine crudelium Scytharum.

41 Quaere loci faciem, Scythicique incommoda caeli;
Et quam vicino terrear hoste, roga;
42 Sintne litae tenues serpentis felle sagittae:
Fiat an humanum victima dira caput;
43 Mentiar, an coëat duratus frigore pontus;
Et teneat glacies iugera multa freti.
44 Haec ubi narrarit, quae sit mea fama, require;
Quoque modo peragam tempora dura, roga.
45 Nec sumus hic odio, nec scilicet esse meremur:
Nec cum Fortuna mens quoque versa mea est.
46 Illa quies animo, quam tu laudare solebas,
Ille vetus solito perstat in ore pudor.
47 Sic ego sum longe, sic hic, ubi barbarus hostis,
Vt fera plus valeant legibus arma, facit;
48 Rem queat ut nullam tot iam, Graecine, per annos
Femina de nobis virve puerve queri.
49 Hoc facit, ut misero faveant adsintque Tomitae;
Haec quoniam tellus testificanda mihi est.

41 *Quaere.* Ab eodem fratre disce, et illum percontare. || *Loci faciem.* Formam Scythiae. || *Et roga.* Et interroga ipsum tuum fratrem. || *Quam vicino terrear hoste.* Quantum a vicinis Scythis perterrefiam.

42 *Sint ne litae.* An sint oblitae et infectae. || *Tenues sagittae.* Leves, vel veloces Scytharum sagittae. || *Felle serpentis.* Veneno. || *Fiat.* Quaere etiam an homines sacrificentur a Scythis; quorum consuetudo erat hospites immolare.

43 *Mentiar.* Quaere etiam, si sum mendax. || *An coëat.* An verum sit quod mare Ponticum geletur. || *Et teneat glacies.* Et mare Ponticum adeo late congeletur ut procedat per multa iugera.

44 *Quae sit mea fama.* Quod sit meum nomen in Scythia. || *Tempora dura.* Tempora haec, quibus exulo, mihi tristia et ideo aspera. || *Roga.* Interroga ipsum tuum fratrem.

45 *Cum Fortuna.* Cum hac mea calamitate. || *Mens.* Animus.

46 *Illa quies animo.* Modestia. || *Ille vetus pudor.* Illa pristina verecundia. || *In ore.* In facie mea.

47 *Facit ut fera arma plus.* Efficit ut plus possint arma et vires, quam ius. Ibi enim nullae leges servantur, sed vi omnia gubernantur.

49 *Hoc.* Scilicet mea quies animi. || *Haec quoniam tellus.*

50 Illi me, quia velle vident, discedere malunt:
Respectu cupiunt hic tamen esse sui.
51 Nec mihi credideris: extant decreta, quibus nos
Laudat, et immunes publica cera facit.
52 Conveniens miseris haec quamquam gloria non est,
Proxima dant nobis oppida munus idem.
53 Nec pietas ignota mea est: videt hospita tellus
In nostra sacrum Caesaris esse domo.
54 Stant pariter natusque pius, coniuxque sacerdos,
Numina iam facto non leviora Deo.
55 Neu desit pars ulla domus; stat uterque nepotum:
Hic aviae lateri proximus, ille patris.
56 His ego do toties cum ture precantia verba,
Eoo quoties surgit ab orbe dies.

Quoniam tellus haec Scythiae nominanda, tanquam testis meae modestiae.

50 *Illi.* Illi Tomitae, qui vident desiderium meum discedendi ab eis in patriam, vellent ut discederem. || *Respectu sui.* Habità ratione ipsorum Tomitarum, et eorum causa. || *Hic.* In urbe Tomitana.

51 *Extant decreta.* Apparent sanctiones Tomitarum de me. || *Laudat nos.* Laudat mores et virtutes meas. || *Et immunes facit.* Facit exemptos ab omni onere civitatis, et tributorum. || *Publica cera.* Decreta publica scripta in tabulis ceratis, vel sigillata sigillo reipublicae Tomitanae.

52 *Conveniens miseris.* Et quamvis non deceat miserum, ut ego sum, gloriari. || *Proxima oppida.* Finitimae urbes. || *Dant nobis munus.* Praestant et offerunt mihi eandem immunitatem, et me liberant ab omni tributorum onere.

53 *Pietas mea.* Meus erga Caesares amor. || *Hospita tellus.* Terra Tomitana, quae me hospitem habet. || *Sacrum Caesaris.* Sacellum Augusti.

54 *Stant pariter.* Stant una cum Augusto in eodem sacello. || *Natusque pius.* Et Tiberius. || *Coniuxque sacerdos.* Et Livia casta, quae Deum suum Augustum colit, tanquam sacerdotes sua numina. || *Numina non leviora.* Non minores Dii, filius scilicet Augusti et Livia || *Deo iam facto.* Augusto iam inter caelites numerato post mortem.

55 *Pars ulla domus.* Aliqua pars familiae Augusti. || *Hic.* Tiberius ad Liviae latus. || *Ille.* Drusi imago. || *Patris.* Ad latus Augusti.

56 *Cum ture precantia verba.* Preces adhibeo sacrificio, quod

57 Tota, licet quaeras, hoc me non fingere dicet,
Officii testis, Pontica terra, mei.
58 Pontica me tellus, quantis hac possumus ora,
Natalem ludis scit celebrare Dei.
59 Nec minus hospitibus pietas est cognita talis,
Misit in has si quos longa Propontis aquas.
60 Is quoque, quo laevus fuerat sub Praeside Pontus,
Audierit frater forsitan ista tuus.
61 Fortuna est impar animo, talique libenter
Exiguas carpo munere pauper opes. (moti:
62 Nec vestris damus haec oculis, procul Vrbe re-
Contenti tacita sed pietate sumus.
63 Et tamen haec tangent aliquando Caesaris aures.
Nil illum, toto quod fit in orbe, latet.

illic offero. || *Ab orbe Eöo.* Ab orientali plaga. || *Surgit.* Oritur.

57 *Tota terra Pontica.* Hoc est, Ponticae terrae incolae. || *Officii mei.* Meae pietatis erga Augustum.

58 *Quantis ludis.* Quam magnis pompis. Solebant autem alea et variis ludis antiqui dies natales celebrare; et variis lusibus, ac iocis genio indulgere. || *Natalem diem.* Diem quo natus est Augustus. Is fuit Marco Tullio Cicerone et Antonio Consulibus IX. Cal. Oct. paulo ante solis ortum.

59 *Hospitibus.* Peregrinis, qui hanc oram navigant. || *Misit in has aquas.* Aditum dedit veniendi ad Tomitanam urbem. || *Longa Propontis.* Mare illud in longitudinem porrigitur.

60 *Is tuus frater.* Iste Flaccus frater tuus. || *Sub quo Praeside.* Sub quo Flacco fratre praetore. || *Pontus fuerat levus.* Ponticae regionis populus fuerat mollis ac tractabilis, et qui quasi feritatem illam mutaverat.

61 *Fortuna est impar animo.* Non possum tantum assequi vel impendere propter impotentiam, quantum cupio, ostendendo pietatem erga Augustum. || *Tali.* Tali pietatis officio. || *Carpo.* Consumo, et expendo.

62 *Nec vestris damus haec oculis.* Nec haec celebramus in conspectu vestro, ut videamur a vobis, et eo pacto gratiam vestram ineamus. || *Tacita pietate.* Hoc meo amore erga Augustum ignoto illi, et eius amicis.

63 *Haec.* Ista superius dicta. || *Tangent.* Aliquando pervenient ad Augusti intelligentiam et notitiam usque in caelum. || *Nil illum latet.* Nil ab eo Augusto ignoratur, tanquam Deo

64 Tu certe scis hoc; Superis adscite, videsque,
Caesar; ut est oculis subdita terra tuis.
65 Tu nostras audis inter convexa locatus
Sidera, sollicito quas damus ore, preces.
66 Perveniant istuc et carmina forsitan illa,
Quae de te misi caelite facta novo.
67 Auguror his igitur flecti tua numina; nec tu
Immerito nomen mite Parentis habes.

EPISTOLA X.

ALBINOVANO.

ARGVMENTVM. Ad Pedonem Albinovanum amicum et poëtam scribens Ovidius, tempus exprimit, quo ipse in pontica ora vitam egerit inter Getas pellitos; malaque sua, quae commemorat, malis Ulyssis maiora esse colligit. Postremo illum rogat, ut fidem sibi servet in adversis, imiteturque Theseum, cuius gesta ipse carmine complectebatur.

1 Hic mihi Cimmerio bis tertia ducitur aestas
Littore, pellitos inter agenda Getas.
2 Ecquos tu silices, ecquod, carissime, ferrum
Duritiae confers, Albinovane, meae?

64 *Superis adscite.* Inter Deos numerate. || *Vt.* Prout tu e caelo despicis quae fiunt in terra.

65 *Convexa sidera.* H. e. pendentia; ut et *caeli convexa.*

66 *Perveniant istuc.* Ad caeli convexa. || *De te.* De tua divinitate et laude. || *Misi.* Romam mittenda curavi. || *Facta.* Composita. || *Caelite novo.* Novo Deo.

67 *His.* Istis supra dictis rebus, et hac mea pietate erga te, o Auguste. || *Flecti.* Placari mihi. || *Mite nomen.* Placidum nomen, et nomen clementis Imperatoris. || *Parentis.* Patria patriae. Quod ei nomen ultro senatus detulit, ut alibi etiam diximus.

1 *Cimmerio.* In Ponto; nam litus Ponticum etiam pertinebat ad Cimmerios, qui erant in Chersoneso Taurica. || *Inter Getas pellitos.* Inter Getas, qui rhenonibus, hoc est, vestibus e pellibus utuntur.

2 *Ecquos silices.* Et quos lapides durissimos. || *Duritiae meae.*

3 Gutta cavat lapidem; consumitur annulus usu;
Et teritur pressa vomer aduncus humo.
4 Tempus edax igitur, praeter nos, omnia perdet?
Cessat duritia mors quoque victa mea.
5 Exemplum est animi nimium patientis Vlixes,
Iactatus dubio per duo lustra mari.
6 Tempora solliciti sed non tamen omnia fati
Pertulit; et placidae saepe fuere morae.
7 An grave sex annis pulchram fovisse Calypso,
Aequoreaeque fuit concubuisse Deae?
8 Excipit Hippotades; qui dat pro munere ventos,
Curvet ut impulsos utilis aura sinus.
9 Nec bene cantantes labor est audisse puellas;
Nec degustanti lotos amara fuit.

Meo robori, et animi magnitudini in ferendis malis. || *Confers*. Comparas.

4 *Praeter nos*. Me excepto, quem non perimit, sed in his malis vivum relinquit. || *Perdet*. Destruet.||*Cessat*. Desinit me occidere.

5 *Iactatus*. Vexatus et agitatus. || *Dubio mari*. Mari non fido. Mare enim dicitur *dubium*, cui non est fidendum, propter eius tempestates incertas, nec statas. || *Per duo lustra*. Per decennium.

6 *Tempora omnia*. Totos decem annos. || *Solliciti fati*. Fortunae et dispositionis Deorum, sollicitum et tristem illum facientis. || *Placidae*. Saepe fuere iucundae, quia divertebat apud Deas et alias personas, ubi illi omnia arridebant. ||*Morae*. Intervalla morandi in aliquibus locis.

7 *Pulchram Calypso*. *Calypso* filia fuit Thetidis et Oceani; et ideo eam *aequoream* appellat. Ea insulam coluit contra Africam, quam Homerus *Ogygiam*, Pomponius vero *Aeaeam* appellat.|| *Aequoreaeque Deae*. Calypso intellige. || *Fuit grave*. Fuit molestum.

8 *Excipit Hippotades*. Suscipit Vlyssem Aeolus Hippotae filius. || *Qui dat pro munere ventos*. Ferunt poëtae Vlyssem ab Aeolo ventos accepisse in utre, ut domum suam sine eorum laesione navigaret: et cum novem dies navigans in Pontum pervenisset, tanta fuit aviditas sociorum noscendi quid illud esset, ut opes putantes, utrem solverent. Quo facto, venti continuo evolarunt, et illum redire coëgerunt. || *Curvet impulsos sinus*. Vela tumefaciat impellendo suo flatu. || *Vtilis aura*. Ventus sibi propitius, et secundus navigationi suae.

9 *Bene cantantes puellas*. Sirenes bene canentes, quas tres fuisse

10 Hos ego, qui patriae faciant oblivia, succos
Parte meae vitae, si modo dentur, emam.
11 Nec tu contuleris urbem Laestrygonis unquam
Gentibus, obliqua quas obit Ister aqua.
12 Nec vincet saevum Cyclops feritate Phyacen,
Qui quota terroris pars solet esse mei. (stris,
13 Scylla feris trunco quod latrat ab inguine mon-
Heniochae nautis plus nocuere rates.

legimus, *Parthenopen*, *Leucosiam*, et *Lygiam*: habitasseque Siciliam circa Pelorum. Fuere autem Sirenes filiae Acheloi et Calliopes, sive Terpsichores. Hae quidem cantu mortales allectos in mare deturbabant. Vlysse vero Circes usus consilio, cera aures sociorum obturavit. Ipse vero alligatus malo, ne cogeretur in mare desilire, illarum cantus audivit impune. || *Nec degustanti.* Vlysses tempestate delatus ad Lotophagos, in Africam agitur, socios sciscitatum mittit: qui gustata loto, nequicquam renunciare, nec redire curabant; cibi enim suavitate allecti, suorum vivebant obliti. Quos Vlysses invitos ad naves reduxit.

10 *Hos succos.* Hunc loti fructum. || *Qui patriae faciant oblivia.* Qui mihi talem inducant patriae meae et Romanae civitatis oblivionem, qualem induxit sociis Vlyssis. || *Parte meae vitae.* Aliqua parte meorum annorum.

11 *Vrbem Laestrygonis.* Fuere *Laestrygones* populi in extremo Italiae Siciliam versus, efferis moribus. Ad hos igitur pervenit Vlysses, misitque Macareum cum duobus sociis ad Antiphaten; qui vix cum altero fuga vitam servavit. || *Nec unquam contuleris.* Nec unquam comparaveris: quia Scythae sunt magis saevi; Laestrygones vero mitiores ipsis Scythis. || *Gentibus.* Populis Scythiam et oram Ponticam tenentibus, quos per Istrum designat. || *Obit.* Circuit, transit. || *Obliqua aqua.* Aqua Danubii, non recto, sed flexuoso cursu labenti per populos Scythiae.

12 *Saevum Phyacen.* Immanem illum regem Scytharum. || *Quota pars.* Rara vel nulla pars.

13 *Scylla feris trunco.* Scyllam Arcesilaus tradit filiam fuisse Phorci et Hecates. Alii Phorbantis et Hecates; unde *Phorbantias* dicitur. Hanc Glaucus marinus Deus amavit, propter quod a Circe in monstrum marinum conversa est. || *Quod latrat.* Quod in Vlyssem saeviat solo latratu. || *Monstris feris.* Canibus et monstris marinis. || *Ab inguine trunco.* Ab inguine separato forma a reliqua parte corporis, id enim solum fuit refertum capitibus caninis. *Inguina* enim summae coxae partes dicuntur. || *Heniochae nautis.* Fuere *Heniochi* populi in ora maris Euxini in Colchica regione montosa et

14 Nec potes infestis conferre Charybdin Achaeis,
Ter licet epotet, ter vomat illa fretum.
15 Qui quamquam dextra regione licentius errant;
Securum latus hoc non tamen esse sinunt.
16 Hic agri infrondes, hic spicula tincta venenis:
Hic freta vel pediti pervia reddit hiems:
17 Vt, qua remus iter pulsis modo fecerat undis,
Siccus contemta nave viator eat.
18 Qui veniunt istinc, vix vos ea credere dicunt
Quam miser est, qui fert asperiora fide!
19 Credo tamen: nec te caussas nescire sinemus,
Horrida Sarmaticum cur mare duret hiems.
20 Proxima sunt nobis plaustri praebentia formam,
Et quae praecipuum sidera frigus habent.

importuosa, et latrociniis maritimis vixere. Per *rates* ergo *Heniochas* designat Poëta piratas Heniochorum, a quibus se fortunis exutum innuit, aut captum fortasse, sed pecunia redemptum, ut statim dicemus.

14 *Nec potes conferre.* Nec potes comparare.|| *Charybdin.* Charybdis femina fuit voracissima: quae, quia boves Herculis rapuit, a Iove fulminata est, et in mare praecipitata. Vbi servat naturam, nam sorbet universa. || *Achaeis infestis.* Populis illis infestantibus totam hanc oram Ponticam, et qui ex maritimis latrociniis vivebant.|| *Epotet.* Absorbeat.|| *Vomat.* Eiiciat.

15 *Qui quamquam dextra regione.* Qui Achaei quamvis magis infestent dextrum littus Pontici maris, non tamen relinquunt intactam oram Tomitanam. || *Latus hoc.* Hanc oram nostram, quae est in laeva parte maris Euxini.

16 *Hic agri infrondes.* In Scythia, ubi exsulo, sunt agri sine ullis frondibus et arboribus. || *Hic spicula tincta.* In Scythia etiam sagittarum spicula inficiunt venenis. || *Vel pediti pervia.* Quia congelatur mare nimio frigore septentrionali, cui subiacet.

17 *Pulsis undis.* Impulso mari remorum agitatione. || *Siccus viator.* Viator per congelatum mare incedens siccis pedibus. || *Contempta nave.* Neglecto navis usu.

18 *Istinc.* Roma. || *Qui fert.* Ille qui patitur. || *Asperiora fide.* Duriora quam ut credantur.

19 *Cur horrida hiems.* Cur hibernum tempus asperum. || *Duret mare.* Mare congeletur.

20 *Sidera.* Septentriones dicit, Vrsam nempe maiorem et minorem. || *Praecipuum frigus.* Et quae sidera infestantur maximo frigore.

21 Hinc oritur Boreas, oraeque domesticus huic est;
Et sumit vires a propiore loco.
22 At Notus, adverso tepidum qui spirat ab axe,
Est procul; et rarus languidiorque venit.
23 Ad quod hic clauso miscentur flumina Ponto,
Vimque fretum multo perdit ab amne suam.
24 Huc Lycus, huc Sagaris, Peniusque, Hypanisque,
Influit, et crebro vortice tortus Halys: (Cratesque
25 Partheniusque rapax, et volvens saxa Cynapes
Labitur; et nullo tardior amne Tyras.

21 *Hinc oritur Boreas.* Ex hac regione septentrionali Boreas nascitur, et inflare incipit vehementius. || *Oraeque domesticus huic est.* Et est propinquus huic regioni, quam ego incolo. || *Et sumit vires.* Et quia propinquior est, ergo vehementius infestat regionem istam.

22 *At Notus.* Sed Auster calidus, ideo, quia per meridiem regionem calidam transit. || *Ab axe adverso.* A septentrione opposito. || *Est procul.* Longe distat a septentrionali, et Pontica regione, quam habito. || *Et rarus.* Et minus violentus, et raro spirans. || *Languidiorque.* Et debilior propter locorum distantiam, qua impetus ille elassescit.

23 *Ponto clauso.* Mari Euxino circumquaque littoribus septo, nec ullum alium meatum habenti, nisi Propontidem. || *Perdit vim suam.* Non est amarum, immo dulce, et congelatur contra maris naturam.

24 *Huc Lycus influit.* Lycus fluvius labitur in hoc mare Ponticum, et ideo congelatur. Est autem *Lycus* fluvius Armeniae. || *Huc Sagaris.* In ora Pontica post Bosphori fauces et Rhesum amnem, portumque Calpas, est Sagaris fluvius, ortus in Phrygia. || *Peniusque.* Flumen in ora Pontici littoris desinens. || *Hypanisque.* Hypanis, fluvius est Scythiae ex magna palude profluens. || *Cratesque.* Cratem fluvium ad oram Ponticam fluere, hic innuit Ovidius: sed nihil compertum habemus. || *Tortus.* Flexus, et sinuosis recursibus fluens. || *Calys.* Halys fluvius est decurrens a radicibus Tauri per Cataoniam, Cappadociamque.

25 *Parthenius.* Parthenius fluvius est Paphlagonum, Carambi promontorio proximus, ut scribit Plinius, caditque in Pontum. *Rapacem* autem appellat, propter eius cursum, qui omnia rapit et aufert. || *Cynapes.* Et hoc flumen in Pontum decurrens. || *Tyras.* Scythae amnis, in oram Ponti sinistram defluens, qui oppido nomen imposuit.

26 Et tu, femineae Thermodon cognite turmae;
Et quondam Graiis Phasi petite viris.
27 Cumque Borysthenio liquidissimus amne Dyraspes,
Et tacite peragens lene Melanthus iter.
28 Quique duas terras, Asiam Cadmique sororem
Separat, et cursus inter utramque facit.
29 Innumerique alii, quos inter maximus omnes
Cedere Danubius se tibi, Nile, negat.
30 Copia tot laticum, quas auget, adulterat undas:
Nec patitur vires aequor habere suas.
31 Quin etiam stagno similis, pigraeque paludi,
Caeruleus vix est, diluiturque color.

26 *Et tu, femineae Thermodon.* Thermodon fluvius est qui a monte Armenio dilabitur, atque inde usque ad Amazones celeri cursu proripitur. Vnde hic Poëta Thermodonta dicit a turba feminea, hoc est, ab Amazonibus, cognitum fuisse: quia illae iuxta eum fluvium habitabant. || *Phasi.* Phasis ingens fluvius est, qui Colchidem illabitur, ortumque ex Armenia ducit. || *Graiis viris.* Argonautas intelligit.

27 *Borysthenio.* Borysthenes, fluvius, secundum Istrum omnium maximus, pascua praebens amoenissima; idem ad potandum suavissimus.||*Liquidissimus Dyraspes.* Clarissimus seu limpidissimus ille fluvius, cuius tamen nullam apud auctores mentio invenitur. || *Tacite peragens.* Sine murmure praecurrens. || *Lene iter.* Placidum iter, et sine ullo strepitu.|| *Melanthus.* Melanthus fluvius est in Pontum cursu admodum leni delabens.

28 *Quique duas terras.* Tanaim designat: qui vasta palude profluens, in aliam vastiorem diffunditur, nomine Maeotim. || *Asiam Cadmique sororem.* Exponit quae sint hae duae terrae, quas Tanais separat. || *Inter utramque.* Inter Europam et Asiam, quas ipse Tanais dividit, ut diximus.

29 *Innumerique alii.* Et alii fluvii multi, quos circiter quadraginta esse Strabo asserit. Inter quos, inquit, *Danubius*, qui alio nomine *Ister* appellatur, maximus omnium Scythiae fluminum, et qui non cedit *Nilo*, influit in Pontum.

30 *Copia tot laticum.* Copia tot aquarum fluvialium. || *Quas auget.* Quas undas maris ipsa aqua tot fluminum copia maiores reddit. || *Adulterat undas.* Corrumpit et mutat maris naturam. || *Vires suas.* Quae sunt ut non astringatur gelu.

32 Innatat unda freto dulcis, leviorque marina est;
Quae proprium misto de sale pondus habet.
33 Si roget haec aliquis, cur sint narrata Pedoni,
Quidve loqui certis iuverit ista modis;
34 Detinui, dicam, tempus, curasque fefelli.
Hunc fructum praesens attulit hora mihi.
35 Abfuimus solito, dum scribimus ista, dolori;
In mediis nec nos sensimus esse Getis.
36 At tu, non dubito, cum carmine Thesea laudes,
Materiae titulos quin tueare tuae; (cto
37 Quemque refers, imitere virum. Vetat ille profe-
Tranquilli comitem temporis esse fidem.
38 Qui quamquam est factis ingens, et conditus a te
Vir tanto, quanto debuit ore cani;
39 Est tamen ex illo nobis imitabile quiddam,
Inque fide Theseus quilibet esse potest.

32 *Vnda dulcis.* Aqua fluvialis.|| *Leviorque marina est.* Causam assignat quare aqua dulcis innatet aquae marinae, quia illa levior est.

33 *Pedoni.* Cur haec Albinovano Pedoni poëtae retuleris de Scythia, et de incommodis tuis.|| *Quidve iuverit.* Et quid tibi profuerit. || *Certis modis.* Modulationibus et carminibus minime mendacibus.

35 *Abfuimus solito dolori.* Dolorem consuetum deposui haec scribendo.

36 *At tu non dubito.* Nunc ad Pedonem vertit sermonem, qui Thesei gesta carmine complectebatur. || *Titulos tuae materiae.* Virtutes et fidem erga amicos tui Thesei, de quo tractat. Is enim Pirithoum dicitur mira benevolentia complexus fuisse. || *Quin tueare tuae.* Cur non defendis illum imitando, exhibendo te mihi amico fidum.

37 *Quem refers.* Cuius Thesei gesta et laudes exponis || *Virum.* Thesea. || *Vetat ille profecto Tranquilli.* Theseus suo exemplo demonstravit amico in adversis, non in prosperis, fidem praestandam.

38 *Qui quamquam est factis ingens.* Qui Theseus, quamvis rerum gestarum gloria magnus habeatur. || *Et conditus a te.* Et a te celebratur tanto ore, et laudibus, quantis vix debuit cani.

39 *Quilibet esse potest.* Et unusquisque in amore, et fide amicis praestanda, potest Theseum imitari, et esse idem quod ipse fuit Pirithoo, pro quo Theseus pugnavit contra Centauros.

40 Non tibi sunt hostes ferro clavaque domandi,
Per quos vix ulli pervius Isthmos erat :
41 Sed praestandus amor, res non operosa volenti.
Quis labor est puram non temerasse fidem ?
42 Haec tibi, qui perstas indeclinatus amico,
Non est quod lingua dicta querente putes.

40 *Non tibi sunt hostes.* Nolo, inquit, pro me pugnes quemadmodum Theseus pro Pirithoo. || *Ferro.* Armis. Sane a clava *claviger* a poëtis Hercules appellatur. || *Per quos.* Scilicet hostes. || *Vix ulli pervius Isthmos erat.* Vix Isthmon Corinthiacum quisquam adire poterat. Designat autem Scynim (vel Scyronem) latronem saevissimum. Duo autem Isthmi celebres memorantur: unus *Achaicus*, in quo fuit Corinthus, quem hic Ovidius prius minime pervium fuisse dicit. Alter vero Isthmus est *Thracius.*

41 *Sed praestandus amor.* Sed mihi est opus fide et benevolentia tua. || *Res non operosa.* Res haec, quam a te peto, est non difficilis, si volueris. || *Quis labor est.* Quae difficultas est. || *Fidem.* Non violasse fidem erga amicum, candidam et sinceram.

42 *Indeclinatus amico.* Qui nunquam a me amico declinasti. || *Perstas.* Permanes in fide. || *Haec dicta tibi.* Haec quae superius dixi de fide Thesei a me tibi exposita. || *Lingua querente.* Sermone quo de te videar conqueri.

EPISTOLA XI.

GALLIONI.

ARGVMENTVM. Factus Poëta certior Gallionis amici literis de obitu huius uxoris, primo dicit, se nefas ducere non celebrare illum suis carminibus, quandoquidem ille casum suum lacrymis et dolore semper prosecutus sit, quod itidem dicit se fecisse audita uxoris eius morte. Deinde exponit minime audere eum consolari, propterea quod ipse prudentior optime novit ea, quae sunt in eam rem ab auctoribus scripta; additque fore ut toto intervallo illo temporis, quo eius literas accepit, quoque ipse suas ad eum mitteret, propter locorum distantiam, dolor eius iam imminutus sit. Tertiam etiam rationem subiungit cur nolit ullo consolationis genere uti, quod fortasse alia ducta uxore nova, huiusmodi literae intempestive accederent.

1 Gallio, crimen erit vix excusabile nobis,
Carmine te nomen non habuisse meo.
2 Tu quoque enim, memini, caelesti cuspide facta
Fovisti lacrimis vulnera nostra tuis.
3 Atque utinam, rapti iactura laesus amici,
Sensisses ultra, quod quererere, nihil!
4 Non ita Dîs placuit, qui te spoliare pudica
Coniuge crudeles non habuere nefas.
5 Nuntia nam luctus mihi nuper epistola venit:
Lectaque cum lacrimis sunt tua damna meis.

1 *Carmine meo.* In hoc meo opere. || *Nomen.* Indicem nominis tui, testem tui in me amoris.

2 *Caelesti cuspide.* Augusti ictu. || *Facta nostra vulnera.* Calamitatem hanc meam, qua affectus fui. Intelligit autem relegationem.|| *Fovisti tuis lacrimis.* Lacrimis tuis prosecutus es, et dolore.

3 *Rapti amici.* Mei tibi adempti exsilio, et Augusti iussu.||*Sensisses nihil ultra.* Nihil alieni doloris accepisses. || *Quod quererere.* Quod questu et luctu tuo declarares.

5 *Tua damna.* Vxoris tuae obitus, qui tibi damnum attulit.

6 Sed neque prudentem solari stultior ausim,
Verbaque doctorum nota referre tibi :
7 Finitumque tuum, si non ratione, dolorem
Ipsa iam pridem suspicor esse mora.
8 Dum tua pervenit, dum litera nostra recurrens
Tot maria ac terras permeat, annus abit.
9 Temporis officium solatia dicere certi est:
Dum dolor in cursu est, dum petit aeger opem.
10 At cum longa dies sedavit vulnera mentis ;
Intempestive qui fovet illa, novat.
11 Adde quod, atque utinam verum tibi venerit omen!
Coniugio felix iam potes esse novo.

6 *Stultior.* Ego minus prudens || *Verba doctorum.* Dicta scriptorum et philosophorum , rationes ostendentium, homines non debere prosequi mortuos lacrymis.

7 *Finitum esse ipsa mora.* Ipsa longinquitate temporis esse labefactum. || *Si non ratione.* Duo dicit dolorem posse tollere, aut scilicet rationes ostendentes non esse morte dolendum; aut temporis diuturnitatem.

9 *Temporis certi.* Temporis sui et convenientis. || *Officium est.* Amici munus est. || *Dicere solatia.* Verba consolatoria afferre. || *Dum dolor in cursu est.* Dum saevit dolor.|| *Dum petit aeger opem.* Dum qui dolet, indiget consolatione.

10 *At cum longa dies.* At cum diuturnitas temporis. || *Sedavit vulnera mentis.* Dolorem animi lenivit.|| *Intempestive.* Tempore non suo et minime convenienti.|| *Qui fovet illa.* Qui ea vulnera obducta, et dolorem iam pene oblivioni traditum vexat , et in memoriam adducit consolando.

11 *Omen.* Atque utinam verum tibi augurium afferam , nunciando haec quae subiungit Poëta. || *Coniugio novo.* Nuper nova ducta uxore:

EPISTOLA XII.

TVTICANO.

ARGVMENTVM. Ad Tuticanum scribens Poëta causam assignat, cur nullam eius mentionem fecerit in libris suis. Deinde commemorat amicitiam, quae sibi cum illo fuit a puero semper arctissima. Postremo illum rogat, ut apud principem tueatur partes suas.

1 Quo minus in nostris ponaris, amice, libellis,
Nominis efficitur conditione tui.
2 Ast ego non alium prius hoc dignarer honore;
Est aliquis nostrum si modo carmen honos.
3 Lex pedis officio naturaque nominis obstant:
Quaque meos adeas, est via nulla, modos.
4 Nam pudet in geminos ita nomen findere versus,
Desinat ut prior hoc, incipiatque minor:
5 Et pudeat, si te, qua syllaba parte moratur,
Arctius appellem, Tuticanumque vocem.

1 *Quo minus ponaris.* Vt non scribaris et nomineris. || *Conditione tui nominis.* Qualitate et sorte tui nominis: quod non potest in versu poni, syllabis repugnantibus.

2 *Dignarer.* Dignum iudicarem. || *Hoc honore.* Hac laude, scilicet nomen tuum ponendo in libellis meis. || *Nostrum carmen.* Si modo legi in meis libris honori alicui esse potest.

3 *Lex pedis.* Lex et ratio metrica adversatur et repugnat officio meo: quod erat, ut te nominarem.|| *Qua adeas meos modos.* Qua nomen tuum ponatur in meis carminibus.

4 *In geminos versus.* In duos versus. || *Ita findere nomen.* Ita nomen tuum dividere. || *Desinat ut prior hoc.* Vt prior versus, id est, hexameter, terminet et finiat in *Tuti.* || *Incipiatque minor.* Et ut minor versus, hoc est, pentameter, incipiat a reliqua parte tui nominis, scilicet a *Canus.*

5 *Et pudeat.* Et erubescam etiam si voluero nomen tuum integrum ponere, nec dividere. || *Moratur.* Ea parte, qua syllaba producatur. || *Arctius appellem.* Strictius et brevius nominem, ponendo syllabam brevem, quae naturaliter produci debet. || *Tuticanumque vocem.* Hoc enim modo

6 Nec potes in versum Tuticani more venire;
Fiat ut e longa syllaba prima brevis.
7 Aut producatur, quae nunc correptius exit;
Et sit porrecta longa secunda mora.
8 His ego si vitiis ausim corrumpere nomen,
Ridear, et merito pectus habere neger.
9 Haec mihi caussa fuit dilati muneris huius,
Quod meus adiecto foenore reddet ager. (tam,
10 Teque canam quacunque nota: tibi carmina mit-
Paene mihi puero cognite paene puer. (que,
11 Perque tot annorum seriem, quot habemus uter-
Non mihi, quam fratri frater, amate minus.
12 Tu bonus hortator; tu duxque comesque fuisti,
Cum regerem tenera frena novella manu.
13 Saepe ego correxi sub te censore libellos;
Saepe tibi admonitu facta litura meo est:

Poëta penultimam syllabam, quae est longa, corriperet.

6 *Nec potes.* Ostendit necesse esse, aut primam syllabam nominis corripere contra naturam, aut penultimam. || *Syllaba prima.* Vt huius nominis Tuticani prima syllaba.

7 *Quae nunc.* Ea syllaba, antepenultima, scilicet *Ti*, quae nunc corripitur. || *Et secunda.* Hoc est secunda huius nominis syllaba, scilicet *Ti.* || *Porrecta mora.* Producto tempore, et prolatione. Nam unaquaeque syllaba longa, duo habet tempora, brevis vero unum tantum.

8 *Pectus habere.* Habere cor et mentem. Vnde quum poëtae quempiam carere intelligentia et ratione, ac mente, eum dicunt non habere pectus aut cor.

9 *Caussa huius nominis dilati.* Caussa ut nomen tuum a musis et carminibus alienum protraheretur in hunc usque diem. || *Quod.* Subaudi, nomen. Vel, quam dilationem nominis. || *Meus ager.* Meum ingenium, per metaphoram. || *Adiecto foenore.* Addito lucro.

10 *Quacunque nota: tibi.* Hoc est, quibuscunque notis atque indiciis utor, ad te, vel nomen tuum significandum.

12 *Tenera manu.* Iuvenili moderamine. || *Frena novella.* Tyrocinium et lubricum aetatis pullulantis.

13 *Correxi libellos.* Emendavi mea carmina. || *Sub te censore.* Sub te iudice. || *Litura.* Saepe expunxisti in tuis scriptis aliqua. || *Meo admonitu.* Me ita te monente, ut expungeres.

14 Dignam Maeoniis Phaeacida condere chartis
Cum te Pierides perdocuere tuae.
15 Hic tenor, haec viridi concordia coepta iuventa
Venit ad albentes illabefacta comas.
16 Quae nisi te moveant, duro tibi pectora ferro
Esse, vel invicto clausa adamante putem.
17 Sed prius huic desint et bellum et frigora terrae,
Invisus nobis quae duo Pontus habet;
18 Et tepidus Boreas, et sit praefrigidus Auster,
Et possit fatum mollius esse meum;
19 Quam tua sint lapso praecordia dura sodali.
Hic cumulus nostris absit, abestque, malis. (est,
20 Tu modo per Superos, quorum certissimus ille
Quo tuus assidue Principe crevit honor;

14 *Dignam Maeoniis chartis.* Dignam habere tales chartas, quales habuit opus Homeri ex Maeonia.|| *Phaeacida.* Opus a Tuticano conscriptum, continens materiam Alcinoi regis Phaeacum, qui fuit iustissimus: ad quem Vlysses naufragus venit, qui regio convivio susceptus, errores suos enarravit. Haec omnia continebantur in eo opere, quod ille ab insula Phaeacia, Phaeacum patria, *Phaeacida* nominavit, quemadmodum Statius *Thebaida.* || *Dignam Maeoniis.* Per metonymiam accipiendum, ut dignam chartis Homeri vocet, quae possit cum Homeri scriptis comparari. Homerus autem *Maeonius* dictus a Maeonia, seu Lydiae, regione.|| *Pierides.* Musae, quae poëtis praesunt.

15 *Hic tenor.* Talis ordo dilectionis || *Haec concordia.* Talis amicitia.|| *Viridi iuventa.* In aetate iuvenili.|| *Ad albentes comas.* Ad senectam, in qua canos capillos habemus.|| *Illabefacta.* Inconcussa.

17 *Invisus Pontus.* Regio Pontica mihi odiosa. || *Duo.* Nempe bellum et frigora.

18 *Et tepidus Boreas.* Et Aquilo, qui frigidus flatu est, prius fuerit calidus. || *Et sit praefrigidus Auster.* Fiat enim a meridionali plaga, ideo est calidus.

19 *Quam tua praecordia.* Quam tuum cor et mens. || *Sint dura.* Sint crudelitati ulli obnoxia et clausa. || *Sodali lapso.* Mihi amico tuo in exsilium eiecto. || *Hic cumulus.* Haec coacervatio mali: quòd scilicet sis mihi durus.

20 *Per Superos.* Per Caesares, Tiberium scilicet, et liberos. || *Certissimus.* Indubitatissimus. || *Ille.* Tiberius scilicet.

21 Effice, constanti profugum pietate tuendo,
Ne sperata meam deserat aura ratem. (vix est;
22 Quid mandem, quaeris? peream, nisi dicere
Si modo, qui periit, ille perire potest. (ve:
23 Nec, quid agam, invenio, nec quid nolimve velim-
Nec satis utilitas est mea nota mihi.
24 Crede mihi; miseros prudentia prima relinquit:
Et sensus cum re consiliumque fugit. (dus:
25 Ipse, precor, quaeras, qua sim tibi parte iuvan-
Quoque viam facias ad mea vota vado.

EPISTOLA XIII.

CARO.

ARGVMENTVM. Ad amicum, nomine Carum, poëtam, et Caesarum praeceptorem, Poëta scribens, primo dicit eum posse intelligere ex chartae colore et carminis structura, unde haec epistola veniat; postea subdit, se carmen etiam composuisse lingua Getica in laudem Augusti, Liviae et eius liberorum: postremo eum per amicitiam rogat, ut quum iam agatur sextus annus, quo exulat, velit procurare, ut saltem in locum faciliorem traducatur.

1 O mihi non dubios inter memorande sodales,
Quique, quod es, vere, Care, vocaris; ave.

21 *Constanti pietate.* Firmo et indubitato amore. || *Profugum.* Me exsulem. || *Ne aura sperata.* Ne favor tuus, vel reditus spes mea. || *Deserat ratem.* Me destituat. Loquitur autem metaphorice.

22 *Quid mandem.* Quid tibi iniungam. || *Nisi dicere.* Nisi est difficile hoc exponere. || *Si modo qui periit.* Si modo ego qui iam perii. Quod ideo dicit, quia exsul habetur vere tamquam mortuus.

24 *Et sensus.* Et intelligentia. || *Cum re.* Cum fortunis. || *Consiliumque.* Et deliberatio.

25 *Quoque vado.* Et quo loco tuto, vel commodo. Metaphora a fluminis transitu.

1 *Non dubios.* Inter socios non dubiae, sed certae fidei. || *Qui vocaris.* Qui appellaris *Carus*, quum vere sis hoc dignus nomine.

2 Vnde saluteris, color hic tibi protinus index,
Et structura mei carminis esse potest.
3 Non quia mirifica est, sed quod nec publica certe:
Qualis enim cunque est, non latet esse meam.
4 Ipse quoque, ut chartae titulum de fronte revellas,
Quod sit opus, videor dicere posse, tuum.
5 Quamlibet in multis positus noscere libellis;
Perque observatas inveniere notas.
6 Prodent auctorem vires quas Hercule dignas
Novimus, atque illi, quem canis, esse pares.
7 Et mea Musa potest, proprio deprensa colore,
Insignis vitiis forsitan esse suis.
8 Tam mala Thersiten prohibebat forma latere,
Quam pulcra Nireus conspiciendus erat.
9 Nec te mirari, si sint vitiosa, decebit
Carmina, quae faciam paene poëta Getes.

2 *Vnde saluteris.* A quo salus ad te mittatur de more scribentium in principio huius epistolae.|| *Color hic.* Haec scribendi qualitas. Vel ex colore, utpote non purpureo; vel ex colore chartae attritae, et squalentis attrectantium manibus, et ferentium hanc ipsam epistolam e longinquis regionibus || *Et structura.* Et stilus, compositio mei versus.

3 *Nec publica certe.* Sed quod certe non est talis ut dignam exsistimem, quae in publicum prodire debeat. || *Qualiscumque est.* Qualiscumque est haec mea structura.|| *Non latet esse meam.* Non te fugit esse a me compositam.

4 *Titulum.* Nomen tuum de prima facie et pagina amoveas et revellas. || *Videor posse dicere.* Videor posse intelligere ego, qui stylum tuum et carminis structuram ex longa experientia iam cognosco.

5 *Per notas observatas.* Per signa quaedam a me deprehensa. || *Inveniere.* Cognosceris.

6 *Prodent.* Carminis tui sublimitas manifestat facile tuum scribendi genus. || *Quas Hercule dignas novimus.* Quas cognovimus esse dignas eo viro, cuius laudes et gesta describis.

7 *Colore.* Dicendi genere, et charactere.

8 *Tam mala Thersiten.* Thersites ob deformitatem maxime notus in exercitu Graecorum; quemadmodum etiam suum carmen Poëta dicit cognitum esse suis vitiis. || *Quam pulcra Nireus.* Nireus Charopis filius fuit, et Aglaies, ex Syme insula, ad bellum Troianum profectus. Omnium pulcherrimum illum fuisse scribit Homerus.

10 Ah pudet! et Getico scripsi sermone libellum:
Structaque sunt nostris barbara verba modis.
11 Et placui, gratare mihi, coepique poëtae
Inter inhumanos nomen habere Getas.
12 Materiam quaeris? laudes de Caesare dixi.
Adiuta est novitas numine nostra Dei.
13 Nam patris Augusti docui mortale fuisse
Corpus; in aetherias numen abisse domos:
14 Esse parem virtute patri, qui frena coactus
Saepe recusati ceperit imperii.
15 Esse pudicarum te Vestam, Livia, matrum,
Ambiguum nato dignior, anne viro.
16 Esse duos iuvenes, firma adiumenta Parentis,
Qui dederint animi pignora certa sui.

10 *Getico sermone.* Lingua Scythica || *Sunt structa.* Sunt composita. || *Nostris modis.* Latinis rythmis, et numeris, quibus utimur in carminibus Latinis. || *Barbara verba.* Verba Getica.

11 *Et placui.* Et a Getis laudari sum coeptus, hanc ob caussam || *Gratare mihi.* Mihi gratulare.

12 *Materiam quaeris.* Interrogas quae sit materia, quam complexus sum sermone Getico. || *De Caesare.* De Augusto Caesare. || *Nostra novitas.* Nostrum novum scribendi genus: hoc genere sermonis. || *Numine Dei.* Numine Caesaris Augusti.

13 *Patris Augusti.* Augusti Caesaris patris patriae. || *Numen.* Animam Augusti Caesaris defuncti.

14 *Esse parem.* Docui etiam, virtute non inferiorem esse Tiberium patri Caesari Augusto.|| *Qui frena.* Qui Tiberius diu summam imperii recusavit.

15 *Esse Vestam.* Et docui etiam in libello meo composito lingua Getica, te Liviam Caesaris uxorem esse alteram Deam Vestam, et pudicitiae specimen inter matronas. || *Matrum pudicarum.* Castarum matronarum.|| *Nato dignior.* Dignior sit filio Tiberio. || *An ne viro.* An sit dignior marito Augusto.

16 *Esse duos iuvenes.* Dixi etiam in eodem libello esse duos adolescentes, *Germanicum* scilicet iuniorem, filium Drusi, privigni Augusti naturalem, et per adoptionem Tiberii quoque; et alterum, *Drusum* Tiberii filium naturalem.|| *Firma adiumenta parentis.* Firma praesidia Tiberii patris. || *Certa pignora.* Certis experimentis et indiciis ostenderint se fore firma adiumenta parentis.

17 Haec ubi non patria perlegi scripta Camena,
Venit et ad digitos ultima charta meos;
18 Et caput et plenas omnes movere pharetras,
Et longum Getico murmur in ore fuit.
19 Atque aliquis, Scribas haec cum de Caesare, dixit,
Caesaris imperio restituendus eras.
20 Ille quidem dixit, sed me iam, Care, nivali
Sexta relegatum bruma sub axe videt. (dam:
21 Carmina nil prosunt; nocuerunt carmina quon-
Primaque tam miserae caussa fuere fugae.
22 At tu per studii communia foedera sacri,
Per non vile tibi nomen amicitiae;
23 Sic capto Latiis Germanicus hoste catenis,
Materiam vestris afferat ingeniis;
24 Sic valeant pueri, votum commune Deorum:
Quos laus formandos est tibi magna datos;

17 *Non patria Camena.* Non musa et lingua Romana, sed Scythica. || *Perlegi.* Scythis recitavi. || *Vltima charta.* Perveni ad extremam paginam et finem.

18 *Et caput.* Omnes Getae nutu capitum et pharetrarum motu carmen meum probarunt. || *Et longum murmur.* Et longus de hac re sermo. || *In ore Getico.* In ore Scytharum.

19 *Atque aliquis.* Et aliquis ex illis Scythis, qui meae recitationi interfuit.

20 *Sub nivali axe.* Sub septentrionali plaga, hoc est, in Scythia, ubi sunt nives et frigora. || *Sexta bruma.* Sextus annus.

21 *Carmina nil prosunt.* Nil mihi opitulantur carmina mea in laudem Caesaris edita. || *Nocuerunt quondam.* Obfuere olim, quum scripsi amatoria. || *Prima caussa.* Principium.

22 *Studii sacri.* Sacrum studium appellat poëticam facultatem, cui Apollo praeest. || *Per communia foedera.* Per studia poëticae artis communia, quae nos quasi quodam foedere coniungunt, et ad amandum impellunt. || *Non vile tibi.* Quia soles amicos magnifacere.

23 *Capto hoste.* Debellata Germania, et deductis captivis. || *Germanicus.* Germanicus Iunior filius Tiberii per adoptionem. || *Latiis.* Italicis, quibus captivi ligabantur. || *Materiam.* Det vobis materiam scribendi talem triumphum.

24 *Sic valeant pueri.* Sic sint incolumes pueri Germanici. Intelligit autem Neronem, Drusum et Caium Caesarem. || *Votum commune Deorum.* Ambo enim opta-

25 Quanta potes praebe nostrae momenta saluti:
Quae nisi mutato nulla futura loco est.

EPISTOLA XIV.

TVTICANO.

ARGVMENTVM. Ad eumdem Tuticanum; ad quem superius scripserat, hanc etiam epistolam mittit Poëta; dicitque, se quemcumque locum, vel incommodissimum, magis optare ubi exsulet, quam Tomitanam urbem. Deinde se excusat, quod non debeant Tomitae id aegre ferre; siquidem locum, non homines vituperet. Postremo fatetur, se ab eis affectum fuisse beneficiis.

1 Haec tibi mittuntur, quem sum modo carmine
Non aptum numeris nomen habere meis. (questus,
2 In quibus, excepto quod adhuc utcunque valemus,
Nil, te praeterea quod iuvet, invenies.
3 Ipsa quoque est invisa salus: suntque ultima vota,
Quolibet ex istis scilicet ire locis.
4 Nulla mihi cura est, terra quam muter ut ista:
Hac quia, quam video, gratior omnis erit.

musut valeant pueri. || *Quos datos formandos*. Quibus pueris tibi ad erudiendum datis, magna laus accessit tibi.

25 *Praebe momenta saluti nostrae*. Hoc est, nostram salutem pro viribus curandam suscipe. || *Quae*. Scilicet, salus. || *Nisi mutato loco*. Nisi transferar in exsilium mitius, et magis propinquum Italiae.

1 *Modo*. Paulo ante. || *Non aptum*. Non commodum, ut poni possit in his meis versibus elegis.

2 *In quibus*. In quibus scilicet carminibus meis. || *Vtcunque*. Hoc est, mediocriter.

3 *Vltima vota*. Supremum desiderium meum. || *Quolibet*. Ad quemvis alium locum || *Ex istis locis*. Ex Scythia et exsilio Tomitano.

4 *Hac*. Ista terra Scythica, ubi nunc sum. || *Quam video*. Quam terram Scythiae quotidie aspicio. || *Omnis*. Quaecunque alia terra.

5 In medias Syrtes, mediàm mea vela Charybdin
Mittite, praesenti dum careamus humo. (Istro:
6 Styx quoque, si quid ea est, bene commutabitur
Si quid et inferius, quam Styga, mundus habet.
7 Gramina cultus ager, frigus minus odit hirundo;
Proxima Marticolis quam loca Naso Getis:
8 Talia succensent propter mihi verba Tomitae,
Iraque carminibus publica mota meis.
9 Ergo ego cessabo nunquam per carmina laedi,
Plectar et incauto semper ab ingenio?
10 Ergo ego, ne scribam, digitos incidere cunctor;
Telaque adhuc demens, quae nocuere, sequor?
11 Ad veteres scopulos iterum devertor, ad illas,
In quibus offendit naufraga puppis, aquas?

5 *In medias Syrtes.* In medio illo loco maris periculoso circa fines Africae. *Syrtes* porro dicuntur sinus et vada in mari Libyco, ubi naves arenarum cumulis involvuntur, et naufragium saepe faciunt || *Charybdin.* Gurges vorticosus in mari siculo Calabriam inter et Siciliam, Scyllae scopulis oppositus. Fabulantur poëtae *Charybdin* mulierem fuisse summe rapacem, quae, quod Herculis boves furto abegisset, de caelo tacta sit, et in mare praecipitata, ubi suam adhuc rapacitatem exercet.||*Praesenti humo.* Tomitano exsilio, ubi in praesentia exsulo.

6 *Styx quoque.* Palus etiam illa Styx, quae dicitur esse apud inferos, a me magis eligetur pro exsilio, quam solum Tomitanum, Istro flumini finitimum. ||*Si quid ea est.* Si verum est, quod dicunt de ea poëtae, quod sit apud inferos. || *Si quid inferius.* Et illud etiam bene commutabitur Istro, si mundus habet aliquid inferius et incommodius Stygia palude.

7 *Gramina.* Herbas inutiles: et subauditur, *odit minus.* || *Hirundo.* Hirundo, quae naturaliter frigus timet, illud minus odit, quam ego loca haec Scythiae. || *Getis Marticolis.* Getis Martem colentibus.

8 *Succensent.* Irascuntur. || *Ira publica.* Omnium Tomitarum indignatio.||*Meis carminibus.* Meis versibus, quibus eorum loca vitupero.

9 *Laedi.* Quibus in exsilium praecipitatus sum. || *Plectar.* Et semper puniar. || *Ab ingenio incauto.* Ab ingenio meo improvido; et quod minus sibi cavere nescit.

10 *Digitos incidere cunctor.* Tardone mihi digitos amputare? || *Tela quae nocuere.* Carmina et ingenium quod mihi nocuit.

11 *Ad veteres scopulos.* Allegoria. Ad saxa in quibus naufra-

12 Sed nihil admisi: nulla est mea culpa, Tomitae;
Quos ego, cum loca sim vestra perosus, amo.
13 Quilibet excutiat nostri monumenta laboris;
Litera de vobis est mea questa nihil.
14 Frigus, et incursus omni de parte timendos,
Et quod pulsetur murus ab hoste, queror.
15 In loca, non homines, verissima crimina dixi,
Culpatis vestrum vos quoque saepe solum.
16 Esset perpetuo sua quam vitabilis Ascra,
Ausa est agricolae Musa docere senis.
17 At fuerat terra genitus, qui scripsit, in illa,
Intumuit vati nec tamen Ascra suo.
18 Quis patriam sollerte magis dilexit Vlixe?
Hoc tamen asperitas indice nota loci est.
19 Non loca, sed mores scriptis vexavit amaris
Scepsius Ausonios, actaque Roma rea est.

gium feci. Designat autem carmina, quae sibi olim nocuere. || *Iterum devertor.* Iterum redeo. || *Ad illas aquas.* Et iterum divertor ad illas aquas, hoc est, ad illud ingenium seu versus || *In quibus offendit naufraga.* In quibus aquis navis mea, quae naufragium sensit, se elisit.

12 *Quos ego amo.* Quos Tomitas diligo. || *Cum loca sim vestra.* Cum maxime odio prosequar regionem hanc vestram.

13 *Excutiat.* Inquirat. || *Nostri monumenta laboris.* Versus nostros. || *De vobis.* De hominibus Tomitanis.

15 *Non homines.* Tomitanos || *Verissima.* Criminationes quae verissimae dici possunt, et sine ullo mendacio. || *Vestrum solum.* Vestram hanc regionem sterilem, et frigori ac bellis obnoxiam.

16 *Ascra.* Ascra, Baeotiae in Thespiensi agro vicus, ad Heliconem situs, ubi Hesiodi habitavit parens. || *Senis agricolae.* Hesiodi, qui de Agricultura scripsit.

17 *In illa terra.* In Ascra. || *Qui scripsit.* Ipse Hesiodus, qui ea qua superius dicta sunt, de patria sua tradit || *Intumuit.* Non tamen Ascra patria irata ei fuit.

18 *Quis patriam.* Vlyssis apud Homerum Ithacam patriam saepe asperam sterilemque vocat. || *Hoc iudice.* Hoc Vlysse ita iudicante.

19 *Non loca, sed mores.* Docet Ovidius, Scepsium poëtam olim taxasse vitia Romanorum, et non loca, quod magis odiosum fuit: non tamen ille ob eam causam damno aliquo affectus fuit. Alii non poëtam sed philosophum fuisse asserunt. || *Ausonios.* H. e. mores Ro-

20 Falsa tamen passa est aequa convicia mente,
Obfuit auctori nec fera lingua suo.
21 At malus interpres populi mihi concitat iram,
Inque novum crimen carmina nostra vocat.
22 Tam felix utinam, quam pectore candidus, essem!
Exstat adhuc nemo saucius ore meo.
23 Adde, quod Illyrica si iam pice nigrior essem,
Non mordenda mihi turba fidelis erat.
24 Molliter a vobis mea sors excepta, Tomitae,
Tam mites Graios indicat esse viros.
25 Gens mea Peligni, regioque domestica Sulmo,
Non potuit nostris lenior esse malis.

manorum.|| *Scriptis amaris.* Carminis acerbitate, et satyrica reprehensione.|| *Vexavit.* Reprehendit, taxavit.|| *Actaque Roma rea est.* Et Roma ab eo accusata fuit.

20 *Falsa convicia.* Convicia non vera. || *Passa est.* Tulit ipsa, scilicet Roma.|| *Aequa mente.* Patienti animo. || *Auctori suo.* Ipsi Sceptio, qui ea composuit. || *Fera lingua.* Lingua poëtae feri, tam acriter invehendo in Romanos.

21 *At malus interpres.* At ille, qui male interpretatur mea carmina damnantia situm et regionem Tomitanam.|| *Populi iram.* In odium et indignationem populi Tomitani me adducit.||*In novum crimen.* In novam criminationem. Non enim solitus fui unquam carmine quemquam offendere.||*Vocat.* Trahit.

22 *Tam felix utinam.* Vtinam, inquit, tam possem felix appellari, et exilium hoc evitare, quam sum innocens ab huiuscemodi detrahendi genere. || *Ore meo.* Meis verbis et carminibus.

23 *Pice Illyrica.* Pice, quae in Illyria nascebatur: eratque nigerrima et laudatissima. Per *picem* autem *Illyricam* vitia intelligit.|| *Nigrior.* Vitiosior.||*Mordenda.* Non erat a me reprehendenda. || *Turba fidelis.* Tomitani cives, qui me amant.

24 *Molliter excepta.* Placide et benigne suscepta. || *Mea sors.* Meum infortunium et relegatio.|| *Tam mites Graios.* Ostendit Tomitanos, ita placidos erga miseros, esse Graios: hoc est, non esse barbaros, sed Graecos, et mores Graecorum servare, unde oriundi sunt. Illi enim Tomon condidere.

25 *Gens mea Peligni.* Peligni, appositive gens mea: et Sulmo, appositive regio domestica, id est, parva pars Pelignae regionis.||*Nostris malis.* Nostro exilio.||*Lenior.* Magis placida.

26 Quem vix incolumi cuiquam salvoque daretis,
Is datus a vobis est mihi nuper honor.
27 Solus adhuc ego sum vestris immunis in oris;
Exceptis, si qui munera legis habent.
28 Tempora sacrata mea sunt velata corona,
Publicus invito quam favor imposuit.
29 Quam grata est igitur Latonae Delia tellus;
Erranti tutum quae dedit una locum;
30 Tam mihi cara Tomis: patria quae sede fugatis
Tempus ad hoc nobis hospita fida manet.
31 Di modo fecissent, placidae spem posset habere
Pacis, et a gelido longius axe foret.

26 *Incolumi.* Alicui habenti fortunam prosperam.

27 *Immunis.* Exemptus ab omni onere civitatis. || *Exceptis si qui munera legis habent.* Exceptis illis, qui legibus consecuti sunt immunitatem, quae dabatur his, qui Olympia vicissent, et qui aliquod egregium facinus pro patria fecissent.

28 *Tempora mea.* Meum caput. || *Corona sacrata.* Corona ex hedera Bacco sacra, qua poëtae elegi coronabantur. || *Publicus favor.* Favor omnium civium Tomitanorum. || *Imposuit invito.* Mihi hoc recusanti imposuit.

29 *Quam grata est.* Quantum placet et chara est. || *Latonae.* Matri Apollinis et Dianae. || *Delia tellus.* Delos insula, quae est in mari Aegeo, Apollinis ac Dianae nativitate cantatissima, poëtarum testimonio; ubi Latona eos peperit Pythone serpente liberata, ut fabulantur poëtae, et ideo hic Delon gratissimam Dianae dixit Ovidius. || *Erranti.* Ipsi Latonae fugienti Pythonem serpentem. || *Tutum locum.* Locum tutum ad pariendum. || *Quae una.* Quae insula ex omnibus terris.

30 *Tam mihi cara Tomis.* Tam mihi est grata sedes et domicilium quod est mihi in urbe Tomitana. || *Patria sede.* E civitate Romana. || *Fugatis nobis.* Mihi eiecto et misso in exilium. || *Quae hospita.* Quae domus Tomitana me hospitio suscepit. || *Manet fida.* Permanet amica et fidelis.

31 *Spem placidae pacis.* Nec esset ita furori et bellis Geticis exposita. || *Et a gelido longius axe foret.* Et foret magis remota ab hac septentrionali et frigida plaga.

EPISTOLA XV.

SEXTO POMPEIO.

ARGVMENTVM. Ad Sextum Pompeium scribens Poëta, profitetur se illi ante omnes debere, Caesare tamen excepto, cui vitam debeat. Deinde eum precatur, ut ab Imperatore, quem summa colit pietate, impetret sibi mitius exilium, excusatque se invitum haec eadem saepius petere, sed prae nimia et immoderata cupidine se excusandum esse.

1 Si quis adhuc usquam nostri non immemor exstat,
Quidve relegatus Naso, requirit, agam;
2 Caesaribus vitam, Sexto debere salutem
Me sciat. A superis hic mihi primus erit.
3 Tempora nam miserae complectar ut omnia vitae,
A meritis eius pars mihi nulla vacat.
4 Quae numero tot sunt, quot in horto fertilis arvi
Punica sub lento cortice grana rubent:
5 Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos,
Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos.

2 *A superis.* Post Deos Caesares. || *Hic.* Iste Sextus Pompeius.
3 *Vt complectar.* Vt colligam. || *Miserae vitae.* Vitae meae, quae cepit in miseriis versari. || *A meritis eius.* A beneficiis ipsius Pompeii. || *Pars nulla.* Nulla pars miserae meae vitae. || *Vacat.* Deficit.
4 *Quae.* Merita. || *Punica grana.* Mali Punici grana; quod ideo appellatur, quoniam circa Carthaginem Punicum malum maxime nobile erat, unde ob id cognomen sibi vendicavit. || *Sub lento cortice.* Sub cortice flexibili.

5 *Africa quot segetes.* Africa olim maximam vim frumenti ferebat. || *Tmolia terra racemos.* Tmolus mons est Maeoniae, quae postea *Lydia* appellata fuit, qui mons vino ac croco abundabat. || *Quot Sicyon baccas.* Quot olivas Sicyon civitas fert. Fuit autem *Sicyon* oppidum Achaiae. || *Quot parit Hybla.* Quantum mellis in Hybla nascitur. *Hybla* autem fuit urbs Siciliae; haec postea *Megara* appellata fuit. Vnde Maro *apes Hyblaeas* appellavit, quae in Sicilia mel optimum conficiebant.

6 Confiteor: testere licet: signate Quirites.
Nil opus est legum viribus: ipse loquor.
7 Inter opes et me, rem parvam, pone paternas.
Pars ego sim census quantulacunque tui.
8 Quam tua Trinacria est, regnataque terra Philippo,
Quam domus Augusto continuata Foro;
9 Quam tua, rus oculis domini, Campania, gratum,
Quaeque relicta tibi, Sexte, vel emta tenes:
10 Tam tuus en ego sum; cuius te munere tristi
Non potes in Ponto dicere habere nihil.

6 *Testere licet.* Licet in testimonium adducas haec quae scribo. || *Signate Quirites.* Ad consuetudinem testamentorum faciendorum alludit, ubi subscribebant testes, annuloque signabant. || *Nil opus est.* Non est opus confugere ad legum praesidia, et litem contestari. || *Ipse loquor.* Ipse sponte confiteor hoc quod sequitur.

7 *Inter opes paternas.* Inter tuos census tibi a patre relictos.|| *Et me, rem parvam, pone.* Etiam me annumerabis, licet sim res parva et modica. || *Census tui.* Tuarum fortunarum.

8 *Quam tua Trinacria est.* Quantum potes dicere tuam esse Siciliam, quae *Trinacria* a tribus promontoriis appellata est.|| *Regnataque terra Philippo.* Macedoniam intellige: cuius rex fuit Philippus, Magni Alexandri pater. Credendum est autem vel Sextum Pompeium habuisse in Sicilia et in Macedonia possessiones, ut inferius dicit de Campania; vel eorum locorum patronum fuisse: nam unusquisque populus patronum habuit Romae. || *Quam domus.* Quantum etiam domus est tua, quam habes coniunctam foro Augusti Caesaris.

9 *Quam.* Scilicet, est. || *Tua rus oculis.* Campania (appositive) rus gratum oculis domini, est tua. Per *Campaniam* autem intelligimus rus aliquod, quod habebat Pompeius in Campania. || *Quaeque relicta.* Et quantum ea sunt tibi a maioribus tuis relicta. || *Vel emta.* Vel a te comparata peculiari aliqua industria

10 *Tam tuus.* Tam ego Ovidius sum numerandus in tuo aere et censu. || *Cuius te.* Cuius tui Sexti Pompeii moesto dono. Nam tuo munere et precibus vivo: quia te agente Augustus me non interfecit, sed tantum in exilium Ponticum misit. Hoc autem beneficium Poëta *triste munus* appellat, propterea quod in re tristi et moesta beneficium est assecutus. || *Non potes.* Non potes dicere te nihil possidere in Pontica regione, cum aliquid habeas habendo me.

11 Atque utinam possis, et detur amicius arvum;
Remque tuam ponas in meliore loco!
12 Quod quoniam in Dîs est, tenta lenire precando
Numina, perpetua quae pietate colis.
13 Erroris nam tu, vix est discernere, nostri
Sis argumentum maius, an auxilium.
14 Nec dubitans oro: sed flumine saepe secundo
Augetur remis cursus euntis aquae.
15 Et pudet, et metuo, semperque, eademque precari;
Ne subeant animo taedia iusta tuo.
16 Verum quid faciam: res immoderata cupido est.
Da veniam vitio, mitis amice, meo.
17 Scribere saepe aliud cupiens delabor eodem:
Ipsa locum per se litera nostra rogat.
18 Seu tamen effectus habitura est gratia; seu me
Dura iubet gelido Parca sub axe mori;
19 Semper inoblita repetam tua munera mente:
Et mea me tellus audiet esse tuum:

11 *Atque utinam.* Atque utinam possis dicere te nihil habere in qua essem alibi felicius, quam in hoc exilio. || *Et detur.* Et utinam detur solum magis gratum et amicum regione hac Pontica.|| *Rem tuam.* Me qui sum in tuo aere.

12 *In Dîs.* Est in potestate Deorum: hoc est, Tiberii et liberorum eius || *Tenta.* Experire. || *Lenire numina.* Placare Tiberium, et eius liberos. || *Perpetua pietate.* Perpetuo amore.

13 *Erroris nam.* Nostrae imprudentiae seu criminis, cuius ca*u*sa in exilium eiectus sum. || *Vix est discernere.* Vix licet cognoscere. || *Sis maius argumentum.* Sis maior ratio, quae rei dubiae et erroris mei, non autem criminis, ut plerique appellabant, fidem faciat. || *An auxilium* An praesidium.

14 *Nec dubitans oro.* Nec te ideo oro ut dubitem de fide, et amore erga me tuo. || *Sed flumine saepe secundo.* Sed saepe navigando, non adverso, sed secundo flumine. || *Augetur remis.* Augetur impulsis et agitatione remorum.

17 *Eodem.* Hoc est, ut exilii mei poena imminuatur. || *Ipsa nostra litera.* Scriptura et carmen. || *Rogat locum per se.* Sua sponte petit loci mutationem, cum tamen ego aliud vellem dicere.

18 *Gratia effectus.* Favor tuus apud Caesarem. || *Dura Parca.* Durum fatum. || *Sub axe gelido.* Sub septentrionali plaga frigida.

19 *Inoblita mente.* Mente, quae non obliviscetur beneficia.

20 Audiet et caelo posita est quaecunque sub illo:
Transit nostra feros si modo Musa Getas.
21 Teque meae caussam servatoremque salutis:
Meque tuum libra norit et aere minus.

EPISTOLA XVI.

AD INVIDVM.

Argvmentvm. Admonet in hac ultima epistola Poëta invidum, ne carmen suum laceret, ostendens se exsulem esse tanquam mortuum; affirmatque solere livorem pasci tantum in vivis, post cineres vero quiescere. Et hac ratione dicit eum debere non ulterius in carmen suum distringere invidiae stimulos ac dentes, quum sint multi alii celebres poëtae, quos enumerat, docetque eos posse commodius reprehendi.

1 Invide, quid laceras Nasonis carmina rapti?
Non solet ingeniis summa nocere dies:
2 Famaque post cineres maior venit: et mihi nomen
Tunc quoque, cum vivis annumerarer, erat:

21 *Meque tuum libra.* Ordo est: Et quaecunque tellus est posita sub caelo, audiet *me esse tuum minus libra aere*, id est, minus quam si essem mancipium tuum et servus emptitius: hoc est, viliori conditione, et magis tibi obnoxius, quam servus emptus: ut sit *me tuum esse minus libra aere.* Id est, me esse tuum minus mancipio libra empto et aere. Vel, *minus libra* et *aere*, id est, non minus quam si a te essem emptus per aes et libram, ut particula *Non* subintelligatur.

1 *Nasonis rapti.* Ovidii quasi morte erepti. Poëta enim relegatus se quasi mortuum existimabat. || *Summa dies.* Extrema dies, hoc est, mors.

2 *Post cineres.* Post mortem, quando, cessante livore, fama doctorum magis augetur. || *Et mihi nomen.* Docet se etiam vivum, hoc est, antequam relegaretur, nomen habuisse, et per consequens etiam innuit, post mortem debere illud magis vigere amoto livore.

3 Cum foret et Marsus, magnique Rabirius oris,
Iliacusque Macer, sidereusque Pedo:
4 Et, qui Iunonem laesisset in Hercule, Carus;
Iunonis si non iam gener ille foret:
5 Quique dedit Latio carmen regale Severus;
Et cum subtili Priscus uterque Numa: (quis
6 Quique vel imparibus numeris, Montane, vel ae-
Sufficis; et gemino carmine nomen habes:
7 Et qui Penelopae rescribere iussit Vlixen,
Errantem saevo per duo lustra mari:

3 *Marsus.* Domitius Marsus, poëta clarus extitit Horatii aevo, qui *Amazonidem* scripsit. || *Rabirius.* C. Rabirius nobilis poëta fuit, quem Fabius in eorum poëtarum numero ponit, qui Epici appellantur: et quia in eius carmine multum animi, ac virium inerat, ideo hic Ovidius illum *magni oris* fuisse scribit. || *Iliacusque Macer.* Aemilius Macer Veronensis poëta fuit. Scripsit bellum Troianum, ut hic videtur innuere Poëta, appellando illum *Iliacum* ab Ilii materie, quam tractabat. || *Sidereusque Pedo.* Et divinus ac doctus ille poëta Pedo, qui scripsit epigrammata. Vel verisimile est de astris quoque scripsisse, et ideo *sydereum* nominari.

4 *Carus.* Carus poëta fuit doctissimus, Caesarum praeceptor, Ovidii amicus. Hic Herculis gesta carmine complexus est. || *Qui laesisset.* Qui describendo Herculis laudes, Iunonem novercam, eique inimicam offendisset. || *Si iam non.* Si non tandem Iuno posita ira Heben filiam uxorem Herculi dedisset, et sic Iuno socrus Herculi facta, nullam habebat causam indignationis, et odii in Carum poëtam, propterea quod Herculis generi gesta decantasset.

5 *Quique dedit Latio.* Cassius Severus poëta fuit Ovidii amicus. Hic scripsit Epigrammata, Elegias, et Traegoedias, in quibus quoniam de regibus tractatur, ideo poëta dicit dedisse illum *carmen regale Latio*: hoc est, scripsisse tragoedias Latinas. || *Et cum subtili.* Duo fuerunt Prisci poëtae coaetanei Ovidii, et ambo Numae Pompilii regis Romanorum secundi, vitam carmine scripsere. Quod *subtile* appellat propter carminis subtilitatem et elegantiam.

6 *Montane.* Iulius Montanus poëta gratus fuit Tiberio. || *Imparibus numeris.* Versibus elegis. || *Vel aequis.* Vel aequalibus numeris, hoc est, hexametris. || *Sufficis.* Satis es. || *Gemino carmine.* Elego et heroïco.

7 *Qui Penelopae.* Sabinum poëtam designat, qui sub Augusto floruit, et epistolis Ovidii respondit. || *Rescribere iussit Vlixen.* Fecit, Sabinus, ut Vlyxes uxori Penelo-

8 Quique suam Troezena, imperfectumque dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus:
9 Ingeniique sui dictus cognomine Largus,
Gallica qui Phrygium duxit in arva senem: (iam;
10 Quique canit domitam Camerinus ab Hercule Tro-
Quique sua nomen Phyllide Tuscus habet:
11 Velivolique maris vates, cui credere possis
Carmina caeruleos composuisse Deos:
12 Quique acies Libycas Romanaque proelia dixit;
Et Marius, scripti dexter in omne genus,

pae rescriberet. || *Errantem*. Navigantem. || *Saevo mari*. Per mare procellosum. || *Per duo lustra*. Per decennium.

8 *Quique suam Troezena* Opus designat continens materiam Hippolyti, seu verius Tragoediam. *Troezen* enim fuit oppidum Atticae regionis, sic dicta a Troezene Pelopis filio. || *Imperfectumqe dierum* Fastorum opus intelligit, quod inchoaverat Sabinus.

9 *Dictus cognomine Largus*. Alium etiam sui temporis poëtam Largum nominat: quem hoc nomen consecutum dicit ab ingenii largitate et praestantia. || *In arva Gallica*. In Galliam Cisalpinam; et in eum tractum ubi postea Antenor Patavium condidit. || *Phrygium senem*. Antenorem Troianum.

10 *Camerinus*. Camerinus poëta fuit Ovidii tempore, qui apud Latinos Troianum excidium cecinit. || *Ab Hercule domitam*. Excidium ab Hercule patratum, dum Troia regnaret Laomedon. || *Tuscus*. Tuscus poëta etiam fuit, qui opus scripsit, seu elegias de Phyllide illa Lycurgi Thracum regis filia, quae patri admodum puella successit in regnum.

11 *Velivolique maris vates*. Hic de P. Terentio Varrone Attacino Poëta intelligit, qui transtulit in Latinum libros quatnor Apollonii Rhodii in suum opus de Argonautis. || *Cui credere possis*. Magna est huius poëtae laus; quod tam pulcre Argonautica decripsit, ut Dii ipsi marini, non poëta ille P. Terentius Varro, videantur ea carmina composuisse.

12 *Quique acies Libycas*. Non liquet hic quis fuerit. Aliqui hunc locum de Ennio, aut Naevio accipiendum putant: quod temporum rationi repugnat. Neque enim Ovidius eos poëtas commemorare voluit, qui se multo antiquiores essent, sed qui suis temporibus, eademque secum aetate vixissent. || *Et Marius*. Marius etiam poëta fuit celeberrimus, qui in omni carminis genere promptus plurimum excellebat.

13 Trinacriusque suae Perseidos auctor, et auctor
Tantalidae reducis Tyndaridosque Lupus:
14 Et qui Maeoniam Phaeacida vertit, et una
Pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae:
15 Musaque Turrani Tragicis innixa cothurnis:
Et tua cum socco Musa, Melisse, levis: (nis;
16 Cum Varus Gracchusque darent fera dicta tyran-
Callimachi Proculus molle teneret iter:
17 Tityrus antiquas et erat qui pasceret herbas,
Aptaque venanti Gratius arma daret:

13 *Trinacriusque Lupus.* Et Lupus poëta Siculus. || *Suae Perseidos.* Tragoediae a se compositae, de Perseo Iovis et Danaës filio. || *Auctor.* Scriptor. || *Tantalidae reducis.* Menelai a Tantalo oriundi, qui post bellum Troianum in patriam revertit. Et subauditur, *auctor.* Designat enim Lupum poëtam tragoediam scripsisse de Menelao et Helena. || *Tyndaridosque.* Et Helenae filiae Tyndari.

14 *Et qui Maeoniam.* Alium etiam poëtam designat, qui scripsit Vlyssis errores. Hic Tuticanus fuit. || *Phaeacida.* Opus Odysseae Homeri, ubi ille describit Vlyssis adventum ad Phaeacas populos. || *Pindaricae lyrae.* Lyrae quali usus est Pindarus poëta Thebanus, Scopelini filius. || *Fidicen tu quoque Rufe.* Tu etiam, o Rufe, poëta fidibus et lyra canens. || *Pindaricae fidicen.* Inter latinos lyricos, post Horatium, maxime laudatus fuit Caesius Bassus.

15 *Musaque Turrani.* Turranus historicus fuit. Hic vero Turranum alium fuisse credendum est, et poëtam quidem tragicum. || *Tragicis innixa cothurnis.* Est *cothurnus* calciamenti genus quo tragoedi utebantur, sicut comoedi *socco.* || *Et tua cum socco.* Ostendit alium poëtam comicum, nomine Melissum, magnae celebritatis floruisse. || *Levis.* Humilis: quia in comoedia personae et res humiles tractantur.

16 *Cum Varus Gracchusque.* Quintilianus Varus fuit Cremonensis, eques Romanus. Gracchus autem fuit poëta eiusdem temporis, qui enm tragoediam Thyestis scribebat, quam etiam Varius. Ideo subiungit, *Darent fera dicta tyrannis:* hoc est, scriberent in eorum tragoediis verba et iurgia Thyestis in Atreum, et e contra. || *Callimachi Proculus.* Proculum poëtam etiam celebrem commemorat, qui elegias scripsit; quemadmodum Callimachus, qui Fabii testimonio elegiae princeps habetur. || *Molle iter.* Lascivum scribendi genus, quia de amoribus elegias componebat.

17 *Tityrus* Hic per *Tityrum* Maronem designat, alludens ad eius carmen Bucolicum. || *Qui pasceret antiquas herbas.* Qui permaneret in antiquis suis praediis cum suis ca-

18 Naïdas a Satyris caneret Fontanus amatas,
Clauderet imparibus verba Capella modis:
19 Cumque forent alii, quorum mihi cuncta referre
Nomina longa mora est, carmina vulgus habet:
20 Essent et iuvenes, quorum quod inedita cura est,
Appellandorum nil mihi iuris adest;
21 Te tamen in turba non ausim, Cotta, silere,
Pieridum lumen, praesidiumque fori;
22 Maternos Cottas cui Messalasque paternos
Maxima nobilitas ingeminata dedit:
23 Dicere si fas est, claro mea nomine Musa,
Atque inter tantos, quae legeretur, erat.

pellis. || *Gratius*. Gratius scripsit de Venatione; eiusque poëmata elegantissima sunt.

18 *Fontanus.* Fontanus poëta, qui carmine complexus est fabulas et amores Satyrorum, qui varias nymphas ardentissime amarunt. || *Clauderet verba*. Astringeret, et coniungeret: et subaudi *Quum*. || *Imparibus modis*. Versibus elegis. || *Capella.* Capellam hunc, de quo hic Ovidius, non eum esse existimo, quem in manibus habemus, qui de unaquaque disciplina tractavit; sed alium, de quo tamen nihil compertum habeo.

19 *Alii*. Scilicet poëtae. || *Carmina vulgus habet*. Sunt in precio, quia eorum carmina vulgo leguntur; et eorum scripta vulgi manibus teruntur.

20 *Essent et iuvenes.* Et quum essent alii docti, in quos felicius potes, o invide, livoris dentes destringere, quam in me. || *Quorum quod inedita cura est.* Quorum iuvenum poëtarum, quia causa nominandi non est manifesta, propterea quod nil adhuc edidere. || *Appellandorum nil mihi iuris adest.* Nullum est mihi ius eos appellare et nominare.

21 *Te tamen in turba.* Quamvis multi sint, quos non audeo nominare, te tamen, o Cotta, in tanta turba non praeteribo, quin nominem tanquam doctissimum et poëtam et oratorem. || *Pieridum lumen.* Splendorem musarum et poëtarum. || *Praesidiumque fori.* Et tutela reorum, qui in foro versantur: quorum patrocinium suscipis, et iuvas tua eloquentia.

22 *Maternos Cottas.* Cottas Romanos, a quibus per matrem genus ducis. || *Messalasque paternos.* Messalas vero a patre auctores et progenitores habes. || *Ingeminata.* Duplicata et materno et paterno splendore.

23 *Dicere si fas est.* Scilicet de me ipso honorifice loqui. || *Claro nomine.* Ego quoque inter claros poëtas numerabar. || *Quae legere-*

24 Ergo submotum patria proscindere, livor,
Desine, neu cineres sparge, cruente, meos.
25 Omnia perdidimus: tantummodo vita relicta est,
Praebeat ut sensum materiamque malis.
26 Quid iuvat exstinctos ferrum dimittere in artus?
Non habet in nobis iam nova plaga locum.

tur. Quia opera mea edita extabant et legebantur.

24 *Submotum patria.* Procul a patria relegatum. || *Proscindere.* Maledictis lacerare. || *Livor.* O invidia inimicorum. || *Neu cineres sparge, cruente, meos.* Nec tu crudelis, et sanguinis ac ultionis cupidus, velis cineres meos e sepulchro eruere et spargere. Se enim mortuum, ut ab initio profitetur.

25 *Praebeat ut.* Relicta est mihi ideo tantum modo vita, ut magis angar, et sentiam mala haec quibus obnoxius sum.

26 *Quid iuvat.* Quid prodest tibi, o invide. || *Extinctos ferrum dimittere in artus.* Vulnerare cadaver meum, quod nullum sentit dolorem, tanquam res exanguis. || *Non habet.* Nullum sibi malum amplius posse nocere docet, quandoquidem Augusti poena, qua afficitur, nullum alium locum reliquit alicui ulterius nocendi.

FINIS.

INDEX

ELEGIARVM ET EPISTOLARVM

TRISTIVM

LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

LIBER QVINTVS.

EPISTOLARVM EX PONTO

LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

IMPRIMATUR
F. Th. M. Larco O. P. S. Pal. Ap. Mag. Soc.

IMPRIMATUR
A. Ligi Archiep. Icon. Vicesgerens.

B